THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, & Doctorem Collegiatum, & in Patria Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Publicum Profeſſorem.

TOMUS IV. IN PRIMAM PARTEM
De Prædeſtinatione, & Trinitate.

BONONIÆ MDCCXXVII.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ hìc Quartus Tomus in Primam Partem complectitur.

XXXXX

TRACTATUS DE DEO PROVISORE, ET PRÆDESTINANTE.

QUÆSTIO PRIMA.

De Divina Providentia in Generali.

DUBIUM PRIMUM.

An in Deo ſit Providentia?

§. I. *Veritas aſſeritur, & probatur.* pag. 1.
§. II. *An Providentia Dei ſit ſolum ratio mediorum, an verò etiam finis?* 3.

DUBIUM SECUNDUM.

An omnia ſint ſubjecta Divinæ Providentiæ?

§. I. *De ſingularibus corruptibilibus.* 4.
§. II. *Objecta contra dicta.* 7.
§. III. *De cauſis liberis.* 8.
§. IV. *Objecta proponuntur.* 9.
§. V. *De Peccatoribus, & peccatis.* 10.
§. VI. *Solvuntur Objecta.* 11.
§. VII. *An Deus immediatè omnibus provideat?* 13.
§. VIII. *De actibus humanis.* 14.

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

An Providentia ſit formaliter actus Intellectus, vel Voluntatis?

§. I. *Non conſiſtit æqualiter in utroque actu.* 17.
§. II. *An Providentia formaliter conſiſtat in ſolo actu Intellectus, præſupponente actum Voluntatis?* 18.
§. III. *Solvuntur oppoſita.* 20.

DUBIUM QUARTUM.

In quonam ex actibus Intellectus formaliter conſiſtat Providentia.

§. I. *Quædam pro Intelligentia exponuntur.* 23.
§. II. *An Providentia conſiſtat in Scientia Media eventus.* 25.
§. III. *Noſtra reſolutio.* 27.
§. IV. *Repelluntur militantia contra dicta.* 28.

QUÆSTIO SECUNDA:

De exiſtentia, & eſſentia Providentiæ Prædeſtinativæ.

DUBIUM PRIMUM.

An homines prædeſtinentur à Deo?

§. I. *Prædeſtinationis nomen.* 31.
§. II. *Circa exiſtentiam Prædeſtinationis errores varii.* 32.
§. III. *Exiſtentia Prædeſtinationis.* 34.
§. IV. *Afferuntur contraria.* 35.
§. V. *An aliqui ſalvandi ſint, qui prædeſtinati non fuerint?* pag. 37.

DUBIUM SECUNDUM.

De Eſſentia, & Objecto Prædeſtinationis.

§. I. *Definitur Prædeſtinatio.* 41.

§. II.

Digitized by Google

§. II. *De objecto formali Prædeſtinationis.* 43.

QUÆSTIO TERTIA.

De cauſis Prædeſtinationis.

DUBIUM PRIMUM.

An Prædeſtinatio ad Gratiam ſit Gratuita?

§. I. *Pelagii Perſona, & errores.* 44.
§. II. *Semipelagiani eorumque errores.* 49.
§. III. *Aſſertiones contra Pelagianos, & Semipelagianos.* 52.
§. IV. *Pelagianorum, & Semipelagianorum momenta ſoluta.* pag. 55.

DUBIUM SECUNDUM.

An homines prædeſtinentur ad gratiam ex operibus moraliter bonis de congruo Deum moventibus?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 58.
§. II. *Contraria fundamenta.* 60.

DUBIUM TERTIUM.

An Prædeſtinatio ad Gloriam ſit prorsùs gratuita?

§. I. *Sententiarum Varietas.* 67.
§. II. *Prædeſtinatio parvulorum, & eorum reprobatio.* 68.
§. III. *Statuitur cauſa Prædeſtinationis Adultorum ad Gloriam.* 70.
§. IV. *Electio Prædeſtinatorum ad Gloriam gratuita ex Scripturis.* 73.
§. V. *Gratuita Prædeſtinatio ex Paulo Rom. 9.* 75.
§. VI. *Evaſiones contrariæ propoſitæ, & rejectæ.* 76.
§. VII. *Prædeſtinatio gratuita ex Patribus.* 80.
§. VIII. *Rationes pro Prædeſtinatione gratuita.* 87.
§. IX. *Contrariorum argumenta ex Scriptura, & Patribus.* 94.

§. X. *Solvuntur argumenta ex ratione.* 103.

DUBIUM QUARTUM.

De effectibus Prædeſtinationis.

§. I. *Quædam prænotantur.* 111.
§. II. *De ſubſtantia Prædeſtinati.* 112.
§. III. *De Donis ſupernaturalibus.* 114.
§. IV. *De malis naturæ, pænæ, & permiſſione peccati.* 116.

QUÆSTIO QUARTA.

De Reprobatione.

DUBIUM PRIMUM.

An ſit Reprobatio, & quid ſit?

§. I. *Deus aliquos reprobat.* 119.
§. II. *Quid ſit Reprobatio.* 121.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus reprobet ante, vel poſt præviſionem demeritorum?

§. I. *Error Calvini rejicitur.* 122.
§. II. *Recenſentur Opiniones.* 125.
§. III. *Reſolutio de Reprobatione poſitiva.* 126.
§. IV. *De Reprobatione negativa.* 127.
§. V. *Objecta contra dicta.* 130.

DUBIUM TERTIUM.

De effectibus reprobationis.

§. I. *Aliqua præmittuntur.* 134.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 135.
§. III. *Aliqua pro coronide reſolvuntur.* 136.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS DE DEO TRINO

SEU

DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIUM.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia Myſterii Trinitatis.

DUBIUM PRIMUM.

An Trinitas Perſonarum ſit in Deo?

§. I. *Recenſentur Errores.* 140.
§. II. *Trinitas ex Veteri Teſtamento.* 144.
§. III. *Trinitas ex Novo Teſtamento.* 149.
§. IV. *Anti-Trinitariorum argumenta ſoluta.* 152.

DUBIUM SECUNDUM.

De Unitate naturæ in Trinitate.

§. I. *Ariana Hæreſis.* 158.
§. II. *Verbi Divinitas ex Scripturis.* 161.
§. III. *Arianorum, ac Socinianorum momenta.* 172.
§. IV. *Trium priorum ſeculorum Patres Græci.* 177.
§. V. *Trium ſeculorum Patres Latini.* 182.

DUBIUM TERTIUM.

Varia circa Arianorum cauſam examinantur.

§. I. *De Concilio Nicæno primo.* 184.
§. II. *De voce Homouſion.* 185.
§. III. *De geſtis poſt Nicænam Synodum.* 189.
§. IV. *De aſſerto Oſii, & Liberii lapſu.* 191.

DUBIUM QUARTUM.

De Divinitate Spiritus Sancti.

§. I. *Hæreſis Macedoniana.* 196.
§. II. *Spiritus Sancti Divinitas ex Scripturis.* 197.
§. III. *Macedonianis reſpondetur.* 200.

DUBIUM QUINTUM.

An exiſtentia Trinitatis cognoſci poſſit?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 205.
§. II. *Solvuntur argumenta.* 207.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Divinis Proceſſionibus.

DUBIUM PRIMUM.

An in Divinis dentur reales Proceſſiones, & quot?

§. I. *Quædam prænotantur.* 212.
§. II. *Reſolutiones Dubii pro prima parte.* ibib.
§. III. *Solvuntur contraria.* 215.
§. IV. *De numero Divinarum Proceſſionum, quæ eſt ſecunda pars.* 218.

DUBIUM SECUNDUM.

De principio Divinarum Proceſſionum.

§. I. *Quædam pro intelligentia.* 221.
§. II. *An eſſentia Divinæ ſit principium* quo *proximum?* 222.
§. III. *An eſſentia, ſeu Natura Divina ſit principium* quo *radicale?* 224.
§. IV. *An principia* quo *proxima divinarum proceſſionum ſint relationes paternitatis, & ſpirationis activæ?* 226.

§. V.

§. V. *An principium quo proximum divinarum proceſſionum ſint intellectus, & voluntas?* 227.

DUBIUM TERTIUM.

An Verbi proceſſio ſit vera generatio?

§. I. *Generationis Idea.* 230.
§. II. *Generationis Idea applicatur Verbo Divino.* 231.
§. III. *Arianorum ratiunculæ contra generationem Filii.* 233.

DUBIUM QUARTUM.

Cur proceſſio Verbi generatio ſit?

§. I. *Referuntur, & refelluntur aliquæ opiniones.* 234.
§. II. *Ratio D. Thomæ.* 236.

DUBIUM QUINTUM.

Cur proceſſio Spiritus Sancti generatio non ſit?

§. I. *Ratio D. Thomæ ut congruentior eligitur.* 237.
§. II. *Solvuntur contraria.* 238.

QUÆSTIO TERTIA.

De Divinis Relationibus.

DUBIUM PRIMUM.

An in Deo ſint Relationes reales, & quot?

§. I. *Relationes reales in Deo ſtatuuntur.* 242.
§. II. *Solvuntur contraria.* ibid.
§. III. *Numerus Relationum Divinarum.* 245.

DUBIUM SECUNDUM.

An Relationes Divinæ diſtinguantur ab Eſſentia?

§. I. *Aliqua præmittuntur.* ibid.
§. II. *Aſſertiones.* 246.
§. III. *Solvuntur argumenta.* 248.

DUBIUM TERTIUM.

An relationes Divinæ ſecundùm expreſſum relativi dicant perfectionem propriam virtualiter diſtinctam à perfectione propria eſſentiæ divinæ?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 253.
§. II. *Fundamenta opinionis contrariæ.* 255.

DUBIUM QUARTUM.

An cuilibet relationi conveniat propria exiſtentia?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 257.
§. II. *Satisfit contrariis rationibus.* 259.

QUÆSTIO QUARTA.

De Divinis Perſonis in generali.

DUBIUM PRIMUM.

De nomine, & eſſentia Divinarum Perſonarum.

§. I. *Nomina varia Divinarum Perſonarum.* 261.
§. II. *Quid ſit Perſona in genere.* 264.
§. III. *Quô conſtituatur Perſona Divina.* 265.

DU-

DUBIUM SECUNDUM.

De Divinis ſubſiſtentiis.

§. I. *An in Deo ſint tres ſubſiſtentiæ relativæ?* 268.
§. II. *An in Deo præter tres ſubſiſtentias relativas, & proprias admitti debeat ſubſiſtentia abſoluta, & communis?* 269.

DUBIUM TERTIUM.

De proprietatibus Divinarum Perſonarum.

§. I. *De appropriatione.* 272.
§. II. *De Æqualitate Divinarum Perſonarum.* 273.
§. III. *De Circuminſeſſione.* ibid.
§. IV. *De Notionibus Perſonarum Divinarum.* 276.
§. V. *De Miſſione Divinarum Perſonarum.* 277.

QUÆSTIO QUINTA.

De Perſona Filii.

DUBIUM PRIMUM.

De propriis ſecundæ Perſonæ characteribus.

§. I. *De nomine Verbi.* 279.
§. II. *De nomine Imaginis.* 282.
§. III. *De nomine Sapientiæ.* 285.

DUBIUM SECUNDUM.

An Verbum Divinum procedat ex cognitione omnium, quæ in Deo ſunt, tàm formaliter, quàm virtualiter?

§. I.	*Notantur aliqua.*	287.
§. II.	*Aſſertio prima.*	ibid.
§. III.	*Aſſertio ſecunda de cognitione poſſibilium.*	289.
§. IV.	*Aſſertio tertia de Creaturis futuris.*	292.

QUÆSTIO SEXTA.

De Perſona Spiritus Sancti.

DUBIUM PRIMUM.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio?

§. I.	*Error Græcorum.*	293.
§. II.	*Spiritus Sancti à Patre, & Filio proceſſio ex Scripturis.*	296.
§. III.	*Probatur ex Patribus Græcis.*	298.
§. IV.	*Probatur ex Conciliis.*	302.
§. V.	*Probatur rationibus Theologicis.*	303.
§. VI.	*Græcorum rationibus reſpondetur.*	305.

DUBIUM SECUNDUM.

An particula *Filioque* jure addita fuerit Symbolo?

§. I.	*Aſſertio ſtabilitur.*	311.
§. II.	*Græcis opponentibus reſpondetur.*	312.
§. III.	*In qua Synodo vox* Filioque *addita fuerit.*	315.

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc à Filio realiter diſtingueretur?

§. I. *Noſtra Aſſertio.* 317.
§. II. *Scoti rationes ſolutæ.* 322.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 15. Februarii 1727.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Maria Mazzoleni Inquiſitor Generalis Bononiæ.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE DEO PROVISORE, ET PRÆDESTINANTE.

CÚm Prædeſtinatio ſit Providentiæ pars, nempe ſpecialis Providentia, quam Deus habet de hominum æterna ſalute; propterea ad Queſtionem de Dèo Prædeſtinante, ſeu de Prædeſtinatione Electorum, æquum duxi, præmittere Quæſtionem de Deo, ut generaliter Proviſore, ſeu de Providentia, quâ cuncta regit, ac gubernat. Ab hac tamen breviter nos expediemus, ut toti vacare poſſimus difficultatibus, quæ circa terrificum Prædeſtinationis arcanum adeò graves ſunt, ut ab iis humanum ingenium vix unquam potuerit extricari, niſi incomprehenſibilia Dei judicia, quocumque præhabito examine, tandem adorando. Hoc igitur & nos præſtabimus. Quæſtiones agitari ſolitas proponemus, examinabimus, & dùm in aliqua humanæ rationi impervia inciderimus, intellectum noſtrum in obſequium fidei per Divinum Verbum revelatæ humiliter captivabimus.

QUÆSTIO I.

De Divina Providentia in generali.

DE hac quærêmus primò, an in Deo ſit. Secundò, quodnam ſit ejus objectum. Tertiò, in quo formaliter reſideat, an in Intellectu, an in Voluntate.

DUBIUM I.

An in Deo ſit Providentia.

§. I.

Veritas aſſeritur, & probatur.

I. PRovidentia dicitur quaſi *procul videntia*, quia bonus Proviſor debet à longè videre, ſeu antevidere omnia, quæ ſunt convenientia, aut ſaltem neceſſaria rebus, quæ ei committuntur. Quare Providentia generaliter deſcribi poteſt, quòd ſit *ratio ordinandorum in finem*. Quia autem ordinare alia in finem, proprium prudentis eſt, ideò (docet D. Thomas *1. p. qu. 22. art. 1.*) Providentia ponitur Pars Prudentiæ, ad quam, ut perfecta ſit, *aliæ duæ partes ordinantur, ſcilicet memoria præteritorum, & intelligentia præſentium, pro ut ex præteritis memoratis, & præſentibus intellectis conjectamur de futuris providendis. Prudentiæ autem proprium eſt ſecundùm Philoſophum 6. Ethic. ordinare alia in finem, ſive reſpectu ſui ipſius, ſicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus ſuos ad finem vitæ ſuæ* (& eſt prudentia monaſtica) *ſive reſpectu aliorum ſibi ſubjectorum in familia* (quæ eſt prudentia æconomica) *vel Civitate* (& eſt prudentia politica) *vel Regno* (& eſt Monarchica). Hæc Divus Thomas.

II. Si verò Sèrmo ſit de Providentia, ut in Deo, eam dèſcribit S. Doct. laudato loco, quòd ſit *ratio Ordinis rerum in finem* in mente divina præexiſtens, dicèns, *Ipſa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur. Unde Boethius* 4. de conſo-

 lat.

Digitized by Google

lat. dicit: *quòd Providentia eſt ipſa divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, qua cuncta diſponit*. Ubi ly *ratio* idem eſt ac cognitio: ly *ordinis* indicat Providentiam eſſe ordinativam, & conſequenter practicam, quâ ſcilicet res ad ſuum finem practicè diriguntur: ly verò in *ſummo Principe* oſtendit, Providentiam Divinam eſſe partem prudentiæ politicæ, ſeu veriùs Monarchicæ. His præmiſſis

III. Dico. Providentia datur in Deo, qui non ſolùm eſt omnium Creator, & Conſervator, ſed omnium ſupremus Proviſor. Id paſſim teſtantur Sacræ Paginæ. Tùm Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, Providentia gubernat*. Tùm Pſalm. 148. v. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*. Super quæ D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 21. *Cùm addidit* (inquit) *quæ faciunt verbum ejus, ſatis oſtendit, earum quoque rerum ordinem divino ſubditum imperio*. Tùm denique omnibus illis in locis, quibus docemur, omnia Dei oculis patere, omnia ab eo gubernari, attingere à fine uſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter. *Sap. cap.* 8. *v.* 1.

IV. Rationes, quæ oſtendunt Divinam Providentiam, eædem ſunt ac quæ ejus exiſtentiam manifeſtant: idem namque eſt Deum exiſtere ac exiſtere ſupremum rerum Proviſorem. Quare ſicut omnis creatura clamat, Deum eſſe, ità ordo, qui in creaturis eſt, ſupremum Ordinatorem indicat, ac Proviſorem. Quod adeò altè mentibus hominum inſedit, ut nullus, qui Deum non negaverit, eum negaverit Proviſorem. Quapropter Gentiles, qui inter ſua falſa numina Divinitatem partiti ſunt, partiti ſunt quoque inter illa Providentiam, uni de una re, alii de alia, curam, & gubernationem tribuentes: ut de ſegetibus Cereri, de præliis Marti, Neptuno de mari, Junoni de aere, de Inferis Plutoni &c.

V. Ratio autem, quâ D. Thom. hâc *qu.* 22. *art.* 1. ſuadet hanc veritatem ſub hac forma proponitur. Deus eſt cauſa omnis boni, quod eſt in rebus; ſed in rebus invenitur bonum, non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam rerum, ſed etiam quantùm ad ordinem earum in finem, præcipuè in finem ultimum, qui eſt bonitas divina; ergo hujus ordinis cauſa debet eſſe Deus. Tunc ſic; ſed Deus eſt cauſa omnium per rationem, & ideam, cùm ſit agens per intellectum; ergo neceſſe eſt, ut ratio ordinis omnium rerum in finem præexiſtat in mente divina, ut in ordinante, & præcipiente illum, ſicut ratio ordinis domus in mente artificis præexiſtit; & conſequenter in Deo ſit Providentia, quæ, ut dictum eſt, ratio ordinandorum in finem propriè dicitur.

VI. Sed dices primò. Providentia ex dictis eſt pars prudentiæ; ſed prudentia in Deo eſſe non poteſt; ergo &c. Min. prob. Prudentia ſecundùm Ariſt. 6. *Etich. cap.* 3. eſt benè conſiliativa: conſilium autem ſupponit dubium, de quo oporteat conſultari; atqui in Deo nullum dubium eſſe, aut concipi poteſt; ergo &c.

VII. Reſpondeo, negando min., ad prob. nego abſolutè maj. cum Divo Thom. hâc *q.* 22. *art.* 1. *ad* 1.: quia *ſecundùm Philoſophum 6. Ethic. cap. 9. & 10. prudentia propriè eſt præceptiva eorum, de quibus Eubulia rectè conſiliatur, & Sineſis rectè judicat. Unde licèt conſiliari non competat Deo, ſecundùm quòd conſilium eſt inquiſitio de rebus dubiis: tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, ſecundùm illud Pſal.* 148. *v.* 6. præceptum poſuit, & non præteribit. *Et ſecundùm hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ*. Hæc D. Thomas.

VIII. Qui inſuper ſecundò reſpondet ſic. *Quamvis etiam dici poſſit, quòd ipſa ratio rerum agendarum conſilium in Deo dicitur: non propter inquiſitionem, ſed propter certitudinem cognitionis, ad quam conſiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur. Epheſ.* 1. *v.* 11.

Digitized by Google

1. v. 11. Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.

IX. Dices ſecundò. Quidquid eſt in Deo eſt æternum; ſed providentia non eſt aliquid æternum: eſt enim circa exiſtentia, quæ non ſunt æterna, ſecundùm Damaſc.; ergo providentia non eſt in Deo.

Reſpondeo, diſt. min., non eſt æterna quantùm ad executionem ordinis, conc. min., quantum ad rationem ordinis, nego min. Ità D. Thom. laudatus ad 2. *Ad curam* (inquit) *duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur Providentia: & diſpoſitio, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio, quorum primum eſt æternum, ſecundum temporale*. Ratio enim eorum, quæ in tempore fierent, & modus, quo fierent, in mente divina extitit ab æterno; & hoc eſt Providentia.

§. II.

An Providentia Dei ſit ſolùm ratio mediorum, an verò etiam finis.

X. Quæſitum hoc aliis & clarioribus terminis proponi poteſt: an ſcilicet ad Providentiam ſolùm pertineat, quòd unaquæque res ſit in ſuum finem ordinata, an verò ad eandem ſpectet, quòd res finem conſequatur.

Noto, ad præſens dupliciter nos loqui poſſe de fine. Vel de fine, ut purè unicuique rei præfixo, ut ad eum tendat, vel tendere debeat: ſic locus *deorſum* eſt finis præfixus, ad quem tendere debent corpora gravia: & vita æterna eſt finis, ad quem tendere debent, & ordinati ſunt omnes homines. Vel de fine, ut à Proviſore abſolutè volito, & intento. In quo Prædeſtinatio differt à Providentia generali: quòd per iſtam non ſemper res aſſequuntur eum finem, qui ipſis eſt à Proviſore propoſitus, ut ad eum tendant, etiamſi ſemper aſſequantur illum, quem Proviſor intendit, eas conſequi; Per illam verò omnes conſequuntur eum finem, ad quem ſunt ordinatæ, & ad quem tendere debent, tanquam ſibi præfixum.

XI. Dico ergo. Providentia Dei ſemper finis conſecutionem includit, vel finis rei præfixi, vel finis à Deo intenti. Probatur primò. Providentia Dei eſt perfectiſſima, & efficax; ergo rebus ità media ſubminiſtrat, ut illum, quem vult, infallibiliter conſequantur. Unde Eccleſia *Dominicâ 5. poſt. Oct. Trinitatis* canit: *Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur*.

Secundò. Alioquin ſequeretur, multa Deo evenire fortuitò, ſi eum finem conſequerentur, ad quem non eſſent à Deo ordinata, & ab eo, ad quem ipſe ordinaverat, exciderent.

Tertiò. Divinæ providentiæ executio impediri non poteſt, neque per aliquam vim activam, neque per paſſivam, neque per Proviſoris mutationem, cùm ſit Deus Proviſor prorsùs immobilis; quare D. Thom. hâc 1. *p. qu.* 116. *art.* 3. reprehendit eos (qui dicebant, Fatum eſſe mobile, etiam quatenus à Divina Providentia dependet: Unde Ægyptii dicebant, quibuſdam Sacrificiis Fatum poſſe mutari) hâc ratione, *quia hoc immobilitati divinæ providentiæ repugnat*.

Quartò. Quia idem S. Thomas hâc *qu.* 22. *art.* 2. docet, quòd neceſſe eſt, omnia in quantum participant eſſe, in tantum ſubdi divinæ Providentiæ; ergo & ipſum eſſe, ſeu conſecutio finis ſub ordine divinæ Providentiæ concluditur.

XII. Dices tamen primò. Providentia Dei reſpicit etiam Reprobos, eos ad finem ſupernaturalem ordinando, quem tamen non conſequuntur; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. ant., ad finem ſupernaturalem, ut ad finem eis propoſitum, conc. ant., ut ad finem eis à Proviſore intentum, nego ant. Ut enim ſuperiùs adnotavimus: cùm dicimus, Divinam Providentiam includere conſecutionem finis, non loqui-

Digitized by Google

mur de fine rei proviſæ, vel rei præfixo: ſed de fine à Proviſore intento; & ſic Providentia eſt ratio ordinis rerum in finem, non in finem, ad quem res tendunt, ſed in finem, ad quem à Proviſore ordinantur. Reprobi autem, etſi excidant à fine proprio ſui, qui eſt Beatitudo, incidunt tamen in finem ipſis à Deo intentum, qui eſt manifeſtatio divinæ juſtitiæ: unde ait Paulus Rom. 9. v. 22. quòd *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum.*

XIII. Dices ſecundò. Imperator ſufficienter providet exercitui, ſi omnia diſponat, quæ ad victoriam pertinent, etiamſi illa non ſequatur; ergo &c.

Reſpondeo, nego conſeq. Et diſparitas eſt, quia uniuſcujuſque providentia in tantum ſe extendit, in quantum ſe extendit ejus potentia. Quia ergo potentia Imperatoris terreni ſe extendit quidem ad media, non tamen ad conſecutionem victoriæ: non enim poteſt eam pro libito ſuo adipiſci; Ideò ejus providentia, ſicut & cæterorum hominum, ſiſtit in ſolis mediis, & non includit conſecutionem finis. At Potentia Dei etiam ad finis conſecutionem, & ad quodcumque in eſſe ponendum, ſeſe extendit: in ejus enim poteſtate, & voluntate eſt, quòd res ab ipſo proviſæ ſuum finem conſequantur; & ideò ſub Dei Providentia etiam finis aſſecutio concluditur.

DUBIUM II.

An omnia ſint ſubjecta Divinæ Providentiæ.

§. I.

De ſingularibus corruptibilibus.

I. Quæſitum primò complectitur, an omnia ſubjecta ſint divinæ Providentiæ, non ſolùm genera, & ſpecies rerum, ſed etiam individua quæcumque vilia, & corruptibilia. Secundò, an ſolæ cauſæ neceſſariæ, an etiam liberæ. Tertiò, de cauſis liberis, an ſolùm dùm benè agunt, an verò etiam dùm peccant, ità, ut peccata cadant ſub Providentia Dei.

Quidam (refert D. Thom. hâc qu. 22. art. 2.) *totaliter Providentiam negaverunt, ſicut Democritus, & Epicurei, ponentes, mundum factum eſſe à caſu. Quidam verò poſuerunt, incorruptibilia tantùm providentiæ ſubjacere: corruptibilia verò, non ſecundùm individua, ſed ſolùm ſpecies: ſic enim incorruptibilia ſunt.* Ex *quorum perſona dicitur Job. 22. v. 14.* Nubes latibulum ejus, & circa cardines Cœli perambulat, neque noſtra conſiderat. *A corruptibilium autem generalitate excipit Rabbi Moyſes homines, propter ſplendorem intellectus, quem participant. In aliis tamen individuis corruptibilibus aliorum opinionem eſt ſecutus.* Ità D. Th.

II. Dico primò. Omnia creata, non ſolùm genera, & ſpecies, ſed etiam ſingularia corruptibilia, quantumvis minima, & vilia Dei Providentiâ gubernantur. Probatur primò ratione D. Thomæ hôc *art.* 2. ſic. Tantùm ſe extendit divina Providentia, quantùm divina cauſalitas; ſed divina cauſalitas ſe extendit ad omnia creata, non ſolùm genera, & ſpecies, ſed & individua, quamvis corruptibilia, & viliſſima: cùm omne, quod participat eſſe quocumque modo, à Deo ſit; ergo omnia &c. Maj. probatur. Cùm Deus ſit agens propter finem, oportet, ut quidquid agit, etiam ordinet illud ad aliquem finem; ergo quòd in eo exiſtat ratio ordinis in finem omnium eorum, quæ agit, juxta illud Pauli Rom. 13. v. 1. *quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt;* hæc autem ratio ordinis rerum in finem eſt Providentia; ergo &c.

III. Confirmatur. Quòd aliquid non conſequatur finem, propter quem ab agente factum eſt, ſeu ad quem eſt ordinatum, contingit, quia effectus ille conſequitur ex aliqua alia cauſa, præ-

Digitized by Google

præter intentionem agentis; ergo, cùm nihil poſſit effugere cauſalitatem Dei, nihil poterit effugere ejus ordinationem. Maj. explicatur. In tantum enim media ordinata à Duce ad victoriam, hanc ſæpe non conſequuntur, quia victoria pendet ab aliqua alia cauſa, præter intentionem Ducis.

IV. Secundò prob. aliâ ratione Divi Thomæ. Deus cognoſcit omnia, nedum univerſalia, ſed & ſingularia, quæcumque ſint; ergo omnium rationem, & ordinem in ſe habet. Conſeq. prob. nam cognitio Dei comparatur ad res, ſicut cognitio artis ad artificiata; ſed omnia artificiata ſubduntur ordini artis; ergo omnia creata ſubduntur ordini divinæ cognitionis.

V. Verùm omnia, etſi minima, etſi vilia, à Divina regi Providentia, apertè oſtendit Chriſtus *Matth. 6.*, ubi ex cura, ac providentia, quam habet de paſſeribus, volatilibuſque cæteris, de liliis, de fæno agri, arguit, quantò majorem Providentiam habet de hominibus, quos propterea adhortatur, ne ſoliciti ſint. *Reſpicite* (inquit) *volatilia Cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?... conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.... Si autem fænum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei.* Quæ repetit *Luca 12. v. 22. &c.* Et *Matth. 10. à v. 29.* eandem Dei curam extendens ad paſſeres, & capillos: *nonne* (inquit) *duo paſſeres aſſe veneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos.*

VI. Super quæ Auguſtinus lib. 5. *de Geneſ. ad litter. cap. 21.* ait: *Quod ore ſuo Salvator dicit, unum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate, & quòd fænum agri, poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: nonne confirmat, non ſolùm totam iſtam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verùm etiam viliſſimas ejus, abjectiſſimaſque particulas divinâ providentiâ regi?* Videri poteſt ibid. *cap. 20.*, & *22.: lib. 1. retract. cap. 1. 2. & 3.: lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. 10. & 11.: lib. 7. cap. 29. & 30.: lib. 19. cap. 12.: & lib. 10. cap. 14.*, ubi eandem Dei ad ima quæque Providentiam agnoviſſe Plotinum Platonicum ex floſculorum, & foliorum pulchritudine, tradit.

VII. Accedunt S. Cyrillus lib. 5. *Theſauri cap. 2.* dicens: *Quòd ſi putatis indecens, ad minima quæque Dei Providentiam deſcendere, erubeſcatis aliquantulum, quæſo, audientes Chriſtum: nonne duo paſſeres &c.* & *lib. 12. cap. 14.* aſſerens, naturæ Deitatis proprium eſſe, ut omnia contineat, atque gubernet, res etiam dejectas, atque humilliſſimas. Cui ſubſcribunt Ambroſ. *lib. 1. de offic. cap. 13. 14. & 15.*, Chryſoſtomus *libris ſex de Providentia.*

Sanctus item Hieronymus, qui in cap. 10. Matth. *ſi* (inquit) *parva animalia, & vilia abſque Deo auctore non decidunt, & in omnibus eſt Providentia &c.* Et in cap. 32. Hierem. *ſunt* (ait) *qui Providentiam Creatoris uſque ad rationalia confitentur, bruta autem fortuitis caſibus aſſerant, vel perire, vel vivere. Propheticus ſermo declarat, nihil eſſe, quod fugiat providentiam, & ſcientiam Dei, quia alia propter ſe, alia in uſum hominum ſunt creata.*

VIII. His tamen non obſtantibus Mariana *lib. 2. de morte, & immortalitate cap. 13.* non vult, Deum ſigillatim definire bona opera, ut ſingula ſuo ordine, loco, & tempore fiant. Pleraque enim, inquit, noſtro relinquuntur conſilio, à quo & definitionem recipiunt; atque ità judicandum cenſet de minutis aliis, tùm rebus, tùm actionibus, citans ad hoc S. Thomam 1. *p. qu. 23. art. 7.* dicentem, quòd Deus in ſua providentia culicum,

Digitized by Google

cum, & muſcarum numerum non definierit.

IX. Cæterùm Deum omnia quamvis minima providere, & curare, ac ab æterno præfiniiſſe omnes res eo modo, loco, tempore, & ordine futuras, quo fiunt, tenendum eſt. Quoad actiones enim noſtras jam Tractatu præcedente dictum eſt, & ſtatim dicetur. Quoad alia vero, teſtantur Script., & PP. Scriptura quidem: Nam Sapientiæ 11. Deus *omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuit;* atque (ut ait Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 11., & *lib.* 5. *de Geneſ.* ad litter. cap. 22.) *Ab ipſo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, menſura, numerus, pondus.* Et *tract.* 102. in Joann. *Omne tempus* (inquit) *& quid, & quando faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſt diſpoſitum, qui tempori ſubditus non eſt: quoniam, quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei Sapientia cauſas efficientes habent.* Et *lib.* 5. *Confeſſ.* cap. 9. *Etiam faciendorum ordinem Deus prædeſtinat.* Idem Bernardus *Tract.* de gratia: *Nihil horum evenit, quod non, pro ut vult, potenti præordinet voluntate.* Et D. Athanaſ. *Apologia* de fuga ſua: *Tempus* (inquit) *mortis noſtræ à Deo eſt definitum.*

X. Doctrinam hanc variis in locis tradidit D. Tho. Quolibet. 12. art. 4. ità loquitur: *Omnia ſunt à Dei Providentia prædeterminata, & ordinata. Quæſt.* 3. *de verit. art.* 1., & in 1. *diſt.* 36. *qu.* 2. *art.* 1. citans verba D. Dionyſ. cap. 5. de Divin. Nomin. *Exemplaria* (inquit) *dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificatas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas, ac bonas voluntates exiſtentium prædeterminativas, & effectivas, ſecundùm quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit, ac produxit.* Quæ Dionyſii verba uſurpavit quoque S. Joann. Damaſc. *Orat.* 1., *&* 3. *de Imaginibus.*

Rursùs 1. *p. qu.* 116. *art.* 1. ait, *quæ hìc per accidens aguntur, ſive in rebus naturalibus, ſive humanis reducuntur in aliquam cauſam præordinantem, quæ eſt providentia divina;* & poſt pauca, ſubdit: *Sic igitur in quantum omnia, quæ hìc aguntur, tanquam per eam ordinata, & prælocuta, fatum ponere poſſumus.* Idem *lib.* 3. *contragentes cap.* 76., *qu.* 6. *de Verit. cap.* 6.

XI. Quæ cùm ità ſint, miror, quâ conſcientiâ Mariana potuerit S. Doctorem in ſuam trahere opinionem. Nec locus allatus *ex* 1. *part. qu.* 23. *art.* 7. ipſum juvat: advertere enim debuiſſet, S. Thomam ibi non negare numerum boum, culicum &c. eſſe præordinatum, ſed tantùm negare, eſſe præordinatum *per ſe.* Verba S. Doctoris hæc ſunt: *licet Deus ſciat numerum omnium individuorum: non tamen numerus vel boum, vel culicum, vel aliquorum hujuſmodi eſt per ſe præordinatus à Deo.* Et hoc ideò, quia individua materialia, & corruptibilia, eorumque numerus, non eſt intentus, niſi propter ſpeciem, ejuſque conſervationem: numerus autem eorum, quæ non propter ſe, ſed propter aliud requiruntur, non per ſe præordinatur, ſed pro quanto neceſſarius eſt ad illud, propter quod eſt: *Sicut* (inquit) *ædificator excogitat determinatam menſuram domus, & etiam determinatum numerum manſionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum menſurarum parietis, vel tecti. Non autem eligit determinatum numerum lapidum; ſed accipit tot, quot ſufficiunt ad implendam tantam menſuram parietis.* Hæc D. Thom., quæ præmiſerat, ut concluderet, quòd *certus eſt Deo numerus Prædeſtinatorum, non ſolùm per modum cognitionis, ſed etiam per modum cujuſdam principalis præfinitionis. Non ſic autem omnino eſt de numero Reproborum, qui videntur eſſe præordinati à Deo in bonum Electorum.* Sicut ergo non negat, Reprobos eſſe præordinatos, ſed ſolùm propter ſe, eo modo, quo ſunt præordinati Electi; ità non negat, numerum boum eſſe à Deo præordinatum, ſed ſolùm propter ſe, eo modo, quo præordinatæ ſunt ſpecies,

Digitized by Google

cies, earumque numerus, quæ ſunt partes principales univerſi.

§. II.

Objecta contra dicta.

XII. **P**Rimò objici poteſt. Nullum proviſum eſt fortuitum; Si ergo omnia ſunt proviſa à Deo, nihil erit fortuitum: & ſic perit caſus, & fortuna; quod eſt contra communem opinionem.

Reſpondetur, diſt. ant., nullum proviſum eſt fortuitum reſpectu Proviſoris, conc. ant., reſpectu aliorum, nego ant., & diſt. conſeq., reſpectu Dei, conc. conſequentiam, reſpectu noſtri, nego conſ. Reſponſio eſt D. Th. hôc *art.* 2. *ad* 1. Fortuitum, & caſuale eſt, quod ſubterfugit, vel evenit præter ordinem, & intentionem cauſæ. Licèt autem aliquid poſſit ſubterfugere ordinem, & evenire præter ordinem cauſæ, & proviſoris particularis, qualis eſt homo, aut quævis creatura; nil tamen poteſt ſubterfugere, & evenire præter ordinem, & intentionem Cauſæ, & Proviſoris generalis, qualis eſt Deus. Et ratio eſt, quia in tantum aliquid ſubterfugit, & evenit præter ordinem cauſæ particularis, quatenus per aliam cauſam particularem impeditur, ſicut lignum impeditur à combuſtione per actionem aquæ; ſed cauſa univerſalis, qualis eſt Deus, à nulla cauſa particulari impediri poteſt, cùm omnes cauſæ particulares concludantur ſub ordine cauſæ univerſalis, nec ab eo poſſint exire; Id ergo, quod fortuitum, & caſuale eſt nobis, à Deo eſt ordinatum, & proviſum (quod hoc exemplo explicat S. Thom.) *ſicut concurſus duorum ſervorum, licèt ſit caſualis quantùm ad eos: eſt tamen proviſus à Domino, qui eos ſcienter ſic ad unum locum mittit, ut unus de alio neſciat.*

XIII. Objicies ſecundò. Quæ ex neceſſitate eveniunt, providentiam, ſeu prudentiam non requirunt, cùm prudentia ſecundùm Philoſophum 6. *Ethic.* ſit recta ratio contingentium, de quibus eſt conſilium, & electio; ſed multa ex neceſſitate in rebus eveniunt; ergo non omnia providentiæ ſubduntur.

Reſpondetur, diſtingu. maj. cum D. Thoma laudato *ad* 3., non requirunt prudentiam humanam, con. maj., divinam, nego maj. *Homo* (inquit) *non eſt inſtitutor naturæ, ſed utitur in operibus artis, & virtutis ad ſuum uſum rebus naturalibus. Unde prudentia humana non ſe extendit ad neceſſaria, quæ ex natura proveniunt: ad quæ tamen ſe extendit Providentia Dei, qui eſt auctor naturæ. Et ex hac ratione videntur moti fuiſſe, qui curſum rerum naturalium ſubtraxerunt divinæ Providentiæ, attribuentes ipſum neceſſitati materiæ, ut Democritus, & alii naturales antiqui.*

XIV. Objicies tertiò. Paulus 1. Cor. 9. v. 10. *Nunquid* (ait) *de bobus cura eſt Deo?* Et Habacuc cap. 1. v. 14. *Et facies* (inquit) *homines* (impios) *quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem.* Super quæ D. Hieronymus ait: *Cæterum abſurdum eſt deducere Dei majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur.* Et quidem indignum videtur magno Principe, quod ad minima quæque, ac viliſſima deſcendat.

Reſpondetur ad ſingula. Ad primum dico, Apoſtolum non negare abſolutè, Deum habere curam de bobus, ſed ſolùm habere eam curam de illis, quam de hominibus habet, ſcilicet principalem, & propter illos. Affert enim ibi textum veteris teſtamenti (Deuteron. 25. v. 4.) *Non alligabis os bovi trituranti.* Quo textu indicare voluit Paulus, Deum loquendo de bobus, attendiſſe præcipuè ad Eccleſiæ Miniſtros, qui (ſicut boves triturantes habent jus accipere de frugibus, quas terunt) ità & multò magis jus habent accipiendi, quæ ad victum ſibi neceſſaria ſunt ab eis, quibus ſpiritualia largiuntur. Unde ſub-

dit

Digitized by Google

dit: *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt .... ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Rationem autem, quare Deus ſpecialem curam de hominibus habeat, aſſignat D. Thom. *art.* 2. ſæpe relato *ad* 5., quòd quia *creatura rationalis per liberum arbitrium habet dominium ſui actus... ſpeciali quodam modo ſubditur divinæ Providentiæ; ut ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritum; & reddatur ei aliquid, ut pœna, vel præmium. Et quantùm ad hoc curam Dei Apoſtolus à bobus removit: non tamen ità, quòd individua irrationalium creaturarum ad Dei Providentiam non pertineant, ut Rabbi Moyſes exiſtimavit.*

Ad id, quod dicitur ex Habacuc dico, Prophetam ſolùm velle, piſces, & reptilia à cura Dei ſpeciali, & propter ſe removeri, eo modo, quo impiis curam ſuam ſpecialem ſubtrahit; quis autem neget, impios à Providentia Dei prorsùs excludi?

De mente verò S. Hieronymi ſatis conſtat ex ſuperiùs dictis. Quare allatis verbis non negat abſolutè providentiam, & ſcientiam reſpectu culicum, nullus enim eorum eſt in oblivione coram Deo: Sed ſolùm aſſerit, de culicibus eam Providentiam non habere, quam habet de hominibus. *Non ſimus* (ait Hieron.) *tam fatui adulatores Dei, ut dùm potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium, providentiam eſſe, dicentes.* Loquebatur autem contra librum quendam Apocryphum, qui reptilibus piſcibus, univerſiſque beſtiis, & arboribus Angelos in cuſtodiam aſſignatos eſſe, dicebat.

Ad id, quod poſtremò additur, dico, verum eſſe de illo, qui dùm curat minima, diſtrahitur à cura majorum, quales ſunt Principes terreni: non autem de Deo, qui uno actu curat & minima, & maxima, nec per curam unius à cura alterius impeditur.

§. III.

De Cauſis Liberis.

XV. Dico ſecundò. Cauſæ liberæ, & earum actiones ſubſunt (& quidem præcipuè) divinæ providentiæ eas ordinanti, & præfinienti. Aſſertio hæc manet probata *in tract. præcedente*, quo etiam circa actiones liberas admiſimus decreta efficacia, & eas præfinientia abſque læſione libertatis. Ad præſens autem probatur ex ſuperiùs laudato teſtimonio Chriſti, qui, poſtquam ait, Dei Providentiam ad minima quæque, ac vilia ſe extendere, intulit citato loco, *Nonne vos magis pluris eſtis illis? ... quantò magis vos modicæ fidei.* Hoc idem probant Scripturæ, quæ dicunt, Deum remuneraturum opera hominum, aut puniturum; quibus oſtenditur, humanas actiones eſſe ſub Dei poteſtate, ſi eas judicaturus eſt. *Ipſe* etiam *eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Philipp. 2. v. 13. Unde idem Paulus Hæbr. 13. v. 20. 21. *Deus autem pacis*, inquit, ... *aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum.* Quibus apparet, Deum ab æterno præordinaſſe, ac præfiniiſſe cauſarum liberarum operationes.

XVI. Neque dicas, eas quidem ab æterno determinaſſe, ſed non ante prævisionem determinationis cauſæ liberæ creatæ. Contra enim eſt. Quomodo determinatio cauſæ prævideri poteſt determinatè futura, ſi, ut ſuperiùs probatum eſt, à determinatione Dei cauſatur? nunquid effectus poteſt prævideri determinatè futurus, ante exiſtentiam ſuæ cauſæ? *Hoc ipſum* (ait D. Thom. 1. p. q. 105. a. 1. ad 3.) *quòd cauſa ſecunda ordinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo.*

Ex hoc autem læſionem libertatis non ſequi, oſtendit idem S. Doctor citatus *art.* 4., & alibi ſæpè, ut fuſo cala-

calamo ſupra probavimus. Hinc *Act.* 2. *v.* 23. Chriſtus dicitur *definito conſilio, & præſcientia Dei traditus*, ut crucifigeretur. Et *cap.* 4. *v.* 28. dicitur de Deo, quòd Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & Populis multis convenerunt facere, *quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri;* Cùm tamen Chriſtus ab Iſaia 53. *v.* 7. dicatur *oblatus, quia ipſe voluit*.

Inſuper *Epheſ.* 3. *v.* 10. Paulus dicit, datam ſibi gratiam, ut evangelizando, notam faceret multiformem ſapientiam Dei *ſecundùm præfinitionem* ſeculorum; cùm tamen ipſe eam liberè prædicaret. Item Act. 13. v. 48. *crediderunt* (utique liberè) *quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Et cap. 22. v. 14. *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres* (non quia prævisus fueras cogniturus) *voluntatem ejus &c.*

§. IV.

Objecta proponuntur.

XVII. Primò objicies. Quicumque dimittitur in manum conſilii ſui, non ſubjacet Providentiæ alicujus gubernantis; ſed homo dimiſſus fuit à Deo in manum conſilii ſui: *Eccleſiaſtici* 15. *v.* 14.; ergo &c.

Confirmatur. Providentia, quæ immobiliter omnia præordinaverit, deſtruit libertatem; ergo non datur circa cauſas liberas.

Reſpondeo ex D. Tho. 1. p. qu. 22. art. 2. ad 4., *quòd in hoc, quòd dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à Divina Providentia, ſed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm, quaſi ab altero directa in finem, non autem ſeipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt: unde ſignanter dicit* in manu conſilii ſui. *Sed quia ipſe actus liberi arbitrii reducitur in Deum, ſicut in cauſam, neceſſe eſt, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, Divinæ Providentiæ ſubdantur. Providentia enim hominis continetur ſub Providentia Dei, ſicut cauſa particularis ſub cauſa univerſali.* Hæc D. Thom.

Ad confirm. nego antecedens. Imò cauſat, & facit libertatem, ut ſuperius abunde probatum eſt. Interim audiatur D. Thomas 1. *p. q.* 116. *a.* 3., ubi quærens, an Fatum ſit immobile. *Fatum* (inquit) *ſecundùm conſiderationem cauſarum ſecundarum mobile eſt; ſed ſecundùm quòd ſubeſt Divinæ Providentiæ immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ, ſecundùm quòd dicimus; hanc conditionalem eſſe veram, vel neceſſariam: Si Deus præſcivit, hoc futurum, erit.*

XVIII. Secundò objicies. Boni ſæpe affliguntur, mali autem proſperantur; ergo circa iſtos non eſt Providentia, aliàs foret injuſta.

Confirmatur. In his, quæ Providentiâ aguntur, diverſa diverſis attribuuntur; ſed in rebus humanis eadem bonis, & malis eveniunt. Eccleſiaſtes 9. v. 2. *univerſa æquè eveniunt juſto, & impio, bono, & malo;* Ergo res humanæ Providentiâ non reguntur.

Reſpondeo, non injuſtè, ſed ſapientiſſimè ſummum Proviſorem pios, ac bonos affligere, & malos ſæpe ditare proſperis. Affligit bonos, vel ut eorum virtus adverſis probata illuſtrior fiat, ut in Job, Tobia, aliiſque, & ex eorum patientia occaſionem ſumat magis præmiandi eorum merita. Vel ut boni iis miſeriis, & afflictionibus cautiores, & humiliores reddantur: ſic Apoſtolus, ne revelationibus, ac miraculis extolleretur, permiſſus eſt à Satana colaphizari. Vel tandem ut boni edoceantur, ſeculum hoc tot aſperſum malis non eſſe diligendum, ſed alterum ſolicite deſiderandum. = Malos autem aliquando bonis cumulat in hac vita, quia nullus eſt ità malus, ut non faciat aliquod opus moraliter bonum, quod eſto vitam æter-

Digitized by Google

nam non promereatur, Deus dat tamen pro eo remunerationem temporalem. Quare Romanis amplum imperium, ob virtutum moralium aliquam ſpeciem, quæ præ cæteris Gentibus in eis eminebant, dediſſe, affirmat Sanctus Auguſtinus *lib. 5. de Civit. Dei cap. 12.* In hoc tamen juſtitia Divinæ Providentiæ ſuper bonos, & malos finaliter apparebit, quatenus iis non permittet aliquid evenire, quod eorum æternam ſalutem impediat: iſtis autem, quia bonis ſibi in hac vita conceſſis abutentur, major pœna erit damnatio.

Ad confirmat. Reſpondeo cum Divo Thoma *qu. 5. de verit. art. 5. ad 6.*, quòd *quamvis videatur nobis, quòd omnia æqualiter bonis, & malis accidant, ex hoc, quòd neſcimus, qua de cauſa Divina Providentia ſingula diſpenſet, non eſt tamen dubium, quin in omnibus bonis, & malis, quæ eveniunt, ſive bonis, ſive malis, ſit recta ratio, ſecundùm quam Divina Providentia omnia ordinat. Et quia eam ignoramus, videtur nobis, quod inordinatè, & irrationabiliter eveniant. Sicut ſi aliquis intraret Officinam Fabri, videretur ei, quòd inſtrumenta fabrilia eſſent inutiliter multiplicata, ſi neſciret rationem utendi unoquoque, quorum tamen multiplicatio ex cauſa rationabili apparet ei, qui virtutem artis intuetur.*

XIX. Tertiò obiicies. Dùm Communitas, Reſpublica, aut Regnum propter peccata affligitur, affliguntur quoque innocentes; ſed injuſti Proviſoris eſſet cum reis innocentes punire; ergo hæc ex Dei Providentia non eveniunt.

Reſpondeo, quòd, cùm quilibet homo ſit pars communitatis, & pars ſequatur bonam, vel malam ſortem ſui totius, ſicut in felicitate communitatis communicant omnes tùm boni, tùm mali: ita omnes in ejuſdem ærumnis communicare, æquum eſt. In hoc tamen ſemper relucet Providentia Dei, quòd ſicut felicitas temporalis, quâ, conſideratione bonorum, mali, eſto indigni, fruuntur, terminatur tandem ad eorum damnationem æternam: ità ærumnæ temporales, quibus, occaſione malorum, boni affliguntur, concurrunt ad majorem bonorum ſanctificationem, & tandem ad æternam eorumdem ſalutem.

§. V.

De Peccatoribus, & Peccatis.

XX. Dico tertiò. Peccatores ſubduntur Providentiæ Dei. Prob. primò, quia eos ordinavit ad ſupplicium, tùm in hac vita ſubeundum, cùm propter peccata veniant adverſa. Tùm, ni reſipuerint, in vita futura eos in æternum puniendo. Secundò, quia, ut inferiùs dicam, eſto ad particularem Proviſorem pertineat defectus impedire, quantùm poteſt, tamen ad univerſalem Proviſorem pertinet, non ſolùm bona velle, & aliquos ad debitum finem ordinari: ſed etiam in aliquibus mala, & defectus permittere, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi, & ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ. Unde S. Auguſtinus in *Enchiridio cap. 10.*, poſtquam oſtendit, omnia bona à Deo eſſe, *quia ex omnibus conſiſtit univerſitatis admirabilis pulchritudo*; de malis ſubdit: *In qua etiam illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & loco ſuo poſitum, eminentiùs commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora ſint, dùm comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam Infideles fatentur, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, ut benè faceret etiam de malis.*

XXI. Confirmatur ex S. Thoma *qu. 5. de verit. art. 7.*, ubi hanc quæſtionem reſolvit primò, *nullus punit juſtè eos, qui non ſunt de ſuo regimine; ſed Deus juſtè punit malos, pro his, in quibus peccant; ergo ipſi ejus regimini*

Digitized by Google

gimini ſubjiciuntur. Ità in argumento *ſed contra*.

In Corp. verò articuli docet, quòd *Divina Providentia ſe extendit ad homines dupliciter: uno modo, in quantum ipſi providentur; alio modo, in quantum ipſi providentes fiunt. Ex hoc autem, quòd providendo deficiunt, vel rectitudinem ſervant, boni, vel mali dicuntur: ex hoc autem, quòd providentur à Deo, eis bona, vel mala præſtantur, & ſecundùm quòd ipſi diverſimodè ſe habent in providendo, diverſimodè providetur eis à Deo. Si autem rectum ordinem in providendo ſervant, & in eis Divina Providentia ordinem ſervat congruum humanæ dignitati, ut ſcilicet nihil eis eveniat, quod in eorum bonum non cedat, & quòd omnia, quæ eis proveniunt, eos in bonum promoveant, ſecundùm illud Rom. 8. v. 28.:* diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Si autem providendo, ordinem non ſervant, quod congruit creaturæ rationali, ſed provideant ſecundùm modum brutorum animalium; & Divina Providentia de eis ordinabit ſecundùm ordinem, qui brutis competit: ut ſcilicet ea, quæ in eis, vel bona, vel mala ſunt, non ordinentur in eorum bonum proprium; ſed in bonum alienum, ſecundùm quòd in Pſal. 48. v. 13. dicitur:* homo, cùm in honore eſſet, non intellexit &c. *Ex hoc patet, quòd altiori modo Divina Providentia gubernat bonos, quàm malos: mali enim dùm ab uno ordine Providentiæ exeunt, ut ſcilicet Voluntatem Dei non faciant, in alium ordinem dilabuntur, ut ſcilicet de eis Divina Voluntas fiat, ſed boni quantùm ad utrumque ſunt in recto ordine Providentiæ.* Quæ pulchra S. Doctoris doctrina benè conſideranda eſt.

XXII. Dico quartò. Peccata ipſa non ſunt extra ordinem Divinæ Providentiæ, non quidem tanquam proviſa, ſed tanquam permiſſa, & de quibus provideat. Prima pars certa eſt, quia providere Dei eſt procurare, & efficere: providet enim Deus, in quantum eſt cauſa rerum, & eò ſe extendit ejus Providentia, quò ejus cauſalitas: ut ſupra diximus ex D. Thom.; & *lib. 3. contragentes cap. 75.* etiam docet; unicuique autem Orthodoxo certum eſt, Deum nec procurare, neque cauſare peccata.

Secunda autem pars probatur. Deus enim peccata permittit fieri, eaque, licèt, à ſe non proviſa, præviſa tamen, ordinat ad majus bonum, quàm ſit malum, quod permittit. Porro eſto peccatum permiſſum bonum non ſit, permiſſio tamen ipſa bona eſt, & ità Deus illam vult, & malum permiſſum ordinat in bonum: *Ordinare* enim *malum in bonum, hoc non contrariatur bonitati* (ait D. Thom. *qu. 5. de verit. art. 4. ad 10.*) *& ideò permittere malum propter aliquod bonum inde elicienddum Deo attribuitur*. Quapropter idem S. Doctor citatâ *qu. 5. de verit. art. 4. ad 1.* duplicem in Deo diſtinguit Providentiam: unam *approbationis*, quâ à Deo providetur id, quod aliquomodo à Deo fit: alteram *conceſſionis*, ſeu permiſſionis; unde (concludit) *malum, quod non eſt à Deo, non cadit ſub providentia approbationis, ſed conceſſionis tantùm*.

§. VI.

Solvuntur Objecta.

XXIII. Primò arguitur. Illud, quod ſibi relinquitur, non gubernatur ab alio; ſed mali ſibi relinquuntur: Pſalm. 80. v. 15. *dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum;* ergo mali per Providentiam non gubernantur.

Confirmatur. Ad Providentiam, quâ Deus homines gubernat, pertinet, quòd eis Angelorum Cuſtodiam adhibeat; ſed Angeli cuſtodientes quandoque homines relinquunt, ex quorum voce Hierem. 51. v. 9. *curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus;* ergo mali Divinâ Providentiâ non gubernantur.

Digitized by Google

Reſpondeo ex D. Thom. *qu. 5. de verit. art. 7.* ad primum, *quòd ſecundùm hoc Deus dicitur derelinquere malos, non quòd omnino ſint ab ejus Providentia alieni, ſed quia eorum actus non ordinat in eorum promotionem, & præcipuè quantùm ad Reprobos*; & eâdem ratione dicitur Pſalm. 33. v. 16. quòd *oculi Domini* ſint *ſuper juſtos*, ob ſpecialem modum Providentiæ, *quæ repromittitur juſtis in præmium*, ut ait idem S. Thom. *ibi ad* 3.: ubi malis deſtinatur pœna; quare ſubditur v. 17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Ad confirm. reſpondeo cum D. Tho. laudato ad 2., *quòd Angeli, qui ſunt deputati hominibus ad cuſtodiam, nunquam totaliter hominem dimittunt: ſed dicuntur dimittere, in quantum ex juſto Dei judicio permittunt, eum cadere in culpam, vel pœnam.* Videatur Sanctus Doctor 1. *p. qu.* 113. *art. 6.*

XXIV. Secundò arguitur. Omnis ſapiens Proviſor excludit defectus, & mala, quantùm poteſt, ab his, quorum curam gerit; aut ergo Deus non poteſt peccata, ne eveniant, impedire: & ſic non eſt Omnipotens; aut de peccatis curam, & Providentiam non habet.

Reſpond. ex D. Thom. hâc 1. *p. qu. 22. art. 2. ad* 2., antecedens verum eſſe de Proviſore particulari, ſecùs vero de Proviſore univerſali, qualis eſt Deus: *aliter* (inquit S. Doct.) *de eo eſt, qui habet curam alicujus particularis, & de Proviſore univerſali; quia proviſor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ ſubditur, quantum poteſt: ſed Proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus, dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi: nam corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cùm igitur Deus ſit univerſalis Proviſor totius entis, ad ipſius Providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo. Non enim eſſet vita Leonis, niſi eſſet occiſio animalium, nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum. Unde dicit Auguſtinus in Enchirid. cap. 11.* Deus Omnipotens nullo modo ſineret, malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, ut benè faceret etiam de malo. Et 3. *Contragentes* cap. 71. *Non eſſet locus juſtitiæ vindicativæ, ſi delicta non eſſent.* Et inferiùs. *Multum deperiret perfectionis univerſi, cujus pulchritudo ex ordinata bonorum, & malorum adunatione conſurgit... ſicut & ſilentii interpoſitio facit cantilenam eſſe ſuavem.* Et iterum. *Si nulla mala eſſent in rebus, multum de bono hominis diminueretur, & quantùm ad cognitionem, & quantùm ad boni deſiderium, vel amorem: nam bonum ex comparatione mali magis cognoſcitur: & dùm aliqua mala perpetrantur, ardentiùs bona optamus: ſicut quantum bonum ſit ſanitas, infirmi maximè cognoſcunt, qui etiam ad eam magis exardent, quàm ſani.* Hæc D. Thomas.

XXV. Verùm dices, eumdem Sanctum Doct. in 1. diſt. 45. art. 3. ad 6. docere, duo eſſe malorum genera. *Aliqua* enim *mala ſunt, quæ ſi non eſſent, univerſum eſſet imperfectius, illa ſcilicet, ad quæ conſequitur major perfectio, quàm illud, quod privatur, ſicut eſt corruptio elementorum, ad quam ſequitur mixtio: & formæ mixtorum nobiliores ſunt formis elementorum. Alia verò mala ſunt, quæ ſi non eſſent, univerſum perfectius eſſet: illa ſcilicet, quibus majores perfectiones privantur, quàm in alio acquirantur: Sicut præcipuè eſt in malis culpæ, quæ ab uno privant gratiam, & gloriam, & alteri conferunt bonum comparationis, vel aliquam rationem perfectionis, quâ etiam non habitâ,*

bitâ, poſſet perfectio ultima haberi, ſicut ſine patientia actu, in perſecutionibus illatis, poteſt aliquis ad vitam æternam pervenire. Unde ſi nullus homo peccaſſet, univerſum genus humanum melius foret, quia etiam etſi directè ſalus unius occaſionetur ex culpa alterius, tamen ſine illa culpa ſalutem conſequi poſſet.

Reſpondeo tamen, verbis relatis Divum Thomam abſolutè non negare, permiſſionem culpæ conducere ad bonum univerſi; contrarium enim ſtatuit in eo articulo, & alibi paſſim: & in reſponſ. ad ſextum argumentum ab arguente relatum dicit: quòd *de omnibus malis univerſaliter verum eſt, quòd ſi non permitterentur eſſe, Univerſum imperfectius eſſet, quia non eſſent natura illa, ex quarum conditione eſt, ut deficere poſſint*: quod jam docuerat *diſt. 44. qu. 1. art. 2. ad 5.*; ſed ſolùm velle, quòd, cùm ſint aliqua mala, quæ formaliter, & per ſe ad perfectionem Univerſi requiruntur, & ex quibus major perfectio acquiritur, aliqua verò, quæ ſolùm materialiter, & non per ſe ad perfectionem Univerſi requiruntur, quia abſolutè Univerſum ſine illis perfectum eſſet, neque per ea major perfectio acquiritur, inter iſta mala culpæ recenſenda ſint, quia, etiamſi non eſſet peccatum perſecutorum, poſſet homo ad gloriam aliâ viâ, quàm per martyrium, & patientiam, pervenire: unde concludit, *nec tamen hæc mala, neque illa per ſe ad perfectionem faciunt Univerſi, quia perfectionis non ſunt cauſa, ſed occaſiones*. Videatur D. Thom. *qu. 5. de verit. art. 4. ad 5.*, & *art. 5. ad 3.*, & *1. ſent. diſt. 46. art. 3. in corp.* Unde deſumo aliam rationem, quare permiſſio peccati poſſit ad perfectionem Univerſi conducere. Etenim, ut Univerſum ſit perfectum, dari debet natura, quæ ſit defectibilis, nempe natura creata habens liberum arbitrium, ità, ut ſine tali natura, quæ quandoque deficit, Univerſum non eſſet perfectum; cùm ergo Deus ſupremus, & univerſalis Proviſor, unicuique provideat ſecundùm ſuam naturam, hinc fit, ut ad ipſum ſpectet permittere, ut natura hæc defectibilis aliquando deficiat, & in culpam cadat.

§. VII.

An Deus immediatè omnibus provideat?

XXVI. Notat D. Thom. *1. p. qu. 22. art. 3.*, quòd ad Providentiam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis rerum proviſarum in finem in mente Proviſoris exiſtens: & executio iſtius ordinis, quæ gubernatio dicitur. His ſuppoſitis

XXVII. Dicit primò: Quòd ſi Providentia ſumatur pro ratione ordinante res in ſuos fines, ſic Deus immediatè per ſeipſum omnibus providet. Et probat, quia *in ſuo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, & quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos*; ergo *oportet, quòd ordinem illorum effectuum in ſua ratione prahabuerit*.

XXVIII. Dicit ſecundò. Si Providentia ſumatur pro executione ordinis, ſeu pro gubernatione, Deus non immediatè omnibus per ſeipſum providet, ſed mediis cauſis creatis, quas ad hoc præfecit, & quibus ad hoc virtutem dedit. Et probat, quia Deus *inferiora gubernat per ſuperiora: non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, ut dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet*; ergo, ſumtâ Providentiâ pro executione ordinis, Deus non omnibus immediatè, & per ſeipſum providet, ſed utitur cauſis mediis, ſic tamen, ut in iſtis agentibus, & cum iſtis Deus immediatè agat: ipſe enim in omni operante immediatè agit, ut docet idem S. Doct. *qu. 3. de Potentia art. 7.* Ex his infertur, omnes cauſas, & Proviſores inferiores eſſe executores ordinis Divini, nec rebus alium ordinem imponere, quàm eum,

quem

quem Deus ab æterno ſtatuit, ut docet S. Doct. hôc *art.* 3. *ad* 2. Adhuc tamen liberè agunt, quia illum per conſilium, & electionem exequuntur. Ut enim docet idem S. Doct. *ibi art.* 4. *in corp.* Divina Providentia *quibuſdam effectibus præparavit cauſas neceſſarias, ut neceſſario evenirent, quibuſdam verò cauſas contingentes, ut evenirent contingenter, ſecundùm conditionem proximarum cauſarum.* Quare (ait ad 1.) *effectus Divinæ Providentiæ non ſolùm eſt, aliquid evenire quocumque modo, ſed aliquid evenire, vel contingenter, vel neceſſariò. Et ideò evenit infallibiliter, & neceſſariò, quod Divina Providentia diſponit evenire infallibiliter, & neceſſariò, & evenit contingenter, quod Divina ratio habet, ut contingenter eveniat.* Cuncta enim (ait ibi ad 2.) *eveniunt eo modo, quo ipſe providet, ſive neceſſariò, ſive contingenter.* Sed hæc ſuperiùs fusè tractavimus.

XXIX. Statuto igitur, quòd Deus omnibus immediatè provideat modo dicto, ait D. Thom. hôc *art.* 3. *in corp.*, *Excluditur opinio Platonis, quam narrat Gregorius Nyſſenus* (lib. 8. de Providentia cap. 3.) *triplicem Providentiam ponentis. Quarum prima eſt ſummi Dei, qui primò, & principaliter providet rebus ſpiritualibus, & conſequenter toti mundo, quantùm ad genera, & ſpecies, & cauſas univerſales. Secunda verò Providentia eſt, quâ providetur ſingularibus generabilium, & corruptibilium. Et hanc attribuit Diis, qui circumeunt Cœlos, ideſt ſubſtantiis ſeparatis, quæ movent corpora cœleſtia circulariter. Tertia verò Providentia eſt rerum humanarum, quam attribuebat Dæmonibus, quos Plato ponebat medios inter nos, & Deos, ut narrat Auguſtinus* (lib. 9. de Civit. Dei cap. 1., & 2., & lib. 8. cap. 14.)

Hæc dicta ſint de Providentia, ut dicit rationem ordinis. Cæterum ſi ſumatur Providentia pro executione ordinis, & gubernatione, docet idem S. Doctor *qu.* 5. *de veritate art.* 8., quòd corporales creaturæ ſic Divinæ ſubduntur Providentiæ, ut mediâ Angelicâ creaturâ regantur, & ejus miniſterio diſponantur, quo movent ſuperiora corpora, ex quorum motibus inferiorum corporum motus cauſantur. *Articulo* etiam 9. docet, inferiora corpora per ſuperiora, & cœleſtia corpora Divinæ Providentiæ ſubdi, quæ eis mediantibus omnia diſponit, & gubernat. Unde concludit, *& ideò ponimus, corpora cœleſtia eſſe cauſam inferiorum per viam motus tantùm, & ſic eſſe media in opere gubernationis, non autem in opere creationis.*

§. VIII.

De Actibus Humanis.

XXX. Circa verò actus humanos, an à Divina Providentia gubernentur mediis corporibus cœleſtibus? Ibid. *art.* 10. dicit, quòd *de iis fuit error multiplex. Quidam enim poſuerunt, actus humanos ad Divinam Providentiam non pertinere, nec reduci in aliquam cauſam, niſi in Providentiam noſtram: & hujus poſitionis videtur fuiſſe Tullius, ut dicit Auguſt. l. 5. de Civit. Dei c. 9.*, Eo quòd timeret Tullius, ne ſi Dei præſcientiam, & Providentiam admitteret, cogeretur etiam admittere, omnia fato, & neceſſitate evenire, nihilque eſſe liberum, ac in noſtra poteſtate, ut refert, & refutat S. Auguſtinus citato loco.

Et ideò (pergit S. Thomas) *quidam omnes actus voluntatis reduxerunt in corpora cœleſtia, ponentes, ſenſum, & intellectum idem eſſe in nobis, & per conſequens omnes virtutes animæ corporales eſſe, & ità actionibus corporum cœleſtium ſubdi.* Hoc ergo errore rejecto, quia & fide, & ratione naturali conſtat hominem eſſe compoſitum ex corpore, & ſpiritu, intellectum autem, & voluntatem convenire homini eâ ratione, quâ ſpiritu præditus eſt. Et inſuper, quia ex hac poſitione *ſequeretur, quòd homo naturali inſtinctu ageretur ad ſuas actiones, ſicut cæte-*

cætera animalia, in quibus non ſunt, niſi vires animæ corporeis organis alligatæ, nam illud, quod fit in iſtis inferioribus, ex impreſſione corporum cœleſtium naturaliter agitur: & ità ſequeretur, quòd homo non eſſet liberi arbitrii, ſed haberet actiones determinatas, ſicut & cætera res naturales, quæ manifeſtè ſunt falſa, & converſationi humanæ contraria. Ità S. Thom. 1. p. qu. 115. art. 4.

XXXI. Statuit ergo Angelicus Magiſter, ſolum Deum directè, & per ſe de actibus humanis, ideſt à ratione deliberata procedentibus, immediatè providere, neque in illos actionem ullam habere cœleſtia corporea. Probat *qu. 5. de veritate* citatâ *art. 10.*, quia ſolus Deus immediatè eſt finis humanæ vitæ, ejus enim viſione perfruentes homines beatificantur: & ideò ipſe ſolus imprimere poteſt in voluntatem noſtram; quare 1. 2. *qu. 9. art. 6.* docet, Deum ſolum poſſe intrinſecè movere, & inclinare voluntatem, quia ipſe ſolus eſt cauſa voluntatis.

Quòd verò corpora cœleſtia in voluntatem, ſicut neque in intellectum, directè agere non poſſint, oſtendit 1. *p. qu. 115. art.* 4. citato, quia corpora cœleſtia directè ſolùm poſſunt agere in corpus, & in actum, qui organi corporei actus eſt, per ſe quidem in corpus, in vires autem animæ, quæ ſunt actus organorum corporeorum, directè quidem, ſed per accidens, in quantum ſcilicet agunt in corpus, quod eſt earum organum, & cui vires iſtæ ſunt alligatæ: in ea tamen, quæ nec ſunt corpora, nec actus organi corporalis, corpora cœleſtia agere nullatenus poſſunt; ſed intellectus, & voluntas, neque ſunt corpus, neque actus organi corporei, ſed purè ſpirituales; ergo in ea agere &c.

XXXII. Confirmatur. Cùm corpora Cœleſtia non imprimant directè, niſi in corpora, ſi eſſent cauſa humanorum actuum, aut hoc eſſet in quantum imprimunt in corpora noſtra, aut in quantum imprimunt in corpora exteriora, nimirùm aliqua corporalia nobis præſentando; ſed neutro modo; ergo &c. Min. probatur: nam ex corporum cœleſtium immutatione in noſtro corpore ad ſummum poſſunt in nobis excitari quædam paſſiones magis, vel minùs vehementes, quæ tamen non ſunt ſufficiens cauſa, ut eas voluntas ſequatur: cùm eſto vir incontinens voluntariè inducatur ad eas ſequendas, continens tamen non inducitur, ſed eis reſiſtit. Multò minùs actus humanus ſequitur ex impreſſione corporis cœleſtis in corpus nobis exterius præſentatum: cùm experientia doceat, quòd ad occurſum alicujus delectabilis, puta cibi delicati, vel pulchræ mulieris, vir temperatus non movetur ad ea objecta eligenda, intemperatus verò movetur.

XXXIII. Notat tamen S. Thomas locis laudatis, quòd etſi impreſſio corporis cœleſtis directè nihil influere poſſit in actus intellectus, & voluntatis, indirectè tamen, & per accidens ad eam pertinere poſſunt, puta dando occaſionem, ut vel intellectus intelligat, aut voluntas velit, eo quia tàm intellectus, quàm voluntas pro hoc ſtatu aliquid à miniſterio ſenſuum, & viribus inferioribus organo corporeo alligatis accipiunt. Aliter tamen intellectus, aliter voluntas. Nam intellectus, cùm naturaliter moveatur à ſenſitiva apprehenſiva virtute eo modo, quo objectum movet potentiam, quia phantaſma ſe habet ad intellectum, ſicut color ad viſum, ut dicitur *in 3 de anima*, ideò intellectus, ut rectè cognoſcat, quaſi ex neceſſitate indiget rectâ diſpoſitione partis ſenſitivæ; quare perturbatâ vi ſenſitivâ interiori, puta imaginativâ, de neceſſitate perturbatur intellectus: ut videmus in amentibus, & phreneticis, in quibus læſo organo phantaſiæ actio intellectus perturbatur.

Non ſic tamen voluntas: *appetitus* enim *ſenſitivus non* eſt *naturaliter motivus voluntatis, ſed e converſo: quia*

appe-

appetitus ſuperior movet appetitum inferiorem. ſicut ſphæra ſphæram, ut dicitur in 3. de anima: & quantumcumque appetitus inferior perturbetur per aliquam paſſionem iræ, vel concupiſcentiæ, non oportet, quòd voluntas perturbetur, imò habet potentiam repellendi hujuſmodi perturbationem, ut dicitur Gen. 4. v. 7. ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Ità D. Thom. *qu. 5. de verit. art. 10. citato*, qui concludit: *& ideò ex corporibus cæleſtibus non inducitur aliqua neceſſitas, nec ex parte recipientium, nec ex parte agentium in actibus humanis, ſed inclinatio ſola, quam etiam voluntas repellere poteſt per virtutem acquiſitam, vel infuſam.*

XXXIV. Hinc ex corporum cœleſtium impreſſionibus nullum judicium certum de contingentibus, & liberis eventibus formare poſſunt Aſtrologi, ut docet D. Thom. 2. 2. *qu. 95. art. 5.* ſimilem divinationem repellens, & damnans, ut illicitam. Quare Aſtrologia judiciaria meritò confixa fuit à Sixto V. in *Bulla anno* 1585., quia quâcumque diſpoſitione à ſyderibus impreſsâ in corpore, ſive interiùs, ſive exteriùs, nulla neceſſitas libero arbitrio imponitur, ſed contra inclinationem cœleſtium corporum in vires ſenſitivas, ſive in quodcumque aliud exteriùs alliciens impreſſam, poteſt homo operari.

XXXV. Cur autem ex prædictione aſtrorum Aſtrologi frequenter vera prænuncient, rationes variæ eſſe poſſunt. Prima. Quia major pars hominum ſequitur motus paſſionum, minor pars eas reprimit: ità fit, ut Aſtrologus frequentiùs verum dicat, dùm prænunciat de aliqua multitudine, & indefinitè, quàm de uno homine ſingulari. Si enim una multitudo hominum cholericorum ponatur, non de facili continget, quin ad iracundiam moveantur, quod de quolibet ſingulari poteſt accidere, & de facto accidit. Quare D. Thom. 3. *contragentes cap.* 85. refert, & probat dictum Ptolemæi in centiloquio, *quòd Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed univerſaliter: quia ſcilicet impreſſio ſtellarum in pluribus ſortitur effectum, qui non reſiſtunt inclinationi, quæ eſt ex corpore, non autem ſemper in hoc, vel illo, qui fortè per rationem naturali inclinationi reſiſtit.*

Secunda ratio. Quia Dæmones curioſitati Aſtrologorum ſeſe immiſcentes, eis etiam neſcientibus ſuggerunt, quæ aut ingenii ſubtilitate, aut calliditate experientiâ noverunt, aut ab Angelis, Deo ità volente, diſcunt, vel etiam, quæ ipſimet Dæmones facturi ſunt. Ità S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 17. concludens: *Quapropter bono Chriſtiano, ſive Mathematici, ſive quilibet impiè divinantium, & maximè dicentes vera, cavendi ſunt: ne conſortio Dæmoniorum animam deceptam pacto quodam ſocietatis irretiant.* Utramque præfatam rationem dat Divus Thomas 2. 2. *qu. 95. art. 5. ad 2.*, & *qu. 5. de verit. art. 10. ad 7.*

Tertia. Quia Deus punire volens curioſitatem illorum, qui Aſtrologos conſulunt, permittit, ut *multa præterita, & futura* ab Aſtrologis *dicantur, nec aliter accidant, quàm dicuntur; multaque obſervantibus ſecundùm obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis, magiſque inſerant multiplicibus laqueis perniciosiſſimi erroris*. Ità S. Auguſtinus *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 23.*

Quarta. Quòd homo, cui Aſtrologus prædicit proſpera, his magnam fiduciam concipit, & toto ſtudio conatur, ut eveniant; Cui verò hæc triſtia ſunt prædicta, animum abiicit, nihilque tentat; ideòque quòd eveniant illa, humanæ potiùs diligentiæ tribuendum eſt, & quòd iſta contingant, humanæ inertiæ, quàm Aſtrologi divinationi, eſt adſcribendum.

Poſtrema eſt. Quia ea, quæ, ut prædicta erant, acciderunt, diligenter notantur: cætera verò, vel occultantur, vel excuſantur. Quòd ſi hæc etiam notarentur, incomparabiliter plura deprehenderentur aliter eveniſſe, quàm,

quàm, prædixerat Aſtrologus. Satis ſint hæc, ut vanitatis divinationum aliquod ſpecimen exhiberem, & ut oſtenderem, de actibus humanis, & eventibus contingentibus ſolum Deum certam habere ſcientiam, & Providentiam. Quòd ſi Studioſus optaverit pleniùs inſtrui, adeat D. Thom., & percurrat totam Quæſt. 95. 2. 2.

DUBIUM III.

An Providentia ſit formaliter actus Intellectus, vel Voluntatis ?

§. I.

Non conſiſtit æqualiter in utroque actu.

I. Concurrere ad Providentiam (idem eſt de Prædeſtinatione, quæ ſpecies quædam eſt Providentiæ) actum intellectus, & voluntatis, certum eſt, & D. Thomas apertè docet: eſt enim hoc multis virtutibus commune exigere ad ſui conſiſtentiam actus utriuſque potentiæ. Sic fides exigit affectum credulitatis in voluntate, quæ dici ſolet pia affectio, & aſſenſum veritati revelatæ in mente, quia nemo aſſentitur, & credit, niſi volens. Sic Providentia requirit rectam intentionem in voluntate circa omnes materias virtutum, & ordinationem in mente, quâ de agendis diſponit. Similiter ergo Providentia, quæ eſt prudentiæ pars, debet inveſtigare, procurare, & ordinare de mediis ad finem conſequendum idoneis, quod pertinet ad intellectum; & rursùs, quia hæc ordinatio debet eſſe efficax, & ex intentione finis, aliàs eſſet fortuita, requirit etiam actum voluntatis, ex cujus impulſu efficacia habetur, & cujus actus eſt intentio finis. Cùm ergo certum ſit, ad Providentiam concurrere actum utriuſque potentiæ, intellectus nimirum, & voluntatis, difficultas eſt, in quonam ex iſtis formaliter, & eſſentialiter Providentia (ſicut & Prædeſtinatio) locanda ſit.

II. Placere enim non poteſt opinio quorumdam, ſcilicet Molinæ, & aliorum, in utroque actu æqualiter Providentiam conſtituentium; eo quia videtur ipſis, quòd S. Auguſtinus utroque actu explicet Providentiam Prædeſtinativam dicens, quòd eſt *praſcientia, & præparatio beneficiorum Dei*.

Placere, inquam, non poteſt. Tùm quia, ut infra dicam ex D. Thoma, Providentia in ſolo actu intellectus conſiſtit, præſupponente tamen actum voluntatis. Tùm quia ſicut ipſæ potentiæ Intellectus, & Voluntas ità ſe habent in operando, ut non æquè immediatè procedant, ſed una ſequatur aliam, & invicem ſe præcedant, movendo: movetur enim voluntas ab intellectu proponente objectum, & rursùs intellectus movetur à voluntate ad exercitium; ità actus, ſeu virtutes talium potentiarum debent ordine quodam procedere, & unam ſe habere ad aliam, ut moventem, aliam, ut motam, unam præſuppoſitivè, aliam conſecutivè, non utramque ad eundem actum ex æquo formaliter, & conſtitutivè concurrere: Non enim dici poteſt, actum intellectus, & voluntatis ità conſtituere unam Virtutem, ſicut materia, & forma conſtituunt unum eſſentiale compoſitum, quia eo modo ſolùm poſſunt concurrere, quo natura ſuarum potentiarum permittit; Sed potentia intellectiva, & volitiva tales ſunt, ut una earum ſe habeat ad aliam, tanquam antecedens, & movens, alia ut conſequens, & mota; Ergo earum actus non poſſunt convenire tanquam partes, & extrema ſimul, & ex æquo eſſentialiter conſtituentia, ſed tantùm concurrere unus antecedenter, alius conſequenter juxta ſuam naturam.

III. Confirmatur. Sicut ad Providentiam concurrunt actus intellectus, & voluntatis, ità ad Fidem, & Prudentiam, & ad alias Virtutes morales: ad Fidem enim concurrit, præter actum intellectus, pia motio, ad Prudentiam recta intentio circa finem, electio circa

ea media, & ad alias Virtutes morales recta electio voluntatis, moderatio paſſionum in appetitu ſenſitivo &c.; ſed nullus dicit, Fidem ex æquo conſtitui per piam motionem voluntatis, & aſſenſum intellectus, Prudentiam per rectam intentionem finis, & ordinationem mediorum, & Virtutes morales in his pluribus actibus ad diverſas potentias pertinentibus eſſentialiter collocandas eſſe; ergo neque dicendum eſt, Prudentiam, quamvis actus intellectus, & voluntatis requirat ad ſui perfectionem, in utroque ex æquo, & eſſentialiter conſiſtere.

IV. Explicat hoc magis D. Thomas *qu.* 14. *de Verit. art.* 4., ubi quærens, in quo tanquam in ſubjecto ſit Fides? referens opinionem aliquorum eam collocantium in intellectu, & voluntate ſimul: *Quidam* (inquit) *dixerunt, fidem eſſe in utraque vi, ſcilicet affectiva, & cognoſcitiva: quod nullo modo poteſt eſſe, ſi intelligatur, quòd in utraque ſit ex æquo: Unius enim habitus oportet eſſe unum actum, nec poteſt eſſe unus actus ex æquo duarum potentiarum.* Ex his hanc formo rationem. Sicut Fides, ità Providentia eſt unus habitus habens unum actum, non unitate ordinis, & aggregationis, ſed unitate ſpecificâ, & per ſe tali; ſed non poteſt eſſe unus actus ex æquo duarum potentiarum, maximè unitate ſpecificâ, & per ſe tali; ergo &c. Idem de Providentia, & Prædeſtinatione expreſsè docet S. Præceptor locis §. *ſequenti* adducendis.

V. Neque Adverſariis favet S. Auguſtinus. Dùm enim dicit, quòd Prædeſtinatio eſt *præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei*, nomine *præparationis* non indicavit actum aliquem voluntatis, ſed actum intellectus practici, ordinantis, & præparantis media, ac ſi diceret, *Prædeſtinatio eſt præſcientia, non otioſa, & merè ſpeculativa, ſed præparativa, & ordinativa mediorum ad finem.* Unde D. Thom. 1. p. qu. 23. art. 2. ad 3.: *talis* (inquit) *præparatio eſt prædeſtinatio, pro ut aliquod agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi. Et ſic Deus ab æterno præparavit, prædeſtinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in ſalutem.* Et *qu.* 6. *de verit. art.* 1. *ad* 12. ſimili argumento reſpondens: *præparare* (inquit) *vel ordinare eſt motiva potentiæ tantùm, ſed motiva non ſolùm eſt voluntas, ſed etiam ratio practica, ut patet in* 3. *de anima.*

§. II.

An Providentia formaliter conſiſtat in ſolo actu Intellectus, præſupponente actum Voluntatis.

VI. Suppoſito, Providentiam, & Prædeſtinationem non conſiſtere ex æquo in actu intellectus, & voluntatis, ſupereſt inquirere, in quonam ex illis principaliter, & in recto conſtituenda ſit; an in actu voluntatis connotante actum intellectus; an in actu intellectus connotante, & ſupponente actum voluntatis?

Circa quod Antiqui, ut Gabriel, Aureolus, aliique à D. Thoma alieni volunt, Providentiam incipere quidem ab intellectu, proponente convenientiam mediorum ad finem, ſed conſummari, & eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis, nimirum in electione mediorum, quæ idonea judicata fuerunt, & propoſita ab intellectu voluntati. Huic ſententiæ adſtipulantur Mediiſtæ, qui Providentiam Divinam duos tantum actus volunt importare, ad differentiam Providentiæ creatæ: unum ex parte intellectus, & hunc dicunt eſſe notitiam poſſibilitatis rei faciendæ, vel ſaltem ſcientiam conditionatam, & mediam de mediorum futuritione (de quo inferiùs dicemus): alterum ex parte voluntatis eligentis, & in hoc dicunt formaliter conſiſtere Providentiam. His pro ea parte, quâ ſtatuit Providentiam in voluntate, adjungitur Scotus cum ſua Schola. Attamen S. Thomas cum ſuis veris diſcipulis Providentiam, & Prædeſtinationem

nem ſtatuit in actu Intellectus practici, non quidem præcedente, ſed ſupponente actum voluntatis. Cum hoc ergo S. Doctore.

VII. Dico. Providentia, & Prædeſtinatio formaliter, & eſſentialiter, ſeu in recto conſiſtit in actu intellectus practici, connotante tamen, & ſupponente actum voluntatis. Ità S. Doctor paſſim. Primò hâc *qu. 22. art. 1. ad 3.* ubi ait: *Ad 3. dicendum, quòd providentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem. Unde præſupponit & prudentia virtutes morales, per quas appetitus ſe habet ad bonum.* Secundò *qu. 5. de verit. art. 5. Providentia* (inquit) *includit & ſcientiam, & voluntatem; ſed tamen eſſentialiter in cognitione manet, non quidem ſpeculativa, ſed practica.* De prædeſtinatione autem *qu. 6. de verit. art. 1.*, ubi quærit, an *Prædeſtinatio ad ſcientiam, vel voluntatem ſpectet?* reſolvit, ſpectare ad ſcientiam his verbis: *Unde ſicut de providentia ſuprâ dictum eſt, quòd conſiſtit in actu rationis, ſicut & prudentia, cujus eſt pars, eo quòd ſolius rationis eſt dirigere, vel ordinare: ità etiam & Prædeſtinatio in actu rationis conſiſtit dirigentis, vel ordinantis in finem. Sed ad directionem in finem praexigitur voluntas finis: nullus enim aliquid ad finem ordinat, quod non vult.* Hæc adeò certa ſunt, ut de mente S. Doctoris nullum ambigendi relinquant locum.

VIII. Probatur ergo ratione ex Divo Thoma deſumtâ. Primò ſic. Actus proprius, & formalis Providentiæ eſt dirigere, & ordinare res in finem præintentum: quare Providentia definitur, quòd ſit *ratio ordinis rerum in finem, in Proviſore exiſtens*; ſed ordinare eſt actus proprius intellectus, non voluntatis; ergo &c. Min. probatur. Tùm quia dirigere, & ordinare ad finem eſt quodammodo ratiocinari ex fine, ut principio, ad media, ut docet D. Thom. *qu. 5. de verit. art. 1.*; ratiocinari autem, ſive in ſpeculabilibus, ſive in practicis actus intellectus eſt. Tùm quia dirigere, & ordinare eſt unum conferre, & comparare cum altero, quod nonniſi cognitione comparativâ fit: unde 2. *Metaph. cap.* 2. dicitur *ſapientis eſt ordinare*. Tùm quia voluntas non facit ſibi objectum, ſed illud proſequitur, ut ſibi ab intellectu propoſitum; ergo non facit ordinem inter objecta, ſed ea proſequitur, ſecundùm ordinem factum ab intellectu.

IX. Secundò probatur. Providentia eſt Prudentiæ pars; ſed Prudentia eſt formaliter in intellectu: eſt enim una ex virtutibus intellectualibus; quare ab Ariſt. definitur, quòd ſit *recta ratio agibilium*: ratio autem in intellectu eſt: unde D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. qu. *61. Prudentia* (inquit) *eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum:* & Iſidorus lib. 10. Etymologiarum, *Prudens* (ait) *dicitur quaſi porrò videns, perſpicax enim eſt, qui & incertos prævidet caſus.* Ex quibus Divus Thomas 2. 2. *qu. 47. art.* 1. Sic concludit. *Viſio autem non eſt virtutis appetitivæ, ſed cognoſcitivæ. Unde manifeſtum eſt, quòd prudentia directè pertinet ad vim cognoſcitivam.... cognoſcere autem futura ex præſentibus, vel præteritis, quod pertinet ad prudentiam, propriè rationis eſt, quia hoc per quandam collationem agitur. Unde relinquitur, quòd prudentia propriè ſit in ratione.*

Confirmatur. Sicut Ars eſt recta ratio factibilium, ità Prudentia eſt recta ratio agibilium, & Providentia ratio ordinis rerum in finem. Rursùs ſicut ad opus artis conſummandum aliæ potentiæ concurrunt, ità & ad conſummandum opus Prudentiæ, & Providentiæ; ſed in omnium ſententia eſſentialiter Ars in intellectu complectur, ejuſque actus in recto, & formaliter eſt in intellectu; ergo idem dicendum eſt de Prudentia, & Providentia. Quapropter ſicut objectum artis eſt factibile, ut ordinatè faciendum, ob quam rationem pertinet directè ad in-

Digitized by Google

tellectum: ità res, ut rectè agibilis, & ordinabilis in finem, eſt objectum prudentiæ, & providentiæ, & ob hanc rationem debet in recto ad intellectum pertinere.

X. Secunda verò pars, quòd actus Providentiæ connotet, ac ſupponat actum Voluntatis, patet ex D. Thoma ſuperiùs allato: nullus enim prudenter ordinat res in finem, niſi ſuppoſitâ intentione, & voluntate finis, quæ ipſum efficaciter ad hoc moveat. Unde D. Thom. *qu.* 5. *de verit. art.* 1. poſtquam dixit, quòd ordinatio eorum, quæ ſunt ad finem, eſt per modum cujuſdam ratiocinationis, cujus principia ſunt fines: ſubdit: *& ideò ad hoc, quòd quis ſit prudens, requiritur, quòd benè ſe habeat circa ipſos fines.... Et ideò ad prudentiam requiritur & intellectus finium, & virtutes morales, quibus affectus rectè collocetur in fine... in omnibus autem viribus, & actibus animæ ordinatis hoc eſt commune, quòd virtus primi ſalvatur in omnibus ſequentibus, & ideò in prudentia quodammodo includitur & voluntas.* Et *qu.* 6. *de verit art.* 1. hâc ratione concludit, quòd *Prædeſtinatio præſupponit dilectionem, per quam Deus vult ſalutem alicujus... præexigitur etiam electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis ſeparatur, qui non hoc modo in finem diriguntur.... & ideò Prædeſtinatio præſupponit electionem, & dilectionem, electio verò dilectionem.*

§. III.

Solvuntur oppoſita.

XI. Objiciunt primò contra primam partem. Prædeſtinatio pertinet formaliter ad voluntatem; ergo & Providentia, cujus Prædeſtinatio eſt pars. Ant. prob. quia in Scriptura Prædeſtinati vocantur *electi*, & *dilecti*. Inſuper Prædeſtinatio dicitur *electio*, & *propoſitum* ad *Epheſ.* 1. *v.* 4., *Roman.* 1. *v.* 7.

Ad hoc jam reſpondit D. Thom. *qu.* 6. *de verit. art.* 1. citato *ad* 2., quòd Prædeſtinatio dicitur electio, non quia formaliter ſumta in actu electionis conſiſtat, ſed radicaliter, quia nimirum actus formalis prædeſtinationis radicatur, & originatur à dilectione, & electione: ideò enim Deus prædeſtinatione aliquos efficaciter ordinat ad ſalutem, quia eos dilexit, & elegit ante mundi conſtitutionem: *prius enim eſt* [ait D. Thom. ibi ad 3.] *accipere illum, qui dirigitur in finem, quàm ipſum dirigere in finem, & ideò electio in propoſito Prædeſtinationem præcedit.* Licèt autem ſcientia præcedat voluntatem, ſi referantur ad idem, quia nil volitum, quin præcognitum, ſi tamen referantur ad diverſa, voluntas poteſt præcedere ſcientiam. Sic loquitur Divus Thomas citatus.

XII. Sed dices primò. Damaſcenus *lib.* 2. *de fide cap.* 29. dicit, quòd Providentia eſt *voluntas Dei, propter quam omnia, quæ ſunt, convenientem deductionem ſuſcipiunt.* Quod idem dixerat Gregorius Nyſſenus relatus à D. Thoma 3. *contra gent. cap.* 73. Boethius inſuper 4. *de Conſolat. proſa* 7. *Deus* [inquit] *ſuâ bonitate gubernat mundum;* bonitas autem ad voluntatem pertinet.

XIII. Secundò. Sicut Providentia dicit ordinationem, quæ eſt ab intellectu, ità dicit efficaciam, quæ eſt à voluntate; ergo ſi ob ordinationem ponitur in intellectu, cur ob efficaciam non ponetur in voluntate? eo vel maximè, quòd Prædeſtinatio in hoc differt à ſimplici Providentia, quòd illa efficaciter ordinat in finem, iſta non.

Reſpondetur ad primam inſtantiam ex D. Thom. *qu.* 5. *de verit. art.* 1. ad 1., *quòd pro tanto Damaſcenus dicit, Providentiam eſſe voluntatem, quia voluntatem includit, & præſupponit.*

Sed dices. Si actus intellectus ſupponit actum voluntatis; ergo ſupponit rem volitam cum omnibus circumſtantiis; ergo ſupponit eam futuram: quia efficacia voluntatis, ut diximus, eſt ratio, cur res ſit futura, omni alio ſecluſo; ergo actus, qui conſequitur

in intellectu, non erit formalis Providentia, ſed Providentiam, & rem proviſam ſupponet.

Reſpondetur, diſtinguen. primum; conſequens, ſupponit rem volitam abſolutè, co. conſequentiam, volitam ordinato modo, nego co.; & eodem modo dico ad id, quod infertur. Cùm autem additur, quòd efficacia voluntatis eſt ratio, ut aliquid ſit futurum, omni alio ſecluſo, diſtinguo, omni alio ſecluſo dante efficaciam, concedo; hanc enim ſola dat voluntas: omni alio ſecluſo ordinante, & applicante rem volitam debito modo, nego. Ordinare autem ad executionem debito modo rem volitam, qui eſt actus proprius Providentiæ, ab intellectu eſt, ſicut eam debito modo exequi eſt à potentiis executivis, licèt efficacia ſit à voluntate, & ab ea originetur.

Etſi autem (inquit D. Thom. *qu. 6. de verit. art. 1. ad 5.*) *cauſalitas non ſit de ratione ſcientiæ, inquantum hujuſmodi, eſt tamen de ratione ſcientiæ, in quantum eſt dirigens, & ordinans in finem, quod non eſt voluntatis, ſed rationis tantùm: ſicut etiam intelligere eſt de ratione animalis rationalis, non inquantum eſt animal, ſed inquantum eſt rationale.*

XIV. Ad ſecundam inſtantiam dico, aliter ſpectare ad Providentiam eſſe ordinativam, & directivam, aliter eſſicaciam in ordinando. Eſſe enim ordinativam eſt proprius actus, & character Providentiæ, & prudentiæ, ut ab aliis virtutibus condiſtinctæ: unde cùm ordinare ſit actus proprius intellectus practici, ſequitur, eam in intellectu potiùs eſſe ponendam. At efficacia non eſt ità propria providentiæ, quin conveniat etiam potentiis executivis, quæ ſimiliter à voluntate accipiunt efficaciam ad executionem; ideòque ſicut efficacia, quamvis incluſa in executione, non facit, ut voluntas ſit illa, quæ immediatè exequatur: ità efficacia, quamvis incluſa in ordinatione, non facit, ut voluntas ſit illa, quæ immediatè ordinet, ac provideat, ſed potiùs ut in ordinatione, velut quid præſuppoſitum, includatur.

Ad id, quod additur, dico, quòd cùm Prædeſtinatio ſit pars Providentiæ, ſi hæc in ordinatione pertinente ad intellectum conſiſtit, etiam illa ad intellectum directè ſpectare debet. Differentia ergo inter Providentiam in genere, & Prædeſtinationem ſtat in hoc, quòd Providentia preciſè dicit ordinem, Prædeſtinatio autem dicit ordinem, & eventum. Ità D. Thom. *qu. 6. de verit. art. 1.* in corp. *In qualibet enim ordinatione ad finem eſt duo conſiderare; ſcilicet ipſum ordinem, & exitum, vel eventum ordinis: non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem conſequuntur. Providentia ergo ordinem in finem reſpicit tantùm; unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur: ſed Prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel eventum ordinis, unde non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur. Sicut igitur ſe habet Providentia ad impoſitionem ordinis, ità ſe habet Prædeſtinatio ad ordinis exitum, vel eventum.... Unde ſicut de providentia ſupra dictum eſt, quòd conſiſtit in actu rationis, ſicut & prudentia, cujus eſt pars, eo quòd ſolius rationis eſt dirigere, vel ordinare: ità etiam & Prædeſtinatio in actu rationis conſiſtit dirigentis, vel ordinantis in finem.* Quòd verò Prædeſtinatio reſpiciat non ſolùm ordinem, ſed eventum ordinis, hoc non facit immediatè voluntas, ſed hoc *facit ratio à voluntate mota*, ut ait D. Thom. laudatâ *qu. 6. de verit. art. 2.*; unde ſequitur, Prædeſtinationem ſupponere quidem voluntatem efficaciter moventem, non tamen in voluntate conſiſtere.

Dices. Prædeſtinatio, etiam quatenus Providentia eſt, dicit curam, ſolicitudinem, & ſtudium de rectè diſponendis ad finem; ſed hæc ſolicitudo, & cura eſt actus proprius virtutis ſtudioſitatis, quæ reſidet in voluntate, ut docet D. Thomas 2. 2. *qu. 166. art. 2. ad 2.*; ergo &c.

Reſpondeo, actum Providentiæ eſſe cu-

curam, & ſolicitudinem, ut res ordinentur in finem: actum verò ſtudioſitatis eſſe curam, & ſolicitudinem, ut res fiant ſecundùm appetitum rectum: quare motio appetitus reſpectu ſtudioſitatis ſe habet de formali, reſpectu verò providentiæ ſolùm de connotato. Videas D. Thom. *loco citato*.

XV. Objiciunt ſecundò. Ordinare non eſt actus ſolius intellectus, ſed etiam voluntatis; ergo &c. Ant. prob. primò. Sicut cognoſcere unum propter aliud eſt ordinare unum ad aliud, ità etiam velle unum propter aliud; ſed voluntas vult unum propter aliud, nempe media propter finem; ergo voluntas ordinat unum ad aliud.

Secundò prob ant. Habitus Caritatis reſidet in voluntate; ſed hic eſt ordinativus, & imperativus; ergo &c. Min. prob. habitus enim Caritatis imperat, & ordinat actus aliarum virtutum ad ſuum finem, & ex tali imperio, & ordinatione fiunt meritorii.

Tertiò D. Thomas in 1. *ad Annibald. diſt.* 1. qu. unicâ art. 2. *uti* [inquit] *ordinationem quandam importat*; ſed uſus eſt actus voluntatis, ut docet idem S. Præceptor 1. 2. *qu.* 16. *art.* 1.; ergo &c.

Reſpondetur, negando ant., ad primam probat, diſt. maj., velle unum propter aliud eſt ordinare, quaſi paſſivè, proſequendo res cum ordine in illis invento, conc. maj., activè, & quaſi faciendo in illis ordinem, nego maj. Ordinare enim activè, quod proprium eſt Providentiæ, & Prædeſtinationis, quæ eſt tranſmiſſio, & ordinatio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, ſolius rationis, & intellectus eſt. At dùm voluntas vult unum propter aliud, nil aliud facit, quàm proſequi illa juxta ordinem, quo ab intellectu ordinata ſunt: ſequitur enim in omnibus ductum rationis. Unde aliud eſt ordinare, aliud ordinatè velle. Ordinare ſolius rationis proprium eſt. Ordinatè velle convenire poteſt voluntati, dùm ea vult, quæ ab intellectu ordinata ſunt; unde ſi in actibus voluntatis eſt ordo, is non eſt factus à voluntate, ſed is, quem in actibus voluntatis actus intellectus inducit.

XVI. Dices. Non minùs proprium eſt voluntatis movere quoad exercitium, quàm intellectus activè ordinare unum ad aliud; ſed intellectus ex participatione voluntatis movet quoad exercitium voluntatem, & alias potentias, ut tenent omnes Thomiſtæ; ergo & voluntas ex participatione intellectus poteſt activè ordinare.

Reſpondeo, diſt. min., movet quoad exercitium appetitivè, nego min., ordinativè, imperativè, & denunciativè, concedo min. Movere quoad exercitium dupliciter contingit. Uno modo appetitivè, & hoc ità proprium eſt voluntatis, ut neque ex participatione illius poſſit intellectui convenire. Alio modo imperativè, ordinativè, applicando potentias executivas, & etiam ipſam voluntatem ad actum, eum imperando, & hoc poteſt ex participatione voluntatis intellectui convenire, actus enim voluntatis antecedens, virtualiter perſeverans in actu imperii imprimit in illo efficaciam ad intimandum exercitium aliis potentiis. At ordinare uno tantùm modo contingit, nempe cognoſcendo unum, illudque ad aliud comparando, ideòque voluntati, aut alteri potentiæ, quæ cognoſcitiva non ſit, nullo modo neque participativè communicari poteſt.

XVII. Ad ſecundam probat. antecedentis, diſt. min., eſt ordinativus, & imperativus formaliter, & elicitivè, nego min., cauſaliter, & motivè, ſeu applicativè, conc. min. Habitus itaque Caritatis dicitur ordinare actus aliarum Virtutem, non quia eliciat actum imperii, qui eſt formalis ordinatio, ſed quia movet intellectum, ut mediâ Prudentiâ infuſâ, aut mediâ Fide ordinet actus aliarum Virtutum, eoſque imperet, faciendo, ut aliæ Virtutes operentur propter finem ipſius Caritatis, puta ut miſericordia det eleemoſynam ob Dei amorem.

Ne-

Neque dicas, ex hoc ſequi, meritum in actibus aliarum Virtutum principaliùs fore à fide, & Prudentia inſuſa, quàm à Caritate.

Nam hoc eſt falſum. Etenim eſto imperium non ſit à Caritate elicitivè, ſed à Fide &c., quia tamen non eſt ab iſta, niſi ut mota à Caritate, ideò iſti principaliùs tribuitur, quia cauſa movens principaliùs concurrit, quàm cauſa mota; nec Fides, aut Prudentia inſuſa unquam imperarent aliis Virtutibus, ut agerent propter finem Caritatis, nempe propter Deum ſummè dilectum, niſi à Caritate moverentur, & ideò imperant, quia ab ea moventur.

XVIII. Tertiò objiciunt ſpecialiter de Prædeſtinatione. In illo actu formaliter ponenda eſt Prædeſtinatio, qui ut cauſa infert infallibiliter principalem effectum Prædeſtinationis; ſed hoc ipſo quòd Deus efficaciter velit Petro tribuere gloriam, Petrus infallibiliter eam conſequetur, & hoc ipſo diſtinguitur à non Prædeſtinato; ergo &c.

Reſpondeo, diſtingu. maj., qui ut cauſa proxima infert &c., conc. maj., ut cauſa radicalis, & remota, nego maj.; & ſimiliter diſting. min. Quia eſto totum prædeſtinationis negotium, & tota ſeries actuum, qui ad prædeſtinationis effectum influunt, originem ducant ab illa voluntate, quâ Deus elegit aliquos præ aliis, & ex hac radicaliter Prædeſtinatus à non Prædeſtinato ſecernatur; Prædeſtinatio tamen, ut eſt actus Providentiæ ſpecialis, quo pacto dicit rationem ordinis aliquorum ad ſalutem, conſiſtit in actu ordinativo: & ideò in actu intellectus; & licèt efficaciam, quâ ſecernitur à Providentia generali, accipiat ab actu electionis ad gloriam, hoc ſolùm evincit, actum voluntatis efficacem prærequiri ad Prædeſtinationem formalem, ut quid neceſſariò connotatum, & præſuppoſitum.

DUBIUM IV.

In quonam ex actibus Intellectus formaliter conſiſtat Providentia?

§. I.

Quædam pro intelligentia exponuntur.

I. STabilito, Providentiam Divinam, ac Prædeſtinationem conſiſtere formaliter, & in recto in actu Intellectus, conveniunt omnes, eam pertinere ad partem illam intellectus, quæ practica eſt, & non purè ſpeculativa; finis enim providentiæ, ſicut & prudentiæ, non eſt pura veritatis cognitio, aut indagatio quidditatum, vel naturarum rerum, ſed directio, & ordinatio earum, nempe mediorum ad conſecutionem finis, & proinde ad aliquid practicè agendum; quo fit, ut in parte practica intellectus collocanda ſit, ut ſuperiùs ex D. Thoma *qu. 5. de verit. art. 1.* diximus.

II. Porrò in agendo aliquo negotio quatuor actus, tùm ex parte intellectus, tùm ex parte voluntatis concurrere ſolent, quibus tota applicatio ad finem, & media concluditur. Primus enim actus intellectus eſt, quo proponit voluntati bonitatem, & convenientiam finis in ſe: Cui correſpondet in voluntate ſimplex volitio finis: quæ ideò dicitur ſimplex, quia hoc actu incipit voluntas amare finem, abſque ullo ordine ad media, quibus talis finis eſt aſſequibilis.

Poſt hunc voluntatis actum ſequitur in intellectu judicium, quo judicat, bonum eſſe, talem finem aſſequi: & ideò proponit voluntati, convenïens eſſe, illum procurare, & aſſequi. Ex hoc oritur in voluntate intentio efficax finis, quâ incipit amare finem, non ſecundùm ſe, ſed cum ordine ad media, quæ poſſunt ad illum perducere, ideòque dicitur intendere, quia voluntas non jam præcisè complacet in

in illo, ſed in illum tendit. Ex hac intentione finis ſurgit in intellectu conſilium, inquiſitio, & judicium, quo quaſi per modum ſententiæ determinat ex multis illud medium, quod aptius cognovit ad finem jam intentum adipiſcendum, illudque proponit voluntati, ut acceptandum: In quâ oritur actus, qui vocatur electio, quâ ex variis mediis, quæ conducere poſſent ad finem, acceptat, & eligit illud, quod aptius, & convenientius judicavit intellectus, eique ut tale propoſuit.

Poſt hunc ſequitur in intellectu actus ordinativus medii ſic electi ad executionem, qui actus dicitur imperium, & cui in voluntate correſpondet actus uſus mediorum, quo applicantur potentiæ executivæ, quibus ultimatè res ad debitum finem, & executionem perducitur.

III. Totum hoc explicatur in infirmo. Hic enim primò incipit cogitare de ſanitate, & ſibi de illa complacere: Deinde judicat, bonum eſſe illam aſſequi, & ideò per voluntatem tendit ad illam aſſequendam. Quia verò media ad ſanitatem ſunt remedia, conſultat, inquirit, & tandem judicat, tale remedium eſſe aptum, illudque proponit voluntati, quæ illud eligit ſumere. Poſt hæc ordinat, & imperat ſumtionem talis remedii, quo imperio poſito, ſurgit in voluntate uſus, ſeu applicatio potentiarum exteriorum, & tandem remedii ſumtio. Hæc in nobis accidunt.

IV. In Deo tamen, fateor, ſeries iſta actuum ex parte ſubjecti, nempe Dei, ponenda non eſt, qui unico tantùm actu ſubjectivè cognoſcit finem, & media, unico etiam actu voluntatis diligit finem, & eligit media. Verùm ex parte objecti, & noſtri modi concipiendi res Divinas proportionaliter ad noſtras, ità etiam de Deo diſcurrimus. In negotio ergo prædeſtinationis primò conſideramus cognitam à Deo bonitatem ſalutis omnium, deinde eam ſimplici voluntate omnibus volitam. Rursùs concipimus cognitum à Deo, bonum eſſe, gloriam de facto dare aliquibus præ aliis, ut oſtendatur ejus miſericordia: & ex hac cognitione gloria fuerit à Deo aliquibus ſpecialiter volita, & intenta, ut conſequenda. Quia verò gloria non eſt conſequenda, niſi per merita, ideò poſt gloriam efficaciter volitam aliquibus, conſideramus, per intellectum divinum judicata media ad gloriam conſequendam, nempe merita, & hæc à Divina voluntate acceptata, & electa. Deinde media ſic electa concipimus ordinata, & imperata pro executione, quem actum vocamus imperium. Poſt quod, in opinione diſtinguente Omnipotentiam à Divino intellectu, ſequitur uſus, ſeu applicatio Omnipotentiæ ad executionem. In opinione verò, quam ſupra amplexi ſumus, quòd Omnipotentia ſit ipſemet intellectus practicus, idem actus imperii eſt formaliſſimè ipſa executio.

V. His poſitis, controverſia præſens eſt, in quanam ex his conſiderationibus conſiſtat formaliter Providentia, & Prædeſtinatio? Scientiæ mediæ Aſſertores dicunt, Providentiam, & Prædeſtinationem formaliter conſiſtere in actu illo intellectus, qui præcedit intentionem efficacem finis, qui actus pertinet ad ſcientiam mediam, quâ ante omne decretum efficax comprehenſivè Deus cognoſcit omnia media, & congruentiam eorum ad finem. Sed quia Providentia debet eſſe libera, & efficax, dicunt, illam ſcientiam mediam non vocari Providentiam, quouſque non accedat efficax voluntatis determinatio, quâ unum ordinem rerum ex à Deo præcognitis acceptet præ alio, & exequi velit; Quare in horum ſententia accipit efficaciam à determinatione libera voluntatis, non antecedente, ſed ſubſequente. Alii autem, inter quos Diſcipuli D. Thomæ, volunt, Providentiam, & Prædeſtinationem conſiſtere in actu intellectus infra explicando, ſupponente, & ſubſequente liberam determinationem divinæ voluntatis.

§. III.

§. II.

An Providentia conſiſtat in Scientia media eventus?

VI. DIco primò. Divina Providentia, & Prædeſtinatio non poteſt conſiſtere in actu illo ſcientiæ mediæ, proponente omnia media, & congruentiam eorum, etiam adjunctâ Divinâ Voluntate, aliqua ex illis ſubſequenter acceptante. Probatur primò. Quia ſcientiam mediam à Deo ſuperiùs omnino relegavimus. Secundò. Quia, ut ſupra dicebamus ex D. Thoma, actus Providentiæ eſt actus intellectus ſupponens voluntatem finis: & ſpecialiter agens de Providentia Prædeſtinativa ſemper docet, quòd ſupponit dilectionem, & electionem eorum, qui prædeſtinantur; nec enim præparantur, & diſponuntur media ad conſecutionem finis, niſi his, qui ad talem finem electi ſunt, neque eliguntur, niſi qui amantur, & diliguntur præ aliis: etenim licèt Prædeſtinatio non ſupponat electionem medii, quia hoc eſt effectus prædeſtinationis, ſupponit tamen dilectionem, & electionem Perſonæ ad finem, juxta illud Pſalm. 17. v. 20. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*; Ubi me eſſe volitum, ſeu amatum, aſſignatur tanquam ratio ſalvationis, & conſequenter Prædeſtinationis, quæ ſalutem præparat, & procurat. Sic ex dilectione mundi decreta fuit Incarnatio, Joann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Et Matth. 11. v. 25. *Revelaſti ea parvulis. Ità Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te*. Quibus apertè evincitur, præparationem mediorum, qui eſt actus Providentiæ & Prædeſtinationis, oriri ex dilectione: dare enim Unigenitum mundo, revelare myſteria parvulis, ſunt effectus Providentiæ Prædeſtinativæ, & tamen horum cauſa fuit æterna dilectio, & placitum Dei.

VII. Confirmat hoc S. Thomas *q. 6. de verit. art. 1. in corp.* dicens: *Deus non prædeſtinat, niſi in quantum eſt diligens: præexigitur etiam & electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis ſeparatur, qui non hoc modo in finem diriguntur. Hæc autem ſeparatio non eſt propter diverſitatem aliquam inventam in his, quæ ſeparantur, quæ poſſet ad amorem incitare, quia* antequam nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali dictum eſt: Jacob dilexi: Eſau autem odio habui; *ut dicitur Roman. 9. Et ideò prædeſtinatio præſupponit electionem, & dilectionem, electio verò dilectionem.*

VIII. Tertiò probatur. Proviſor, qui non determinat eventus rerum, ſed illos ſupponit jam determinatos, & in omni combinatione independenter à ſuo arbitrio ex ſola intrinſeca veritate rei futuros, & nil aliud in ſua libertate habet, quàm ex omnibus illis combinationibus futuris purificare conditionem, & eligere ex illis eam, quæ ſibi magis placuerit: Vel Proviſor non eſt, ſed potiùs miniſter, vel executor ejus, quod jam ſtatutum, & ordinatum eſt: Vel Proviſor valdè imperfectus, & non Divinus; Sed talis eſſet Deus in ſententia contraria: huic enim, antequam quid decernat, proponuntur per ſcientiam mediam omnes eventus ſub quacumque conditione, ac ſtatu, ut determinatè futuri ex ſola intrinſeca veritate rei, ſolùmque illi liberum eſt ex illis objectis jam determinatis eligere unum, purificando conditionem; ergo &c.

Major explicatur exemplo Davidis. Oblata eſt Davidi. 1. *Paralip. cap. 21.* optio trium rerum jam decretarum à Deo, ſcilicet eligere, aut tribus annis famem, aut tribus menſibus bellum, aut tribus diebus peſtem, illique ſolùm relictum fuit liberum, eligere unum ex illis tribus: qui de facto elegit trium dierum peſtem, & ceciderunt de Populo ſeptuaginta millia virorum. Inquiro igitur. Electio unius ex his tribus jam à Deo determinatis,

illique propoſitis, fuit ne in Davide actus veræ providentiæ? Et ſi fuit: factâ hâc electione, potuit ne ad ejus providentiam reduci, quòd morerentur potiùs ſeptuaginta millia, quàm triginta, quòd morerentur potiùs viri, quàm fœminæ, potiùs ſenes, quàm juvenes? Totum hoc certè fuit extra providentiam Davidis, quia ſupponebatur à Deo determinatum, non ſibi proponebatur, arbitrio ſuo determinandum, ſed ſolùm ex eis jam determinatis eligere, quod vellet, ut mandaretur executioni, juxta determinationem ab alio factam, nempe à Deo. Vel ergo non erat in Davide providentia, vel valdè imperfecta circa illud factum, quia multa proponebantur illi, non determinanda ab ipſo, ſed jam determinata ab alio principio.

IX. Nunc ad rem noſtram. Si Deo proponantur omnes rerum combinationes, & omnes earum eventus, ut jam determinati ex intrinſeca ſui veritate, & independenter à ſua ordinatione, imò ante omne ſuum decretum, & ad ipſum ſolùm ſpectet optio eligendi, & acceptandi ordinem rerum, quem voluerit, & purificare conditionem, ut executioni mandetur, qualis erit hæc Providentia? Erit fortè circa electionem hujus ordinis rerum præ alio? Sed factâ hac electione, & purificatione, omnis alia determinatio eventuum, & quòd accidat hoc vel illud, hoc vel illo modo, nonnè ſupponitur futura ex propria intrinſeca veritate ſua, omni aliâ ordinatione ſecluſâ? Etiamſi ergo non detur alia Providentia, & ordinatio in mente Divina, præter illam purificationem conditionis, ſeu acceptationis ordinis rerum, res æquè, ac eodem modo accident. Imò ſi Deus vult de illis habere aliquam Providentiam, quæ certa ſit, debet ſe conformare his, quæ jam prævidit ex ſuis principiis determinata, non verò agere ex arbitrio ſuo.

Quid autem imperfectius eſt, quàm ea providentia, quæ ſupponit res ſuas jam ordinatas, & determinatas ex alio principio: vel ſi ordinat aliquid, ordinare debet ſecundùm id, quod jam ordinatum eſt: & etiamſi non ordinet, res æquè benè, & eodem modo accidet? Providentia, quæ in ſui ordinatione debet inſpicere id, quod jam determinatum eſt, & cui res proponuntur jam ordinatæ, ut eas mandet executioni, quid aliud eſt, quàm miniſtra, & executrix eorum, quæ à creatura ſuâ libertate ſtatuta ſunt, vel ſtatuta prævidentur?

X. Dices tamen. Cognitio proponens finem cum plena cognitione mediorum, & comprehenſione omnium, quæ ad talem finem poſſunt concurrere, non eget aliqua voluntate, quæ antecedenter ordinet dicta media in finem; ſed omnis cognitio Divina, utpote comprehenſiva finis, de facto proponit Divinæ voluntati finem cum omni ordinatione mediorum; ergo non eget &c. Maj. patet. Quòd enim nos, cognito fine, & volito, non ſtatim cognoſcamus, & velimus media, ſed egeamus conſilio, & inquiſitione, procedit, quia cognitio finis non eſt comprehenſiva mediorum.

Reſpondeo, diſting. maj., cum plena comprehenſione mediorum determinatè futurorum, & practica, non eget &c., conc. maj., cum plena &c. mediorum merè poſſibilium, & ſpeculativa, nego maj. Talis autem eſt cognitio Divina antevertens omne Divinum decretum: cognoſcit quidem omnes eventus, omneſque combinationes, ſed ut merè poſſibiles, & cognitione purè contemplativâ, non practicâ; nec enim ante Divinum decretum ſupponitur aliquid determinatè futurum, ut oſtenſum eſt, nec eâ cognitione, utpote ſpeculativâ, futurum evadit. Quare, ut media ſint de facto futura, & determinatè ordinata ad finem, ſupponi debet voluntas finis: *Nullus enim* (ait D. Thom. 1. p. qu. 22. art. 1. ad 3.) *præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem.* Et qu. 23. art. 4. *non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis.* Nec

Nec Deus operatur omnia, ſecundùm quòd vidit in ſua præſcientia, ſed ſecundùm quòd conſilio voluntatis ſuæ decrevit, dicente Paulo *Epheſ.* 1. ver. 11. *prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

XI. Porro diſcrimen inter Deum, & nos, non ſtat in hoc, quòd Divina voluntas ſupponat media jam ordinata ex ſua veritate objectiva, noſtra verò ea ordinet, & præparet ex voluntate finis, aliàs eſſemus nos magis liberi, quàm Deus: ſed conſiſtit in hoc, quòd, licèt tàm nos, quàm Deus ex fine volito moveamur ad volenda media, nos tamen pluribus actibus id facimus, Deus autem unico actu formaliter, & ex parte ſubjecti, vult finem, & media; unde in Deo non eſt ordo inter actus, ſed ſolùm inter objecta volita: nam, teſte D. Thoma 1. part. qu. 19. art. 5., *ſicut in Deo intelligere cauſam non eſt cauſa intelligendi effectus; ſed ipſe intelligit effectus in cauſa: ità velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem; ſed tamen vult, ea, quæ ſunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo, hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.*

§. III.

Noſtra reſolutio.

XII. Dico ſecundò. Providentia, & Prædeſtinatio formaliter conſiſtunt in actu imperii ſupponente finem volitum, & media electa. Id expreſsè docet D. Thomas hâc *qu.* 22. *art.* 1. *ad* 1. dicens: *licèt conſiliari non competat Deo, ſecundùm quòd conſilium eſt inquiſitio de rebus dubiis; tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, ſecundùm illud Pſalm.* 148. Præceptum poſuit, & non præteribit: *& ſecundùm hoc competit Deo ratio Prudentiæ, & Providentiæ.* Et qu. 23. art. 4. in corp. *Prædeſtinatio* (inquit) *eſt pars Providentiæ. Providentia autem, ſicut & Prudentia, eſt ratio in intellectu exiſtens præceptiva ordinationis aliquorum in finem, ut ſupra dictum eſt* (qu. 22. art. 2.) *non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis. Unde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam, præſupponit ſecundùm rationem, quòd Deus illorum velit ſalutem.*

XIII. Probatur autem hâc ratione. Ad Providentiam perfectam non ſufficit, ut media ſint volita, & diſpoſita, ſed requiritur, ut ſint directa pro executione, & uſu; ergo non ſufficit ordinatio quælibet diſponens voluntatem, ut eligat media, quæ judicata ſunt convenientia ad finem, ſed ulteriùs requiritur ordinatio intimans executionem, & uſum ad extra: quod pertinet ad actum conſequentem ad electionem, quale eſt imperium, non verò illam præcedentem, quale eſt judicium. Ant. videtur certum: quia Providentia non ordinatur ſolùm ad ea, quæ intra nos manent, ſed ut ea, quæ extra nos ſunt, debitè diſponantur, & aſſequantur fines ſuos. Quouſque enim non reſpicitur res, ut ad extra ponenda, non habetur tota efficacia requiſita ad perfectam providentiam: quia nondum concipiuntur ſublata omnia impedimenta, quæ obſtare poſſunt executioni. Licèt autem Deo nihil ſit difficile, & arduum reſpectu ipſius ordinantis, tamen ex parte objecti, & aſſecutionis finis in ſe, multa ſe offerunt vincenda, quæ Deus tollit, non cæco, & naturali impetu, ſed ratione, ordine, & Providentiâ, juxta quod dicitur Judith. 9. v. 4., & 5. *Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti: & hoc factum eſt, quod ipſe voluiſti. Omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt, & tua judicia in tua Providentia poſuiſti.*

XIV. Secundò probatur, Providentiam, præſertim Prædeſtinativam, conſiſtere in actu imperii ſubſecuti ad electionem, non verò in actu judicii præcedentis, & regulantis electionem,

ex D. Thoma hâc 1. *part. qu.* 23. *art.* 4. Prædeſtinatio eſt providentia, ſeu prudentia ſpecialis Dei circa hominum ſalutem; ſed Providentia, & Prudentia principaliter conſiſtit in actu præceptivo, & ordinativo; *eſt* enim *ratio in intellectu exiſtens præceptiva ordinationis aliquorum in finem:* & patet in Prudentia regali, cujus præcipuus actus eſt Imperium intimans ſubditis executionem legis.

Tùm etiam, quia S. Thomas 1. 2. *qu.* 57. *art.* 6. expreſsè docet, actum principaliorem prudentiæ eſſe præcipere, ideòque *Eubuliam*, quæ eſt benè conſiliativa, & *Gnomen*, quæ eſt benè judicativa, adjungi prudentiæ, tanquam ſecundarias principaliori. *Circa agibilia* (inquit) *humana tres actus rationis inveniuntur, quorum primus eſt conſiliari: ſecundus judicare: tertius eſt præcipere. Primi autem duo reſpondent actibus intellectus ſpeculativi, qui ſunt inquirere, & judicare, nam conſilium inquiſitio quadam eſt. Sed tertius actus eſt propriè practici intellectus, in quantum eſt operativus; non enim ratio habet præcipere ea, quæ per hominem fieri non poſſunt. Manifeſtum eſt autem, quòd in his, quæ per hominem fiunt, principalis actus eſt præcipere, ad quem alii ordinantur. Et ideò virtuti, quæ eſt benè præceptiva, ſcilicet prudentiæ, tanquam principaliori adjunguntur, tanquam ſecundaria, Eubulia, quæ eſt benè conſiliativa, & Gnome, quæ ſunt partes judicativæ.* Hæc D. Thom. Ex quibus alia ratio formari poteſt ſic. Providentia Prædeſtinativa, quæ in ratione practica eſt, in eo actu ponenda eſt, qui verè eſt practicus, & intellectui practico correſpondet; ſed conſilium, & judicium correſpondet potiùs intellectui ſpeculativo, ſolum autem imperium intellectui practico propriè correſpondet; ergo &c.

XV. Dices tamen, in judicio regulante electionem diſtingui duas formalitates. Unam regulantis, & ſecundùm hanc præcedit electionem. Alteram imperantis, ſeu exequentis, & ſecundum hanc ſequitur electionem. In judicio autem ſecundùm hanc formalitatem conſiſtit Providentia, & Prædeſtinatio.

Sed contra. Hæc ſecunda formalitas Judicii ſecuta ad electionem, vel eſt efficaciter præceptiva de mediis, vel eſt ſolùm judicativa. Si hoc ſecundum; non poteſt in ea conſiſtere Prædeſtinatio, quæ ſecundùm D. Tho. eſt præceptiva. Si verò primum; non erit lis: nam illa formalitas erit imperium. Quòd autem hoc imperium adæquatè diſtinguatur à judicio, vel ſolùm inadæquatè, parum refert.

XVI. Tertiò probatur concluſio. Prædeſtinatio debet conſiſtere in actu efficaciter ordinativo mediorum ad ſalutem, efficaciâ executionis, qui reſpiciat media, ut cauſantia in executione finem; at hic actus eſt imperium, non judicium; ergo &c. Min. pro prima parte probatur. Efficacia ordinativa mediorum debet explicari per has voces *fac hoc;* ſed hoc habetur per actum imperii, non per actum judicii, quod ſolùm explicatur per modum ſententiæ, & indicativi, nempe *bonum eſt facere hoc;* ergo &c. Pro ſecunda parte prob. Min. Judicium electionem præcedens reſpicit media, ut effectus finis, quia etiam propter finem, & causâ finis eliguntur; ſolùm autem incipiunt eſſe cauſa finis, quando pro executione imperantur; ergo &c.

§. IV.

Repelluntur militantia contra dicta.

XVII. Objicies primò. Prædeſtinatio eſt pars Providentiæ; ſed hæc non conſiſtit in ſolo actu imperii, ſed etiam in rectitudine conſilii, & judicii, ut docet D. Tho. 2. 2. *qu.* 49. *art.* 6. *ad* 3.; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. min., ſed hæc eſſentialiter ſumta non &c., nego min., hæc adæquatè, & latè ſumta, conc. min.

min. Et hoc intendit D. Thom. laudatus. Providentia, ſicut & Prædeſtinatio ſumi poteſt dupliciter; nimirum ſtrictè, & eſſentialiter, & ſic ſolùm dicit actum imperii, ſupponentis tamen omnia prædicta, quia Providentia, ſicut & prudentia de ſuo formali, eſſentiali, & characteriſtico conceptu, quo ab Eubulia, & Gnome diſtinguitur, dicit eſſe efficaciter præceptivam, & ordinativam mediorum. Sumi etiam poteſt Providentia adæquatè pro tota ſerie actuum, qui ex parte rationis ad Providentiam concurrunt, eique inſerviunt: & hoc modo includit, & adjunctam habet Eubuliam benè conſiliativam, & Gnomen benè judicativam; ſed iſtæ de ſecundariò ſe habent ad Prudentiam, ſeu Providentiam, ut ex D. Dhoma 1. 2. *qu.* 57. *art.* 6. dicebamus.

XVIII. Secundò objicies. In eo actu formaliter conſiſtit Providentia, qui eſt cauſa effectuum proviſorum, quia Providentia Divina eſt certa, non ſolùm certitudine ſcientiæ, ſed etiam certitudine cauſalitatis, ut docet Divus Thomas loquendo de Prædeſtinatione 1. *part. qu.* 23. *art.* 6., & alibi; ſed imperium ſubſequens electionem non poteſt eſſe cauſa effectuum proviſorum; ergo &c. Min. prob. Tùm quia Imperium pertinet ad ſcientiam viſionis, quæ non cauſat, ſed ſupponit ſuum objectum. Tùm quia effectus Providentiæ conſtituuntur futuri ex vi electionis: quia media efficaciter electa infallibiliter erunt; ergo imperium ſubſequens electionem non facit illos futuros, ſed futuros ſupponit.

Reſpondetur, neg. min. Ad primam probat. dico, quòd licèt ſcientia viſionis purè contemplativa non ſit factiva ſui objecti, benè tamen ſcientia viſionis practica. Neque hoc derogat rationi intuitionis, ad hanc enim non requiritur, quòd ejus objectum præexiſtat, ſed quòd illi in eodem inſtanti *in quo*, ſeu durationis coexiſtat. Cùm ergo imperium eſto ut cauſa præcedat prioritate *à quo*, & naturæ effectus proviſos, illi tamen pro eodem inſtanti *in quo*, & durationis coexiſtant; ideò poteſt eſſe cauſa illorum, & ſimul ſcientia viſionis.

Ad ſecundam prob. min. dico, ex vi electionis effectus Providentiæ conſtitui quidem futuros affectivè, inchoativè, & in via intentionis, nondum tamen ordinativè, conſummatè, & in via executionis; ſic enim conſtituuntur futuri per actum imperii, & uſus. Quare, ſi per impoſſibile poſt electionem non ſequeretur imperium, media dicerentur quidem inchoatè futura, non tamen conſummatè, & completè.

XIX. Tertiò objicies. Hoc imperium in Deo non datur. Si enim datur, cui imperat? Creaturis? Non: quia ab æterno non ſunt; imperium autem fundatur in dominio; unde ſi ab æterno Deus non dicebatur Dominus creaturarum, quia hæ ab æterno non erant: neque poterat in illas ab æterno imperium exercere. Deo? Multò minùs: quia Deus nulli ſubeſt imperio; nec ſibi ipſi imperare poteſt, quia ſibi ipſi inferior non eſt.

Reſpondeo, imperium hoc, ſeu ordinationem ad exequendum, propriè intimare, & imperare, non Deo, ſed creaturis, ad eaſque dirigi, intimando eis executionem rerum à Deo electarum tempore ſtatuto. Eſto autem creaturæ ab æterno in propriis menſuris non exiſtant, ſunt tamen capaces imperii æterni Dei. Neque enim imperium Dei ſupponit, quibus imperet, ſed imperando facit, quia omnia imperio ſuo efficit. Deus enim *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt*. Rom. 4. v. 17. Super quæ D. Thom. *quod dicit* (inquit ibi lect. 4.) *vocat ea, quæ non ſunt: non intelligitur de vocatione temporali, ſed de vocatione Prædeſtinationis æterna, quâ vocantur, & eliguntur, etiam qui non ſunt ac ſi eſſent. Epheſ.* 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Non ſequitur tamen, quòd ſi imperium ſit ab æterno, etiam creaturæ ab æterno ſint,

ſint, ſed ſolùm pro tempore, quo earum executio imperata eſt. Neque enim imperium Dei fundatur in exercitio, ſed in poteſtate dominii, & ſuperioritate, quæ conſiſtit non in actione externa, & temporali, quæ ad exercitium dominii requiritur, ſed in interna locutione Dei, quâ ab æterno loquitur, præparat, & diſponit, quæ in tempore futura ſunt.

XX. Quamquam dici poſſet, imperium poſſe concipi in Deo, etiam reſpectu actuum divinorum. Sicut enim concipimus in Deo unum actum moventem, & alium quaſi ab eo motum, judicium dirigens electionem, & hanc ab eo directam, unum regulantem, alium regulatum: unde Mediiſtæ docent, Deum in decernendo dirigi, & regulari per ſcientiam mediam; quare dici non poterit, ſecundùm noſtrum modum concipiendi, eſſe in Deo actum per modum imperantis, & actum per modum imperati? Ità plane. Non ità tamen, ut ratio hæc imperantis, & imperati cadat ſupra actus Dei in ſe, ſed ut connotantes objecta. Sicut enim, cùm dicimus, in Deo eſſe intentionem finis, judicium de mediis, electionem &c., non loquimur ex parte actuum, ſed objectorum; ità, cùm videamus objectum ordinatum ad executionem, dicimus, adeſſe in Deo actum imperantem, & actum exequentem, quod imperatum eſt: quò nullam ſuperioritatem, aut inferioritatem inter actus Divinos admittimus, ſed ſolùm dependentiam inter objecta.

XXI. Quartò objicies. Si ponatur Prædeſtinatio in actu imperii, primus effectus Prædeſtinationis cadet ſub merito: quia quandocumque actus, in quo eſſentialiter conſiſtit Prædeſtinatio cadit ſub merito, omnis effectus Prædeſtinationis cadit ſub merito; ſed actus imperii, cùm ſupponat merita præviſa, & electa, cadit ſub merito; ergo &c.

Reſpondetur, negando aſſumtum. Ad probat. Dico, imperium ſupponere quidem merita præviſa, ſed ſolùm viâ intentionis, in quo ordine ſunt potiùs effectus, quàm cauſæ, & moventia. Unde non ſequitur, quòd imperium cadat ſub merito, nec quòd Deus ad imperandam executionem moveatur à meritis, ſed ſolùm quòd ab iſtis moveatur ad exequendum, quia in hoc ordine ſunt cauſa. Sit exemplum. Dùm infirmus ex amore ſanitatis imperat ſibi ſumtionem medicinæ, ſupponit utique medicinam à ſe præviſam, & electam: & tamen cauſa, & motivum, quare eam imperet, non eſt medicina, ſed amor ſanitatis. Sic Deus, dùm imperat executionem mediorum, quibus homines ſalventur, ſupponit media, nempe merita à ſe præviſa, & electa: & tamen ad hæc imperanda non movetur à meritis, ſed unicè à ſua miſericordi voluntate dandi gloriam iis, quos prædeſtinat, ex qua ortum fuit, ut eligerentur media, nempe merita, & quòd merita electa executioni ſuo tempore Divino imperio deſtinarentur.

QUÆSTIO II.

De Exiſtentia, & Eſſentia Providentiæ Prædeſtinativæ.

Expoſitâ exiſtentiâ, & naturâ Divinæ Providentiæ generatim acceptæ, ſequitur explicanda Providentia ſpecialis, quâ Deus ſpecialiter providit, & ab æterno diſpoſuit de Creaturis rationalibus in ordine ad earum finem ſupernaturalem, nempe æternam ſalutem, quæ vulgo *Prædeſtinatio* nuncupatur. Arcanum adeò ſecretum, ut coegerit Paulum, poſtquam illud ſcrutari conatus fuit, tandem exclamare, Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quapropter ad illud tractandum ſummâ reverentiâ Studioſus debet accedere, mentemque, ac linguam religioſè præparare, ne

Digitized by Google

ne quæ non capit, ea carpat, ſed admiretur, & quaſi ſacrum Dei Montem Moſis inſtar conſcenſurus, impuros præjudicii, & affectuum calceos exuat, ſtudeatque non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. *Rom.* 12. *v.* 3. In præſenti ergo Quæſtione exponemus, an ſit Prædeſtinatio, & quid ſit? cauſas verò ejus, & effectus in ſequentibus inveſtigare conabimur.

DUBIUM I.

An Homines Prædeſtinentur à Deo?

§. I.

Prædeſtinationis nomen.

I. Prædeſtinatio, ſi nomen ſpectes, conſtat ex præpoſitione *præ*, & nomine *deſtinatio*. Ly autem *præ* non ſignificat ſolam prioritatem dignitatis, ut voluit Catharinus, putans, Prædeſtinatos dici eos, qui præ aliis ſalvandis electi ſunt ad altiorem ſanctitatis gradum, ut B. Virginem, Apoſtolos, alioſque eximios Sanctos; ſed prioritatem durationis, quatenus Prædeſtinati dicuntur, quia ante conſtitutionem mundi, ſeu ab æterno deſtinati ſunt ad gratiam, & ad gloriam.

Porro ly *deſtinatio* duo ſignificare poteſt. Vel deſignationem internam, quâ aliquis in mente, & corde ſuo ordinat, & ſtatuit, aliquid ſe facturum: quomodo intelligitur illud 2. *Machab.* 6. *v.* 20., ubi de Eleazaro dicitur: *Deſtinavit, non admittere illicita propter vitæ amorem:* Et illud 2. *Cor.* 9. *v.* 7. *Unuſquiſque pro ut deſtinavit in corde ſuo*, ideſt, *ſtatuit*. Quare deſtinatio hoc modo ſumta non dicit ſolùm actum intellectus, ſed includit etiam propoſitum, & decretum voluntatis ſtatuentis.

Alio autem modo ly *deſtinatio* indicat deſignationem externam (quæ eſt effectus deſtinationis æternæ) quâ aliquis deſtinatur, ſeu mittitur ad exequendum id, quod interiùs ſtatutum, & ordinatum eſt: quo pacto ſumitur illud 1. Machab. 1. v. 14. Et *deſtinaverunt* (ideſt, miſerunt) *aliqui de populo, & abierunt ad Regem*. Et illud. 1. Cor. 4. v. 9. *Puto autem, quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos*, ideſt, ad mortem miſſos. Hoc exponit D. Tho. *qu.* 6. *de verit. art.* 1. dicens: *Deſtinatio, unde nomen prædeſtinationis aſſumitur, importat directionem alicujus in finem: unde aliquis dicitur nuncium deſtinare, qui eum dirigit ad aliquid faciendum; & quia illud, quod proponimus, ad executionem dirigimus, dicimur deſtinare, ſecundùm illud 2. Machab. 6. de Eleazaro, qui deſtinavit in corde ſuo, non admittere illicita, propter vitæ amorem. Sed hæc præpoſitio* præ, *quæ adjungitur, adjungit ordinem ad futurum. Unde eùm deſtinare non ſit, niſi ejus, quod eſt, prædeſtinare poteſt eſſe etiam ejus, quod non eſt*. Hæc D. Thomas. Quare Prædeſtinationis nomen frequentiùs, & in Scholis, & in familiari locutione, non pro externa, & temporali, ſed pro interna, & æterna uſurpatur, nimirum pro actu ab æterno ſtatuente, & præordinante creaturam ad finem.

II. Obſervat inſuper D. Thom. laudatus, quòd eſto Prædeſtinatio ſub Providentia collocetur, ab ea tamen diſtinguitur. *Providentia enim dicit univerſaliter ordinationem in finem: unde ſe extendit ad omnia, quæ à Deo in finem aliquem ordinantur, ſive ſint rationabilia, ſive irrationabilia, ſive bona, ſive mala: Prædeſtinatio autem reſpicit tantùm illum finem, qui eſt principalis rationali creaturæ, utpote gloriam; & ideò prædeſtinatio non eſt, niſi hominum, & eorum, quæ ſpectant ad ſalutem*. Ità S. Doct. Et quia inter omnes creaturas univerſi ſpecialiſſimè à Deo deſignantur, qui ad gloriam deſtinati ſunt: hi enim per antonomaſiam *ſignati* dicuntur Apoc. 7. v. 4. *audivi numerum ſignatorum centum quadra-*

Digitized by Google

draginta quatuor millia ſignati: & ad Epheſ. 1. v. 13. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, propterea ex uſu communi Theologorum Prædeſtinationis nomen reſtringitur ad æternam ordinationem, & præparationem Dei, quâ aliquos deſignavit, & deſtinavit ad vitam æternam. Et de Prædeſtinatione ſic accepta quærimus, an de facto detur?

Noto tamen, Prædeſtinationis nomen aliquando ſumtum fuiſſe etiam pro deſtinatione ad pœnam. Sic Concil. Valentinum 3. *ſub Lothario* anno 855. cap. 3. *fidenter* (inquit) *fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Et in hoc ſenſu uſurpavit etiam S. Auguſt. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 1., ubi duas Civitates, ſeu ſocietates hominum diſtinguit, *quarum una eſt, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo, altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.* Nihilominus in toto hoc Tractatu pro ſola deſtinatione ad gloriam eam accipiemus, in quo ſenſu eam accipit Apoſtolus Epheſ. 1. v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

§. I I.

Circa exiſtentiam Prædeſtinationis errores varii.

III. PRædeſtinationem ſic explicatam primò negaverunt Athei, & Epicurus, qui negantes animæ immortalitatem, conſequenter negabant, Prædeſtinationem ad æternam vitam: de quibus dicitur Sap. 2. v. 22. *neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum.*

Prædeſtinationem quoque non agnoviſſe, credendi ſunt Gentiles illi, qui vel in totum Dei Providentiam negaverunt, vel ſaltem ab hiſce inferioribus ſubtraxerunt, de quibus loquens David Pſal. 93. v. 7. *& dixerunt* (inquit) *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* Et Job. *cap.* 22. *v.* 14. in perſona ipſorum ait: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines Cæli perambulat.*

Prædeſtinationem inſuper è medio ſuſtulere Valentinus, & Baſilides ſecundi ſeculi hæretici, qui, referente Clemente Alexandrino *lib.* 5. *ſtromat.*, aſſerebant, dari homines naturâ fideles, & naturâ electos, & ſalvos. Quid verò de Prædeſtinatione ſentirent Pelagius, & Cæleſtius, facile captu eſt. Is enim, Auguſt. teſte *lib. de geſtis Pelagii* cap. 3., *Omnes* (dicebat) *voluntate propriâ regi, tanquam Deus neminem regat, & fruſtra ſcriptum ſit: ſalvum fac populum tuum* (ut infert Sanctus Auguſtinus). Et Cœleſtius ibid. cap. 35. aſſerebat, quòd *Victoria noſtra ex Dei non ſit adjutorio, ſed ex libero arbitrio.* Ex quibus liquet, quid de divina electione ad gloriam cogitarent hi duo hæretici, qui totum ſalutis negotium à ſolo libero hominis arbitrio pendere, docebant.

IV. Qui apertiùs contra Prædeſtinationem, & contra S. Auguſtinum ejus aſſertorem clamare cæperunt, fuerunt Semipelagiani, ſeu Maſſilienſes, ut conſtat ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarii ad Auguſt.; quaſi quòd, eâ poſitâ, liberum everteretur arbitrium, tolleretur neceſſitas correptionis, & omnia fatali quâdam neceſſitate evenirent. Ad iſtorum querelas ſedandas ſcripſit S. Auguſtinus libros de Prædeſtinatione SS., & de dono Perſeverantiæ. Sed de his inferiùs, dùm de cauſis Prædeſtinationis tractabimus.

V. Alii propterea, ut Semipelagianiſmum declinarent, in extremum errorem impegerunt. Prædeſtinationem admiſerunt, ſed talem, ut liberum in homine arbitrium extinguerent, omnia, ut fuiſſent à Deo ſtatuta, neceſſariò ſic eventura dicentes, ut hominem inevitabili ordine ſecum raperent, omni aliter agendi ab eo demtâ pote-

poteſtate. Propterea *Prædeſtinatiani* appellati fuerunt. Sunt qui hæreticos iſtos nunquam reverà extitiſſe autumment; ſed hoc nomine per contemtum, ac injuriam à Semipelagianis traductos, ac inſimulatos fuiſſe D. Auguſtini diſcipulos. Ità Janſenius *de Hæreſi Pelagiana lib. 8. cap.* 23. Si enim, ait Janſenius, Prædeſtinatiana hæreſis exorta fuit, hoc fuit, referentibus Hincmaro Remenſi (apud Flodoardum *lib. 3. hiſt. Rem. cap.* 14.) in *Epiſt. ad Nicolaum Papam*, & Sigeberto anno 415. Mirum autem eſt, cur nec Auguſtinus, nec Proſper ullam iſtius hæreſis mentionem in omnibus ſuis ſcriptis fecerint, nedum illam revicerint, ac confutaverint. Reſponderunt quidem Maſſilienſium objectis, hunc errorem ex Prædeſtinatione Auguſtiniana inferri clamantium: ſed aliquos, qui hunc errorem de facto tenuerint, non memorant; nec poſt iſtos ullum Catholicorum Scriptorum reperire eſt, qui ante Hincmarum, & Sigebertum ejuſdem meminerint. Ad hoc eò magis movetur, quia primus omnium, qui dogmata Prædeſtinatianorum recenſuit, fuit Gennadius Maſſilienſis Presbyter Semipelagianiſmi notâ non leviter aſperſus, Auguſtino, & Proſpero periniquus: Horum Primum (*Lib. de Script. Illuſtribus*) dicit in multiloquio peccaſſe: Secundum carpit, quòd Caſſiani opuſcula (in quibus errores de gratia continentur) *quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nocivè*. Hanc de ſuo Semipelagianiſmo auxit ſuſpicionem Gennadius, quòd in ſuo de hæreſibus libello, omiſsâ hæreſi Pelagianâ, & Semipelagianâ, primam ponit hæreſim *Prædeſtinatianorum*. Hæc Janſenii momenta ſunt, quem ſequuntur Uſſerius, Cabaſſutius, Contenſonius.

Cardinalis verò Noriſius in ſua *hiſt. Pelag. lib. 2. cap.* 15. cum Janſenio convenit, nullam fuiſſe Prædeſtinatianorum apertam Sectam: Fieri tamen potuiſſe, ut, cùm Semipelagiani contra S. Auguſtinum arguentes, eos errores ex ejus doctrina inferri contenderent, quidam pinguioris Minervæ homines illis aſſentirentur erroribus, cùm tamen viri docti ex reſponſionibus Proſperi objecta illa refellerent. *Quare* (concludit Noriſius) *Prædeſtinatiani, ſi qui fuere, de ultima plebe, & quos fundandæ Secta haud pares dixeris, fuiſſe non dubito, qui cùm optimè ſentirent de prædeſtinatione cum Auguſtino, adverſariorum argumentis ad illa abſurda admittenda cogebantur, ut non ſpontè, ſed veluti adacti ea ſenſiſſe credendi ſint; unde Semipelagiani ſuperbientes, eadem de illis publicaverunt, quò ſententia de prædeſtinatione gratuitâ ab Scholis penitùs eliminaretur. Hæc quidem ſit noſtra de prædeſtinatiana hæreſi opinio*. Hæc Noriſius.

VI. Alii verò hæreſim hanc reverâ fuiſſe ſentiunt: ab Adrumetini Monaſterii Monachis primitùs ortam, ſtatim ab Auguſtino ſopitam, ad illos miſſo *de correctione & gratia* libro circa annum Chriſti 427., ſed à *Lucidio* quodam Presbytero circa annum 475. infeliciter revocatam, & auctam, S. Auguſtino jam vitâ functo, iterumque duobus in Conciliis iiſdem temporibus habitis, Arelatenſi nimirum, & Lugdunenſi proſcriptam, rurſus ſæculo 9. à Gotteſchalco, viro natione Germano, profeſſione Monacho recoctam, à duobus aliis Conciliis, Moguntino ſcilicet, & Cariſiaco damnatam fuiſſe. De hac opinione, quæ hiſce temporibus videtur verior, videri poſſunt Sirmondus *tom.* 4., ubi hiſtoriam Prædeſtinatianam texit: noſter Alexandre *Hiſt. Eccleſ. ſecul.* 9. *cap.* 2. *& diſſert.* 5. *propoſit.* 4.

VII. At quidquid ſit de Prædeſtinatianis antiquis, certum eſt, ſeculo retròproximè lapſo per Lutherum hanc hæreſim fuiſſe renovatam, & per Calvinum, ejuſque ſectarios ad noſtra uſque tempora propagatam. Hi enim de æterna prædeſtinatione ſive ad vitam, ſive ad æternam mortem ſic loquuntur, ut, penitùs humano arbitrio ſublato, omnia Deus arbitrio ſuo diſpen-

Digitized by Google

penſet, æquè facientes eum bonorum, ac malorum operum auctorem. Quæ doctrina ipſimet Calvino horribilis viſa eſt. Quare *libro* 3. *Inſtit. cap.* 23. §. 7. poſtquam dixit, Deum nedum permittere, ac præſcire hominum lapſus, ſed decreto ſuo immutabili eos decernere, & decretum fuiſſe à Deo, ut ſuâ defectione periret Adam, arguens eos, qui id negant, ſtatim ſubdit. *Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præſciverit Deus, quem exitum habiturus eſſet homo, antequam ipſum conderet, & ideò præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinarat.* His tamen rejectis.

Vera, & Catholica Prædeſtinationis notio eſt, illam ità fateri, ut ſimul extollatur gratia, & libero arbitrio locus relinquatur: in quo, toto præſenti Tractatu, lumine fidei adjuti, laborare intendimus.

§. III.

Exiſtentia Prædeſtinationis.

VIII. Dico. Datur in Deo Prædeſtinatio, quâ ab æterno aliquos ad gloriam elegit, & ordinavit. Catholicum hoc dogma tradit apertè Scriptura. Tùm Rom. 8. v. 30. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit &c.* Tùm ad Epheſ. 1. v. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem &c.* Et v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum &c.* Actorum 13. v. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hanc veritatem docuerunt, ac ſtatuerunt Concilia, à quibus producendis in re tàm certa ſuperſedeo. Eandem propugnarunt Patres, quorum agmen ducit Auguſtinus, qui præ omnibus pro Divina æterna Prædeſtinatione pugnavit.

IX. Exiſtentiam ergo Prædeſtinationis probat D. Thom. 1. *p. qu.* 23. *art.* 1. hâc ratione. Quidquid Deus in tempore exequitur, ab æterno præordinavit, ac diſpoſuit, cùm enim ſit ſummus omnium Proviſor, ut *qu. præced.* oſtenſum eſt, omnium eorum, quæ in tempore facit, debuit in mente ejus præexiſtere ratio, & ordo ea in ſuos fines dirigens; ſed in tempore Deus plures homines ad vitam æternam de facto tranſmittit; ergo talis tranſmiſſionis ratio, diſpoſitio, & ordo fuit ab æterno in mente Divina, & conſequenter eorum Prædeſtinatio, quæ, ut dicemus, nil aliud eſt, quàm ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam.

Confirmatur ex eodem S. Thoma ibi. Quoties aliquis non poteſt naturæ ſuæ viribus attingere finem ſuum, quem tamen aſſequitur, neceſſe eſt, ut ad eum finem ab alio tranſmittatur, *ſicut ſagitta à ſagittante mittitur ad ſignum;* ſed Beatitudo æterna eſt finis, quem naturæ ſuæ viribus attingere nequeunt illi, qui ipſum aſſequuntur; ergo neceſſe eſt, ut Deus illos ad eum tranſmittat. Cujus quidem tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtens *Prædeſtinatio nominatur: nam deſtinare eſt mittere.* Similitudo autem à ſagitta, quam D. Thomas aſſumit, optima eſt: ſicut enim ſagitta, quia non poteſt ſe ipſâ pervenire ad ſcopum, indiget eò tranſmitti à ſagittante: ità creatura rationalis, cùm ſuis viribus nequeat ad æternam vitam perduci, eget, ut à Deo per Prædeſtinationem illuc tranſmittatur; Cui non obſcurè alludit illud Pſaltis *Pſal.* 126. v. 4. *Sicut ſagittę in manu potentis; ità filii excuſſorum:* Super quæ Sanctus Auguſtinus (enarrat. in eundem Pſalm. n. 9.) *De arcu* (inquit) *excutiuntur ſagittę, & quantò fortior excuſſerit, tantò longiùs vadit ſagitta. Quid autem fortius excutiente Domino?* Sicut ergo Apoſtoli, quibus aptat illa verba de arcu Domini excuſſi ad fines terræ pervenerunt: ità & creatura rationalis ab eodem arcu Domini excuſſa, & tranſmiſſa perveniet ad finem æternæ beatitudinis.

X. Secundò probatur eadem veritas. Creaturæ rationales non poſſunt perduci ad gloriam efficaciter ex ſola volun-

luntate generali Dei ſalvandi omnes, & præparante auxilia ſufficientia ad ſalutem; ergo dari debet voluntas ſpecialis hos præ aliis de facto perducendi ad gloriam, quæ eſt Prædeſtinatio. Antecedens probatur. Tum quia ità ſentire eſſet convenire cum Semipelagianis, qui negabant, Deum ſingulari voluntate, conſilio, & propoſito velle aliquorum ſalutem, ſed volebant, hanc relinqui cuique ex bono uſu gratiæ procurandam, neque huic magis, quàm illi fructum redemtionis efficaciter ex parte Dei applicari.

Tùm etiam quia ſi voluntas generalis ſufficeret, nulla eſſet ex parte Divinæ Voluntatis differentia inter ſalvandum, & non ſalvandum, & tota unius præ alio diſcretio eſſet ex illius libero arbitrio, quia ſcilicet unus pro ſua libertate benè uteretur auxiliis communibus, alter non; ſed hoc eſt contra Apoſtolum 1. *Cor.* 4. *v.* 7. dicentem, unum non debere inflari contra alium: *quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* ergo &c.

Tùm tertiò quia ſi non eſſet magis à Deo volita ſalus D. Petri, quàm ſalus Judæ, ſalus D. Petri, & non ſalus Judæ eveniſſent præter ordinationem, & intentionem Dei; quo poſito rueret Dei Providentia, à qua omnia debent eſſe præordinata, & præſcita.

§. IV.

Afferuntur contraria.

XI. OBjicies primò palmare argumentum, vulgò ruſticam inſtantiam nuncupatum. Si Prædeſtinatio meam ſalutem definiat, cùm certa, & infruſtrabilis ſit, infallibiliter ſortietur effectum; ergo quidquid agam, etiamſi malè, ſalvabor. Sicut è contra ſi reprobatus ſum, etiamſi in cinere, & cilicio vivam, infallibiliter damnabor. Melius ergo eſt, ut nihil ſolicitus ſim de bonis operibus, ſed deſidiosè vivens expectem, ut impleatur in me divinæ mentis infruſtrabile conſilium.

Argumentum hoc, quod, vel in Epicureorum officina elaboratum, vel Diabolicæ verſutiæ inventum puto, olim adeò mentem torſit, & anxit animos quorundam Adrumetini Monaſterii Monachorum, ut propter illud quidam (ut Sirmondo ſupracitato, & aliis placet) in Prædeſtinatianam hæreſim lapſi ſint, putantes, per prædeſtinationem, & gratiam liberum prorsùs everti arbitrium; alii verò Semipelagiani facti fuerint, afferentes, Prædeſtinationem ex noſtris bonis operibus, non ex Divinæ Voluntatis propoſito efficaciam habere. Vires inſuper habet maximas hiſce temporibus hæc inſtantia apud Lutheranos, & Calviniſtas, qui ponunt Prædeſtinationem prorsùs neceſſitantem, & evertentem humanum arbitrium: non autem in catholica veritate ponente quidem Prædeſtinationem infallibilem, ſed componente eum hac infallibilitate libertatem arbitrii.

Quare inſto ſic, & argumentum retorqueo, quærendo ab Auctore hujus argumenti, an homo ſit, an Diabolus? Si homo; Quæro iterum, an ſic loquatur etiam in aliis rebus naturalibus? Deus enim etiam naturales eventus ſuâ providentia præordinavit, qui ſuppoſitâ divinâ ordinatione certâ, infallibiliter erunt, ſicut ipſe diſpoſuit. Dicet ne ergo ſic? Vel Deus deſtinavit, me victurum uſque ad menſem, vel annum futurum, vel non? ſi deſtinavit; ergo etiamſi non manducem, vivam. Si non deſtinavit; etiamſi manducem, non vivam; ergo mihi melius eſt, ab omni cibo abſtinere. Rursùs dicet ne Agricola? Vel Deus ab æterno præordinavit, me hoc anno collecturum meſſem tempore ſuo, vel non? ſi non; non oportet ergo, ut feram, ut agrum colam. Si ſic; ſive feram, ſive colam, ſive non, colligam meſſem. Vel ergo ab omnibus humanis eventibus Dei Providen-

tia tollenda eſt, ſi certitudine, & infallibilitate ſuâ humanum ſtudium, & induſtriam inutilem reddit. Vel ſi in aliis negotiis, non obſtante certitudine Providentiæ, homini laborandum eſt, ut finem, etſi proviſum, adipiſcatur, cur poſitâ prædeſtinatione de ſua ſalute, ſub infallibilitatis prætextu, laborem, ac ſtudium pro ea aſſequenda ſibi fore ſuperfluum, exiſtimabit?

Si verò eſſet Diabolus, qui hoc ſophiſmate hominem vellet decipere, retorqueri poſſet in illum eodem modo, quo fertur Monachum quendam ab eo ſimili ſophiſmate tentatum, in eum retorſiſſe. Vel ego ſum prædeſtinatus, vel non? Si ſum prædeſtinatus; cùm hæc infallibilis ſit, ſalvabor, ac tuarum tentationum machinæ diſſolventur. Si verò non ſum prædeſtinatus; infallibiliter tuus ero. Quid ergo me tentando laboras? quieſce, & abi.

XII. Reſpond. ergo in forma, diſt. antecedens, infallibiliter ſortietur effectum, per media, quæ prædeſtinatio ordinavit, ut ſalver, conc. ant., aliter, nego ant. Reſponſio eſt D. Tho. hâc qu. 23. a. 8., ubi quærens, an Prædeſtinatio juvari poſſit precibus Sanctorum? poſtquam retulit duplicem errorem. Unum eorum, qui *attendentes certitudinem Divinæ Prędeſtinationis dixerunt, ſuperfluas eſſe orationes, vel quidquid aliud fiat ad ſalutem ęternam conſequendam, quia his factis, vel non factis, prędeſtinati conſequuntur, reprobati non conſequuntur*. Alterum eorum, qui *dixerunt*, quòd *per orationes mutatur Divina Prędeſtinatio: Et hęc dicitur fuiſſe opinio Ægyptiorum, qui ponebant ordinationem divinam, quam fatum appellabant, aliquibus ſacrificiis, & orationibus impediri poſſe*. Reſpondet, quòd in prædeſtinatione duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſa præordinatio divina, & effectus ejus. Quantùm ad primum nec precibus Sanctorum, nec bonis operibus juvari poteſt. *Non enim precibus Sanctorum fit, quòd aliquis prędeſtinetur à Deo.*

Quantùm verò ad ſecundum *dicitur Prędeſtinatio juvari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus:* quia Providentia, cujus eſt pars Prædeſtinatio, *ſic providet effectus, ut etiam ordo cauſarum ſecundarum* (per quas effectus habendus eſt) *ſubjaceat Providentię. Sicut igitur ſic providentur naturales effectus, ut etiam cauſę naturales ad illos ordinentur, ſine quibus tales effectus non provenirent: ità prędeſtinatur à Deo ſalus alicujus, ut etiam ſub ordine Prędeſtinationis cadat, quidquid hominem promovet ad ſalutem, vel orationes proprię vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujuſmodi, ſine quibus ſalutem aliquis non conſequitur. Unde prędeſtinatis conandum eſt ad benè operandum, & orandum, quia per hujuſmodi, prędeſtinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Petri 1.* Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Ità S. Thomas. Et ità reſpondendum eſt.

Ità etiam reſpondet S. Proſper, ſeu quiſquis Auctor *libri de Vocatione gentium cap. 36.* Ità D. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum* dicens: *Quos prędeſtinavit Deus ad gloriam, prędeſtinavit ad juſtitiam.* Ità S. Gregorius *lib. 1. dialogor. cap. 8.*, ubi ad quæſitum: *An obtineri aliquando precibus poſſint etiam ea, quę prędeſtinata non ſunt?* Reſpondet: *Obtineri nequaquam poſſunt, quæ pradeſtinata non fuerint: Sed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ità prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio ità eſt ab Omnipotenti Deo diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante ſecula diſpoſuit donare.*

XIII. Præterire non poſſum, hanc inſtantiam æqualiter fieri poſſe contra negantes Prædeſtinationem, ſed admittentes præſcientiam. Num, ſicut quod prædeſtinatum eſt, infallibiliter erit, ità id, quod præſcitum eſt futurum, infallibiliter erit? Audiendus propte-

rea

rea eſt S. Auguſtinus *lib. de dono Perſever. cap.* 15. ità Semipelagianos redarguens: *Iſta cùm dicuntur, ità nos à confitenda vera Dei gratia, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitenda ſecundùm eam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent: ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, ut dicat*: Sive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos. *Nunquid enim, ſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemque vertantur... propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe, quod dictum eſt? .... fuit quidam in noſtro Monaſterio, qui, corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret? reſpondebat*: Qualiſcumque nunc ſim, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſcivit. *Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: ſed uſque adeò profecit in malum, ut desertâ Monaſterii ſocietate fieret canis reverſus ad ſuum vomitum, & tamen adhuc, qualis ſit futurus, incertum eſt*. Et poſtquam ibi concluſit, non ideò negandam eſſe præſcientiam, quia eâ mali abutuntur, cap. 17. ſic ſtatuit: *Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit &c.* Quibus infert, tantum abeſſe, ut præſcientia, ac prędeſtinatio opera noſtra tollant, quin ea inferant, ut per ea perducamur ad finem, ad quem ipſe nos deſtinavit. Oportuit diutiùs hìc immorari, quia, quæ diximus, toti huic Tractatui multam lucem afferre poſſunt.

XIV. Secundò objicies. Si ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt prædeſtinatio, ſequitur, Reprobis deeſſe aliquid neceſſariò requiſitum ad ſalutem, cùm Reprobi prædeſtinati non ſint, ſed hoc eſt falſum, aliàs Reprobi non liberè, ſed neceſſariò damnarentur, nec eis imputari poſſet eorum damnatio; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. maj., aliquid requiſitum ad effectum conſecutionis gloriæ, conc. maj., ad poſſe conſequi, nego maj. Licèt ergo in Reprobis debeant eſſe omnia requiſita, ut poſſint conſequi gloriam, qualia ſunt auxilia ſufficientia, non debent tamen in eis eſſe etiam requiſita ad eam in effectu conſequendam, aliàs eam de facto conſequerentur. Porro prædeſtinatio non eſt requiſitum, ut homo poſſit ſalvari, ſed ut de facto ſalvetur, ſicut donum perſeverantiæ non eſt neceſſarium, ut homo poſſit perſeverare, ſed ut de facto perſeveret. Quare ex quo circa reprobos non detur prædeſtinatio, ſequitur quidem, quòd de facto non ſalvabuntur, non tamen, quòd non poſſint ſalvari. *Non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari. Sed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur*. Ità D. Thom. *qu.* 23. *de verit. art.* 5. *ad* 3. Oppoſito modo diſcurre de Reprobo: Impoſſibile enim eſt, quòd iſte reprobus ſit, & ſalvetur, non tamen, quòd reprobus ſit, & poſſit ſalvari.

§. V.

An aliqui ſalvandi ſint, qui prædeſtinati non fuerint?

XV. Affirmativè ſentiebant Pelagiani, & Semipelagiani, quibus Prædeſtinatio à S. Auguſtino propoſita, & prædicata diſplicebat. Contrarium tenent Doctores Catholici. Noſter Catharinus à cæterorum choro reſilire viſus eſt, dùm lib. 2. *de Prædeſt. cap. ultimo*, duplicem ſalvandorum ſtatuit claſſem. In una collocat B. Virginem, Apoſtolos, Patriarchas, & nonnullos alios eximiæ ſanctitatis viros: & hos contendit, ſine ulla præviſione meritorum ſingulari privilegio ad gloriam electos, ac prædeſti-

deſtinatos fuiſſe, & ità in gratia firmatos, ut ab ea excidere non potuerint. In altera verò collocat minoris perfectionis Sanctos, qui ſalutem, aut jam conſecuti ſunt, aut tandem conſequentur. Hos communi Providentiæ relictos, docet, ſalutem conſequi per auxilia communia, nullam in Deo ſpecialem dilectionem arguentia. Inde autem duo infert. Primum, Prædeſtinatos omnes certò conſequi ſalutem, nec eorum quemquam perire. Secundum, multos, qui hoc modo Prædeſtinati non ſunt, reverà ad ſalutem pervenire, ſed non omnes. Hæc tamen opinio nulli placère poteſt.

XVI. Dico ergo, nullum eſſe ſalvandum, qui Prædeſtinatus non ſit, ſeu ſolos Prædeſtinatos eſſe ſalvandos. Probo primò rationibus, quibus ſuperiùs exiſtentia Prædeſtinationis probata eſt. Secundò ad rem præſentem ſic evinco. Omnes ſalvandi ſunt de numero Electorum; ſed omnes Electi ſunt prædeſtinati, quia in ſcripturis pro eodem ſumitur electio, ac prædeſtinatio; ergo &c. Maj. prob. 1. *Matth. 22. v. 13., & 14.* Qui ſolùm vocati ſunt, & non electi, mittuntur in tenebras exteriores; ergo qui, quamvis vocati, non ſunt de numero Electorum, non ſunt de numero ſalvandorum. Secundò prob. Maj. Matth. 24. In die extremo non erunt niſi reprobi, de quibus dicitur v. 30. *Tunc plangent omnes tribus Terræ*, ideſt, ait Hieron. in hunc locum, *Plangent hi, qui municipatum non habuere in Cœlis, ſed ſcripti ſunt in terra:* Et electi, de quibus dicitur v. 31. *& congregabunt electos ejus* (Angeli) *à quatuor ventis;* ergo inter electos, & reprobos non dantur medii.

Secundò probatur. Omnes ſalvandi in extremo judicio erunt à dextris Chriſti; ſed omnes, qui erunt à dextris Chriſti, erunt prædeſtinati: erunt enim illi, quibus dicet Chriſtus Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, ergo &c.

XVII. Dicit Catharinus, obſervandum eſſe, quòd Chriſtus dicit: *paratum vobis regnum à conſtitutione mundi:* non: *ante conſtitutionem mundi*. Unde colligitur (ait ipſe) aliquibus paratum regnum ante conſtitutionem mundi: & hi ſunt prædeſtinati; aliis verò paratum ſolùm à conſtitutione mundi: & hi conſequentur quidem regnum, non æternâ prædeſtinatione paratum, ſed in tempore ſibi comparatum.

Sed contra. Vana enim eſt hujuſmodi meditatio: Nam hæc verba *à conſtitutione mundi*, & iſta *ante conſtitutionem mundi* idem omnino ſignificant. Unde id, quod Matthæus dicit *à conſtitutione mundi*, Paulus ad *Epheſ. 1. v. 4.* dicit *ante mundi conſtitutionem*: & 2. ad Timoth. 1. v. 9. *ante tempora ſecularia*. Deinde Deus in tempore, aut initio temporis nihil decernit, quod ab æterno non decreverit; aut ergo ſalus eorum, qui ſecundùm Catharinum prædeſtinati non ſunt, non eſt à Deo decreta, & proviſa, aut eſt decreta, & proviſa ante conſtitutionem mundi, ſeu ab æterno. Dicere autem, fuiſſe ab æterno proviſam providentiâ tantùm communi, & generali, non verò ſpeciali, eſt facere eos, qui ex iſtorum numero ſic ſalvantur, auctores propriæ ſalutis, non Deum, ac ſeſe ex propriis diſcernere ab aliis, qui ſub eadem providentia non ſalvantur; quod Semipelagianum, imò Pelagianum eſt, & contra Paulum ſæpe ſupra laudatum 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? &c.*

XVIII. Tertiò probatur D. Auguſtini teſtimoniis, qui perpetuus eſt in hac veritate: ideò ſalvandos ſalvari, quia prædeſtinati ſunt, & ideò non ſalvandos non ſalvari, quia prædeſtinati non ſunt. *Lib. de dono perſeverantię cap. 9.* ſic ait: *ex duobus parvulis originali peccato pariter obſtrictis, cur ille aſſumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ità vocetur, ut vocantem ſequatur, iſte autem aut non vocetur, aut non ità*

ità vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi non donetur, inſcrutabiliora ſunt Judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe.

Inſuper de *Prædeſt. SS. cap.* 17., ubi de glorificandis poſtquam ait: *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem eâ prædeſtinatione, quâ ſua futura facta præſcivit: electi ſunt autem de mundo eâ vocatione, quâ Deus id, quod prædeſtinavit, implevit:* ſubdit: *Quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit: illâ ſcilicet vocatione ſecundùm propoſitum: non ergo alios, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit: nec alios: ſed quos ità vocavit, ipſos & juſtificavit, nec alios: ſed quos prædeſtinavit, vocavit, & juſtificavit, ipſos & glorificavit.* Si ergo non alii vocandi, juſtificandi, glorificandi ſunt, quàm quos prædeſtinavit, non alii ſunt ſalvandi, quàm quos prædeſtinavit. Cùmque eundem ordinem ſervet S. Paulus Rom. 8. v. 30. dicens: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit:* alium ordinem ſalvandorum, qui prædeſtinati non ſint, ſibi confingere, nedum adverſatur Auguſtino, ſed Paulo, & Verbo Dei. Idem aliis in locis paſſim docet S. Auguſtinus. Cui ſubſcribit S. Fulgentius, qui lib. de fide ad Petrum cap. 36. *Firmiſſimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuitâ bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptione filiorum Dei prædeſtinatos à Deo: neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinavit ad regnum: nec quemquam eorum, quos Deus non prædeſtinavit ad vitam, ullâ poſſe ratione ſalvari.*

XIX. Dicit tamen Catharinus. *Matth.* 20. Vocati, eſto non Electi, erunt in Regnum Cœlorum, licèt noviſſimi, ideſt ultimum occupantes locum; è contra Electi futuri erunt primi, ideſt primum locum tenentes: *Sic erunt* (ut ait Chriſtus) *noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi;* ergo qui vocati ſunt, eſto non electi, erunt ſalvi, licèt inter ſalvos noviſſimi.

Quod ſic urget. Non omnes vocati ad vineam, ii nempe, de quibus dicitur, *& primi noviſſimi*, ſunt electi; & tamen omnibus à Patre familias mercès rependitur; ergo plures ſalvantur, qui vocati ſunt, non tamen electi.

Reſpondeo, negando id, quod ſupponit Catharinus, nempe ibi fieri comparationem inter Beatos majori, vel minori gloriâ; cùm potiùs fiat comparatio inter Electos, & Reprobos, qui nimirum vocati quidem ſunt, ſed non electi: ideòque dicuntur *noviſſimi*, non quia in Regno Cœlorum ultimum locum habituri ſint, ſed quia nullum locum in eo ſint habituri. Quare *Lucæ* 13. qui *noviſſimi* dicuntur, ejiciendi ſunt foras, eruntque in eorum numero, quibus in extremo judicio dicetur *neſcio vos*. Sicut etiam, qui Matth. 5. v. 19. *Minimus vocabitur in Regno Cœlorum*, nullo modo in Regno Cœlorum futurus intelligitur à S. Auguſt. *lib.* 1. *de ſerm. Dom. in Monte cap.* 8., & *tract.* 122. *in Joann.* his verbis. *Ut oſtenderet, iſtos minimos reprobos eſſe, qui docent bona loquendo, quę ſolvunt malè vivendo, ne quaſi minimos in vita ęterna futuros, ſed omnino ibi non futuros: cùm dixiſſet:* minimus vocabitur in Regno Cœlorum: *continuo ſubjecit:* dico enim vobis, quòd niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs, quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Ità S. Auguſtinus.

Porro quòd etiam, qui dicuntur *noviſſimi in Regno Cœlorum*, intelligi debeant, ac *excluſi à Regno Cœlorum*, apertè oſtenditur: nam ſecundùm omnes Patres ſenſus illius parabolæ eſt, quòd Judæi, qui erant primi, ideſt videbantur ſanctiores Gentibus, erunt noviſſimi, ideſt, nulli futuri ſunt in Re-

Digitized by Google

Regno Cœlorum, juxta illud Chriſti Matth. 8. v. 11., & 12. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Quapropter S. Auguſtinus Donatiſtas (qui gloriabantur dicentes, *de nobis dictum eſt, erunt primi, qui erant noviſſimi, ad Africam enim Evangelium poſtmodum venit*, de orientalibus verò, qui primitùs quidem fidem ſuſceperant, ſed à Fide receſſuri erant, dictum volebant, *Erunt noviſſimi, qui erant primi*) ità perſtringit: *Ipſe Dominus de quibus hoc dixit, expoſuit, & ora calumniatorum oppilavit: loquens enim de Judæis* (*Luca* 13. *v.* 8.) *qui ei dicturi ſunt*: In plateis noſtris docuiſti: Cùm videritis, *inquit*, Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras: & venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in Regno Dei: Et ecce ſunt noviſſimi, qui erant primi, & ſunt primi, qui erant noviſſimi. *Hìc certè quid contradicatur, non invenitur.* Hæc S. Auguſtinus.

XX. Ad id, quod urgetur, diſt. min., merces eadem omnibus, nempe æterna, nego min., merces diverſa, conc. min. Omnibus quidem laborantibus in vinea merces rependitur, ſed non eadem. Iis enim, qui primi vocati ſunt, ſed non electi, rependit Deus mercedem ſuo labori correſpondentem, nimirum temporalem in lege promiſſam per Moyſen; & hi fuerunt Judæi; & hæc reſpectu ipſorum venit nomine *Denarii*, de quo convenerant. Iis verò, qui noviſſimi venerunt, & nedum vocati, ſed etiam electi erant, mercedem ultra laborem, & ſupra debitum, & ex gratia rependit, nempe æternam promiſſam per Chriſtum; & hæc reſpectu eorum venit nomine *Denarii*. Hi autem poſtremi vocati, & electi, qui evaſerunt primi, Gentiles ſunt, qui licèt noviſſimi, quia tamen ad Fidem, & Gloriam electi, Regno Cœlorum donati ſunt; ubi Judæi licèt primi, quia tamen ſolum vocati, ſolâ temporalis mercedis remuneratione dimiſſi ſunt. Voluit ergo Deus erga primos exercere juſtitiam, erga noviſſimos etiam Miſericordiam, quia Dominus eſt, ideòque conquerentibus reſpondit: *non licet mihi quod volo facere?* ſubintellige *in meis* ſecundùm textum Græcum, ſeu *de bonis meis*, ut verſio Arabica. Videri poteſt S. Auguſt. *lib.* 2. *de peccat. merit.*, *& remiſs. cap.* 18. oſtendens, quare non ſit culpandus Deus, ſi aliis placitam mercedem reddens, juſtitiam exercuerit, aliis verò etiam non placitam largiendo, voluerit exercere Miſericordiam.

XXI. Dicit ſecundò Catharinus. Si Creaturæ rationis expertes non egent prædeſtinari, ut ſuos aſſequantur fines: cur hoc egebit homo? erit ne is deterioris conditionis, quàm animantia bruta?

Reſpondeo, Creaturas irrationales ad unicum finem eſſe determinatas, & hunc naturalem, ac propriis viribus aſſequibilem: ideòque ex ipſamet actione generativa ad illum inclinantur, neque egent ab alio ad ipſum tranſmitti. At homo, & quælibet rationalis creatura, præter finem naturalem, ad quem ex vi ſuæ conditionis, & naturæ dirigitur, alterius finis ordinis altioris capax eſt, ad quem cùm propriis viribus conari non poſſit, & multò minùs pervenire, eget, ut ad iſtum ab alio tranſmittatur: & hæc eſt Prædeſtinatio.

Neque ſequitur, deterioris eſſe conditionis hominem, quàm bruta, imò nobilioris, quia præter finem naturalem communem omnibus, quem propriis viribus poteſt adipiſci, elevabilis eſt ad alium altiorem, cujus irrationalia incapacia ſunt. *Nobilioris autem conditionis eſt natura, quę poteſt conſequi perfectum bonum, licèt indigeat exteriori auxilio ad hoc conſequendum, quàm natura, quę non poteſt conſequi perfectum bonum, ſed conſequitur quod-*

dam

dam bonum imperfectum, licèt ad conſecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio, ut Philoſophus dicit in 2. de Cœlo à text. 60. Ità D. Thom. 1. 2. *qu. 5. art. 5. ad 2.* ibi videndus.

DUBIUM II.

De Eſſentia, & Objecto Prædeſtinationis.

§. I.

Definitur Prædeſtinatio.

I. ESſentiam Prædeſtinationis non meliùs accipere poſſumus, quàm ex ejus definitione. Duplex autem, & utraque communis, in Scholis traditur prædeſtinationis definitio. Una ſumta ex D. Auguſt. *lib. de dono Perſever. cap.* 14. dicente: *Hæc eſt prędeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: Præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.*

Quæ definitio explicanda eſt. Nomine ergo *Præſcientiæ* non intelligitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, aut ſcientia media, ſed ſcientia practica, & approbationis. Prædeſtinatio enim, ut vidimus, eſt pars Providentiæ: *Providentia* autem *includit & ſcientiam, & voluntatem, ſed tamen eſſentialiter in cognitione manet, non quidem ſpeculativa, ſed practica*, inquit D. Thom. qu. 5. de verit. art. 1.: & qu. 6. de verit. art. 1. ad 7., *quamvis*, ait, *ſcientia, in quantum eſt ſcientia, non reſpiciat facienda, tamen ſcientia practica reſpicit facienda, & ad talem ſcientiam prædeſtinatio reducitur.* Et ratio etiam ſuadet. Nam Auguſtinus intellexit de præſcientia, non eorum, quæ merè poſſibilia ſunt, aut quæ eſſent, ſi poneretur aliqua conditio, ſed de ſcientia præparativa eorum, quæ reverâ futura ſunt, & quæ ipſemet in Electorum cordibus operaturus eſt: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*, ait ipſe *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 10. Tùm etiam præſcientia, quâ Deus ſecundùm Auguſtinum præſcit, non invenit dignum, ſed facit: *Si quæratur* (inquit ibi) *unde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant, voluntate humanâ: nos autem dicimus gratiâ, vel Prædeſtinatione Divinâ.* Rursùs præſcientia, quâ Deus prædeſtinat, præſcit de ſuo, non de noſtro: unde citato loco exponens promiſſionem de dandis Abrahæ filiis: *Non de noſtra* (inquit) *voluntatis poteſtate, ſed de ſua Prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines.* Et *de dono perſever. cap.* 14. citato, poſt traditam definitionem Prædeſtinationis, quærens, cur relicti ſint Tyrii, & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent? non reſpondit, *quia prævisi fuerant non credituri:* ſed: *quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum .... ſed nec illis profuit, quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia &c.* Loquens autem de Judæis: *Nec illis* (inquit) *obfuiſſet, quòd non poterant credere, ſi ità prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Hæc certè de ſcientia media, quæ præſcit de noſtro, non poſſunt intelligi. Tandem non eſt præſumendum, Auguſtinum in definitione Prædeſtinationis voluiſſe inſerere ſcientiam illam conditionatam, quam paſſim, ut jam vidimus *de ſcientia conditionat.*, in Pelagianis, & Semipelagianis reprobavit.

II. Neque quis reponat, S. Doctorem aſſerere, quòd Deus præparat, ac diſponit ſecundùm præſcientiam: quod indicat, eum loqui de præſcientia antevertente, & regulante diſpoſitionem, & conſequenter de ſcientia media.

Nam dico, Auguſtinum loqui de Præſcientia innixa ſuæ Prædeſtinationi, non verò eam antecedente. Quare *de Prædeſt. SS.* cap. 17. *Electi* (in-

quit) *ſunt itaque ante mundi conſtitutionem eâ prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit:* non quia præſcivit eos credituros, ſed quia facturus fuerat ipſe credentes. Priùs ergo Deus ſecundùm Auguſt. elegit, deinde præſcivit, deinde præparavit: Non priùs præſcivit, deinde elegit, ut Moliniſtæ putant. Præſcientia enim, quam in definitione prædeſtinationis poſuit, eſt actus providentiæ, quæ, ut dixi, practica eſt, ac ſupponens voluntatem finis. Recolantur quæ diximus oſtendentes, actum Providentiæ non eſſe actum ſcientiæ mediæ.

III. Additur ly *præparatio:* quo magis explicatur, Prædeſtinationem eſſe ſcientiam practicam, quà media ad vitam æternam condùcentia præparantur, & ad executionem diriguntur; & inſuper traditur differentia inter prædeſtinationem, & gratiam: etenim, ut ait idem S. Doct. *de Prædeſt. SS. cap.* 10., inter Prædeſtinationem, & Gratiam hoc intereſt, *quòd prędeſtinatio eſt gratię pręparatio, gratia verò jam ipſa donatio.* Differt etiam ly *pręparatio* à præſcientia: quia hæc, ſi ſecundùm ſe ſpectetur, non dicit alicujus rei præparationem, ſed ſolam rei prævifionem: Deus enim etiam peccata præſcit, quæ tamen non præparat; unde S. Doct. laudatus ibidem: *Prędeſtinatio* (inquit) *eſt, qua ſine preſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prędeſtinatione pręſcientia. Prędeſtinatione quippe Deus ea pręſcivit, quę fuerat ipſe facturus: unde dictum eſt*, fecit, quæ futura ſunt. *Pręſcire autem potens eſt etiam quę ipſe non facit; ſicut quęcumque peccata.*

Subjungitur: *beneficiorum Dei:* hoc eſt donorum, quæ Deus Prædeſtinatis confert, inter quæ numerantur, non ſolùm gratia ſanctificans, ſeu habitualis, ſed etiam aliæ gratiæ actuales, quibus vocantur, excitantur, adjuvantur ad benè operandum, imò ipſa bona opera, queis gloriam promerentur, & præſertim perſeverantiæ donum, & tandem ipſa gloria æterna, quæ beneficiorum Dei maximus, & ultimus eſt, ac præcipuus prædeſtinationis effectus.

IV. Ly verò *quibus certiſſimè liberantur* indicat, Auguſtinum hìc definire prædeſtinationem hominum, non Angelorum: cùm enim Angeli nunquam fuerint ſub miſeria, dici non poteſt, quòd aliquando fuerint liberati. Indicat etiam, prædeſtinationem hìc definitam ſupponere præſcientiam originalis peccati: neque enim creatura rationalis, quæ nullius peccati rea concipitur, dici poteſt miſera, & indigens liberatione. Quare S. Auguſtinus prædeſtinationem non raro vocat diſcretionem à maſſa perditionis, ut *epiſt.* 194. *aliàs* 105. *ad Sixtum cap.* 2.: è contra verò reprobationem nuncupat derelictionem in maſſa perditionis, ut *lib. de corrept., & gratia cap.* 7., ubi agens de iis, qui vel ſine baptiſmo moriuntur, vel in gratia per baptiſmum accepta non perſeverant, ait: *Non enim ſunt à maſſa illa perditionis praſcientiâ Dei, & prædeſtinatione diſereti; & ideò nec ſecundùm propoſitum vocati; ac per hoc nec electi.*

V. Demum ly *quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur* indicat primò, efficaciâ prædeſtinationis, & mediorum per ipſam præparatorum, eos, qui prædeſtinati ſunt, *certiſſimè*, ideſt, infallibiliter liberandos fore, & gloriam conſecuturos. Indicat ſecundò duplicem prædeſtinati hominis liberationem. Unam inchoatam, & imperfectam, quæ incipit in hac vita per Fidem, Spem, Charitatem, & Perſeverantiam. Aliam conſummatam, & perfectam, quæ habebitur in alia vita per adeptionem Gloriæ Cœleſtis. Quaſi dicat. Qui ante mundi conſtitutionem Præſciti, & Prædeſtinati ſunt, præordinati fuerunt ad utramque illam liberationem, inchoatam, & conſummatam, quia illis nullum in tempore conferetur beneficium, quod non ſit effectus æternâ illâ prædeſtinatione præparatus; ideòque idem S. Aug. *de prędeſt. SS. cap.* 10. *Prędeſtina-*

ſtinatio Dei (inquit) *quæ in bono eſt, gratia eſt, ut dixi, præparatio; gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.* In hac definitione exponenda diutiùs immorati ſumus. Ea enim, quæ diximus, multam lucem afferent iis, quæ inferiùs dicturi erimus.

VI. Alia Prædeſtinationis definitio eſt, quam tradit D. Thomas 1. *p. qu.* 23. *art.* 1., nempe, *ratio transmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædeſtinatio nominatur.* Dicitur *ratio:* quo denotatur, prædeſtinationem eſſe formaliter actum rationis, ſeu intellectus ſuo imperio dirigentis, & ordinantis media ad finem, ut ſupra dictum eſt. Dicitur *transmiſſionis in finem:* quo denotatur præparatio auxiliorum, quibus prædeſtinati ità tranſmittuntur in finem, ut illum infallibiliter conſequantur. Dicuntur autem *tranſmitti*, ideſt, *ultra*, & *trans* vires proprias *mitti:* quia enim vita æterna eſt finis excedens eorum vires nativas, egent ab alio tranſmitti, ſicut ſagitta eget à ſagittante tranſmitti in ſcopum, ut ſcopum attingat. Additur ly *in finem vitæ æternæ:* quo indicatur, finem prædeſtinationis eſſe conſecutionem æternæ gloriæ, in qua prædeſtinatio completur.

§. II.

De Objecto formali Prædeſtinationis.

VII. **P**Erfectam eſſentiæ Prædeſtinationis notitiam juvabit noſſe ejus objectum. Pro quo noto, in objecto prædeſtinationis conſiderari poſſe, & Perſonam, quæ prædeſtinatur, ſeu quæ tranſmittitur ad Gloriam, & cui Gratia, & Gloria præparatur, quæ eſt *finis cui:* & inſuper media, per quæ Prædeſtinatus ordinatur ad Gloriam; & Gloria, ad quam prædeſtinatur, quæ eſt *finis qui.*

Et quidem Perſonam eſſe ſubjectum prædeſtinationis, cui Deus vult prædeſtinationis effectum, nemo ambigit. Nam Perſona eſt illa, quæ dicitur prædeſtinata, ſicut paries eſt ille, qui dicitur viſus, quare paries eſt ſubjectum, ſeu objectum materiale potentiæ viſivæ. Difficultas eſt, an Perſona dici poſſit objectum formale Prædeſtinationis, an verò hoc ſint media, an Gloria?

VIII. Reſpondeo, Perſonam prædeſtinatam abſolutè ſumtam non pertinere ad objectum formale prædeſtinationis, quia Perſona ſecundùm ſe eſt indifferens, ut prædeſtinetur, vel reprobetur, ſicut paries eſt indifferens, ut ſit albus, vel niger. Ut ergo Perſona ingrediatur objectum prædeſtinationis debet induere ordinem ad gratiam, & gloriam: ità, ut in objecto prædeſtinationis quod formale eſt, ſit Gratia, & Gloria, quod verò materiale eſt, ſeu *finis cui* Gratia, & Gloria præparatur, ſit ipſa Perſona. Cùm enim Prædeſtinatio ſit providentiæ pars, debet dicere utrumque reſpectum: & ad res, quas providet, & hæ ſunt Gratia, ut medium, & Gloria, ut finis aſſequendus tali medio: & ad Perſonas, quibus providet, non ſecundùm ſe, ſed ut ordinatas ad finem per talia media.

An verò objectum formale proprium, & ſpecificum, ſeu immediatum Prædeſtinationis ſint media, nimirùm Gratia, & alia dona, quæ per illam præparantur: an ipſa Gloria, propter quam præparantur? Cenſeo, Prædeſtinationem formaliter ſumtam immediatè, & proximè eſſe de mediis, ideòque media eſſe formale objectum, & finem intrinſecum, ac ſpecificum prædeſtinationis, Gloriam autem eſſe finem, ad quem objectum prædeſtinationis ordinatur. Prædeſtinatio enim eſt pars providentiæ; providentia autem, ſicut & prudentia immediatè eſt de mediis, ut dirigendis ad finem, ut docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 47. *art.* 6. *in corp.: & qu.* 49. *art.* 6., ubi ait: *prudentia propriè eſt circa ea, quæ ſunt ad finem, & hoc ad ejus officium propriè pertinet, ut ad finem debitè ordinentur.* Eſt enim prudentia

Digitized by Google

in practicis, ſicut ſcientia in ſpeculabilibus, & ſicut in ſpeculabilibus ſe habent principia, ſic in practicis ſe habet finis. Quemadmodum ergo ſcientia non verſatur immediatè circa principia, ſed circa concluſiones, ut ex principiis benè deducantur, ità prudentia, & providentia, ac ſubinde prædeſtinatio, non verſantur immediatè circa finem, nempe Gloriam, ſed circa media, ut ad finem debitè ordinentur. Quare finis, & objectum proprium, & intrinſecum providentiæ, & prædeſtinationis eſt debitè diſponere media ad finem, nempe Gloriam: Gloria autem eſt finis mediatus, & quaſi extrinſecus, tanquam id, propter quod talia media diſponuntur.

QUÆSTIO III.

De Cauſis Prædeſtinationis.

NOn agimus hìc de cauſa efficiente: cauſa enim efficiens Prædeſtinationis, ſeu cauſa, quæ prædeſtinat, Deus eſt. Nec de cauſa finali: quia certum eſt, cauſam finalem, cujus gratia Deus prædeſtinat, eſſe ſolam Dei Gloriam; *univerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Prov. 16. v. 4. Quamvis ex parte rei volitæ dici poſſit, finem effectum prædeſtinationis eſſe ſalutem Prædeſtinati. Nec de cauſa materiali: exploratum enim eſt ex dictis, cauſam materialem, ſeu ſubjectum prædeſtinationis eſſe creaturam rationalem; hæc enim eſt, quæ prædeſtinatur. De ſola ergo cauſa meritoria, ſeu motiva quæſtio procedit, an ſcilicet Deus in hominibus lapſis aliqua præviderit merita, quibus motus fuerit ad eos prædeſtinandos: an verò ad eos prædeſtinandos unicè motus fuerit à ſua bonitate, gratuitò illos præ aliis eligendo, ante omnem meritorum prævifionem?

Quia verò Deus creaturam rationalem prædeſtinavit, nedum ad Gloriam, ſed & ad Gratiam tùm actualem, tùm habitualem, ut per eas prædeſtinationis finem conſequatur, ideò de utraque inquiremus, an ſit gratuita, an ex prævisis meritis? Priùs de prædeſtinatione ad Gratiam, deinde de Prædeſtinatione ad Gloriam ſermo erit.

DUBIUM I.

An Prædeſtinatio ad Gratiam ſit gratuita?

§. I.

Pelagii Perſona, & Errores.

I. INter eos, qui de Divina Gratia malè locuti ſunt, principem locum obtinuit Pelagius. Eſto enim aliqui ante Pelagium de ea non benè ſenſerint, ut Origenes, Theodorus Mopſueſtenus, & Ruffinus: quia tamen Pelagius primus fuit, qui contra Gratiam in apertum hoſtis prodierit, ideò errori nomen dedit, & omnes gratiæ neceſſitatem, vel negantes, vel extenuantes, Pelagiani vocantur.

Fuit Pelagius natione Britannus, profeſſione Monachus, non ex iis, qui in Monaſterio Cœnobiticam vitam ducunt, ſed ex iis, qui in ſuis ædibus religioſam vitam agebant, nulli propterea Ordini initiatus. Quem ideò Zoſimus Papa *Epiſt. ad Aurelium Carthagin., & Afros Epiſcopos*, vocat *virum laicum*, quia Monachi ad ſacros Ordines non promoti inter Laicos tunc temporis recenſebantur. Non mediocri pietatis famâ Romæ diù commoratus, à Ruffino tandem ebibit errorem, quem factus ex diſcipulo magiſter aliis inſtillare conatus eſt. Inter primos, quos ſuo infecit veneno, unus fuit Cœleſtius, de quo Marius Mercator in *Commonit. cap.* 4. ità ſcribit. *Huic Pelagio adhæſit Cœleſtius, Nobilis natu quidem, & Auditorialis Scholaſticus* (ideſt Advocatus publicarum cauſarum) *ſed natura vitio Eunuchus matris utero editus.* Quod circa annum

404.,

404., vel 405. contigiſſe crediderim. Gothis interim Italiam vaſtantibus, & Romam ſemel, ac iterum obſidione cingentibus, cum hoc Cœleſtio anno circiter 409. in Siciliam Româ navigavit Pelagius, ibique Syracuſis ſimul biennio, vel etiam triennio morati, tranſmearunt in Africam. Hic Pelagius relicto Cœleſtio poſt brevem moram Carthagine ſolvit in Palæſtinam.

II. Interim Cœleſtius Carthagine manens, ad Presbyteratum promoveri tentavit, ſed fruſtra: detectus enim à Paulino Eccleſiæ Mediolanenſis olim Diacono, repulſam paſſus fuit; imò coram Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo denunciatus fuit, deſcriptis in libello ejus erroribus. Quare Aurelius totius Africæ Primas Concilium Carthagine convocavit anno 412., cui multi interfuerunt Epiſcopi. Non adfuit tamen S. Auguſtinus, quod ipſe teſtatur *lib. 2. retract. cap. 35.* Comparuit Cœleſtius, adversùs quem ſtetit Paulinus. Diſcuſsâ causâ, Patres Carthaginenſes Cœleſtium damnaverunt, qui, ut latam ſententiam declinaret, & ne uti Hæreticus traduceretur, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, quamvis ſuæ cauſæ diffidens, appellatione neglectâ, Epheſum Aſiæ Urbem mox contenderit, ubi per obreptionem Presbyter factus, multos ſuâ hæreſi inquinavit, quorum ope vicinas inſulas infecit, ſed Rhodum maximè; adeòque errorem propagavit, ut ejus Sectæ homines etiam Cœleſtiani dicti ſint. Ex Epheſo Conſtantinopolim migrans; ſed inde ab Attico Patriarcha ejectus, Romam ſe contulit; ubi poſtquam Zoſimo Papæ illudere tentavit, clam ſe ſubtraxit; quo cognito, Zoſimus in eum, ac Pelagium decretoriam tulit ſententiam, quin adversùs ipſum, & Pelagianos ab Honorio, & Conſtantio Imperiale Edictum obtinuit anno 418., quo Pelagius, & Cœleſtius ex Urbe eiici, & omnes de horum hæreſi convicti ſpoliari bonis, ac perpetuo mulctari exilio, jubebantur. Zoſimo è vivis ſublato, Romam reverſus, in gratiam Cœleſtini Pontificis irrepere conatus eſt. At Cœleſtinus Deceſſorum ſuorum veſtigia premens, & avitæ de Gratia doctrinæ, quam ſtrenuè defenderat Auguſtinus, aſſertor intrepidus, Cœleſtium, Julianum, cæteroſque Sectæ Pelagianæ homines è totius Italiæ finibus juſſit extrudi.

III. Pelagius verò, quem in Palæſtinam profectum diximus, cùm Hieroſolymis pedem fixiſſet, gratiam Joannis illius Urbis Epiſcopi aucupari cœpit: quod & obtinuit, ab eo benigne ſuſceptus. Verùm qualis eſſet, à S. Hieronymo, quem provocaverat, & à S. Auguſtino, qui calamum in eum ſtrinxerant, detectus fuit Pelagius. Quibus acceſſit Oroſius, qui ex Hiſpania, unde oriundus erat, in Palæſtinam perveniens anno 415., manifeſtum fecit, Cœleſtium à Concilio Carthaginenſi fuiſſe damnatum, & Pelagii errores ab Auguſtino, & Hieronymo profligatos fuiſſe. Conventu ſuper hoc Hieroſolymis habito, Joannes Epiſcopus ſe Judicem exhibuit, Oroſio accuſante, & Pelagio reſpondente. At talem Judicem, utpote reo impenſè propitium Oroſius, declinans, ſilentio Pelagio indicto, judicium Innocentio I. Romano Pontifici communi ſententiâ delatum eſt. Non multò poſt accuſatus apud Palæſtinos Antiſtites, coram Synodo Dioſpolitana anno 415. ſe ſiſtere coactus Pelagius, tantis artibus callidus Hæreſiarca errorem ſuum tegere novit, ut, cùm ibi nullus eſſet contra ipſum Actor, ſubdolis ejus reſponſis decepti, ipſum tanquam innocentem declaraverint, errore *facti*, non *Juris*. Dùm tamen in hac ſua fraude exultat Pelagius, ac reportatæ abſolutionis litteras, tanquam ſuæ fidei teſtimonium ſpargit, Oroſius, qui ex Palæſtina in Africam remeat, geſta in Synodo Dioſpolitana ad Epiſcopos 68 in Concilio Carthagine congregatos defert: qui, lectis iis, quæ contra Cœleſtium, anno 412. in priore Carthaginenſi Synodo ſtatuta

ta fuerant, & conſideratis etiam geſtis in Synodo Dioſpolitana, Pelagii, & Cœleſtii errores novo anathemate configunt, quo eodem anno, nimirum 416., aliud Concilium Milevi celebratur, quo hæreſis Pelagiana damnatur, cui S. Auguſtinus interfuit. Utraque tamen Synodus tàm Carthaginenſis, quàm Milevitana, decreta ad Innocentium I. mittere ſtatuit, ut ipſe Apoſtolicâ ſuâ auctoritate, quæ Epiſcopi ſtatuerant, firmaret, cauſamque finiret. Quod, confirmando omnia ab Africanis Conciliis ſtatuta, præſtitit Innocentius. Cujus litteris in Africam perlatis S. Auguſtinus *ſerm.* 2. *de Verb. Apoſt.* nunc *ſerm.* 131. *cap.* 10. monens populos: *ubi tales Pelagianos inveneritis, occultare nolite, non ſit in vobis perverſa miſericordia: prorsùs ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite.* Rationem reddit dicens: *Jam enim de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error.*

IV. Porro, quamvis non ſtatim finitus fuerit error, mortuo enim Innocentio, Cœleſtius eâ, quâ pollebat, vafritie Zoſimum ejus ſucceſſorem decipere tentavit, eidem libellum porrigens, quo fidem ſuam, ac Sedi Apoſtolicæ obedientiam teſtabatur, ut ſuperiùs diximus, quibus Zoſimi animum à promulganda in eum ſententia hæreſis ſuſpenderat, donec ex Africa reſcriberetur; attamen, cognitâ Cœleſtii fugâ, abſque ulla cunctatione tulit in eum, & Pelagium decretoriam ſententiam, grandi illâ Epiſtolâ ad univerſos Orbis Chriſtiani Epiſcopos datâ, quâ omnia à Synodis Africanis geſta contra Cœleſtium, & Pelagium approbavit, ſententiamque à deceſſore ſuo Innocentio latam confirmavit, eamque mittens ad Honorium Imperatorem, cujus Edicto ab Urbe, & Univerſo ferè Orbe exterminati fuere Pelagiani. Hujus Epiſtolæ meminit S. Auguſtinus *Epiſt.* 190. olim 157. ad *Optatum cap.* 7., & 215. aliàs 47. ad *Valentinum.* Quo factum eſt, ut Pelagiani ſe ad extrema redactos agnoſcentes, ut res ſuas utcumque erigerent, fœdus cum Neſtorianis hæreticis inierint: ſed unà cum illis in Concilio Generali Epheſino anno 431. damnati, ad ſummas anguſtias redacti ſint, paucique hàc illàc per Occidentem diſperſi remanſerint. Hæc de Pelagii, & Pelagianorum hiſtoria, de qua abundè Cardinalis Noriſius in ſua *Hiſt. Pelag.*, Natalis Alexandre *Hiſt. Eccl. ſecul.* 5. *cap.* 3. *art.* 2., & Graveſon *Hiſt. Eccl. tom.* 2. *Colloqu.* 2., apud quos plura pro ſui eruditione Studioſus inveniet.

V. Nunc ad Pelagii, & Pelagianorum errores recenſendos accedamus. Duo fuerunt Pelagianæ hæreſeos capita. Unum contra exiſtentiam Originalis peccati, quam negabat. Alterum contra Gratiæ neceſſitatem. Circa primum dicebant, quòd peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, non totum genus humanum. Propterea infantes, qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante peccatum, ideòque, etſi non baptizentur, vitam æternam conſequuntur: non tamen Regnum Cœlorum, quod ſolis baptizatis datur. Homines tandem eſſe mortales naturâ, non pœnâ, peccatores imitatione, non origine.

VI. Circa ſecundum, quod rem præſentem tangit, varios ſtatus habuit Pelagianus error. Cùm enim primùm hæreſim promulgavit Pelagius, nullam omnino gratiam admittebat, ſed naturam ſolam, & ingenitas liberi arbitrii vires ad omne opus bonum, ac meritorium ſufficere, propugnabat. Hinc in naturæ laudem librum conſcripſit, quem ſibi traditum à Timaſio, & Jacobo, Religioſis adoleſcentibus à Pelagiana hæreſi recens converſis, S. Auguſtinus confutavit libro, quem inſcripſit *de Natura*, & *Gratia.* Et ſi aliquam gratiam admittebat, hanc eſſe liberum arbitrium, aſſerebat: quare cùm Pelagio opponeretur,

Digitized by Google

retur, quòd contra Gratiam Dei diſputaret. *Non, inquit, contra gratiam Dei diſputo. Unde probas? Eo ipſo, inquit, non contra gratiam Dei diſputo, quòd liberum arbitrium defendo.* Ità apud S. Auguſt. *lib. 11. de verb. Apoſtoli nunc Serm. 26. cap. 7.*

In ſecundo autem ſui erroris ſtatu aliqualem gratiam fateri cæpit Pelagius: ſed hanc non aliam eſſe, quàm legem, doctrinam, & exemplum Chriſti, & imitationem; quemadmodum enim Adam nobis obfuit exemplo malo; ità Chriſtus nobis prodeſt exemplo bono, quod genus gratiæ purè extrinſecum erat: totam enim meriti cauſam in libero arbitrio collocabat. Gratiam etiam remiſſionis peccatorum, Dei ſcilicet extrinſecùs peccata condonantis, admittebat.

In tertio autem ſtatu ſui erroris aliquam gratiam internam viſus eſt admiſiſſe: in ſola tamen illuminatione intellectus ſitam, quâ poſitâ illuſtratione, voluntas propriis viribus, & virtute proprii arbitrii omni alio ſecluſo poterat bonum ſectari, & hanc vocabat gratiam poſſibilitatis. Quare gratiam bonæ voluntatis, & actionis negabat. Ità S. Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti cap. 4.* Pelagii verba ex ejus libro tertio pro libero arbitrio recenſet. *Nos* (inquit) *tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe* (ideſt agere) *Primum illud, ideſt, poſſe, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit, duo verò reliqua, hoc eſt, velle, & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt: imò hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio. Quod verò poteſt homo velle, atque perficere ſolius Dei eſt. Poteſt itaque illud unum eſſe, etiamſi duo illa non fuerint: iſta verò ſine illo eſſe non poſſunt. Itaque liberum mihi eſt nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo poſſum non habere poſſibilitatem boni &c.* Ita Pelagius: quæ exemplo explicans ſubjungit: *Quod poſſumus videre oculis, noſtrum non eſt, quod verò benè, aut malè videmus, hoc noſtrum eſt. Et ut generaliter univerſa complectar: quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat: quod verò benè, vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt, quia hæc omnia vertere in malum etiam poſſumus.* Ità Pelagius. Poſt quæ S. Auguſtinus: *Ecce eſt* (inquit) *totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro libero arbitrio his omnino verbis diligenter expreſſum.*

VII. Nullam ergo gratiam, quâ velimus, & agamus, admittebat Pelagius, ſed velle, & agere totum noſtrum eſſe, aſſerebat. Quia tamen videbat, Paulum ſibi adverſari illis verbis, *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Philipp. 2. v. 13., conabatur ſe tueri (ut obſervat S. Auguſtinus citatus cap. 10.) dicens, Deum in nobis operari velle, & perficere, nos futuræ gloriæ, & præmiorum magnitudinis pollicitatione ſuccendens, ac revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſuſcitans voluntatem, *dùm nobis ſuadet, quod bonum eſt.*

Admittebat autem gratiam poſſibilitatis, & poſſe à ſolo Deo eſſe dicebat. Verùm hìc etiam deceptionem tegere conabatur: Reverâ enim hanc poſſibilitatem à Deo acceptam, nil aliud eſſe, quàm naturam, exiſtimabat: *Sed ideò* (ait S. Auguſtinus citatus cap. 6.) *ad hanc laudem adjunxit & Deum, quia niſi natura eſſet, in qua nos condidit, quâ velle, & agere poſſemus, nec vellemus, nec ageremus.*

Hanc gratiam poſſibilitatis dicebat, nedum datam à Deo: ſed inſuper gratiæ Dei auxilio ſemper adjuvari. Quid autem nomine talis gratiæ, & auxilii intelligeret, exponebat ſic (apud D. Auguſt. ibi cap. 7.) *Adjuvat enim nos*

nos Deus per doctrinam , & revelationem ſuam , dùm cordis noſtri oculos aperit , dùm nobis , ne præſentibus occupemur , futura demonſtrat : dùm diaboli pandit inſidias , dùm nos multiformi , & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat . Erat ergo gratia legis , & doctrinæ merè externa ; quòd ſi aliquid internum operabatur , hoc erat , docendo , revelando , illuminando ; in ſolo nimirum intellectu , non in voluntate eam collocabat .

VIII. Ad confitendam tandem gratiam etiam ad velle , & agere viſus eſt acceſſiſſe Pelagius , & quidem etiam ſupernaturalem : non utique neceſſariam , ſed ſolùm utilem , & ad majorem duntaxat operandi facilitatem . Ità refert S. Auguſt. *lib. de gratia Chriſti cap.* 27. , ubi cùm retuliſſet Pelagii verba *Epiſt. ad Demetriadem* dicentis : *Divinam mereamur gratiam , & faciliùs nequam ſpiritui , Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus* , hiſce verbis ſubjungit : *Significat profectò , quid ſapiat . Ut quid enim hoc verbum interpoſuit , ideſt* facilius ? *An verò non erat integer ſenſus* , ut nequam ſpiritui , Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus ? *Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit , quis non intelligat ? Volens utique credi , tantas eſſe naturæ vires , quas extollendo præcipitat , ut etiam ſine auxilio Spiritus Sancti , etſi minùs facilè , tamen aliquomodo nequam ſpiritui reſiſtatur* . Quod repetit *S. Doct. cap.* 29. , ubi relatis Pelagii verbis ex 1. *libro* pro libero arbitrio dicentis : *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium , faciliùs poſſint implere per gratiam* : Subdit S. Doctor : *Tolle* faciliùs , *& non ſolùm plenus , verùm etiam ſanus eſt* ſenſus .... *Cùm autem* faciliùs *additur , adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri , tacitâ ſignificatione ſuggeritur* . Idem teſtatur *lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 2.

IX. Porro gratiam hanc , quam Pelagius admiſit , non antecedere , & facere humana merita , aſſerebat , ſed humana merita ſequi , eorumque eſſe mercedem , & propterea homines non gratis , ſed intuitu præcedentium meritorum fuiſſe ad gratiam prædeſtinatos . Hujus erroris teſtem habemus Pelagium ipſum , qui in Epiſt. ad Innocentium I. (quam expendit D. Auguſt. *lib. de gratia Chriſti cap.* 31.) ità ſcribit : *Illi ideò judicandi , atque damnandi ſunt , quia cùm habeant liberum arbitrium , per quod ad fidem venire poſſunt , & Dei gratiam promereri , malè utuntur libertate conceſsâ . Hi verò remunerandi ſunt , qui benè libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam , & ejus mandata cuſtodiunt* . Hæc Pelagius . Hanc fuiſſe Pelagianorum doctrinam , refert idem S. Auguſt. *lib. de hæreſ. cap.* 88. , nimirum : *gratiam Dei , quâ liberamur ab impietate , ſecundùm merita noſtra dari* . Quænam autem eſſent merita , quæ Pelagiani Divinæ Gratiæ receptioni præſupponebant , deprehendere , facile eſt . Tria enim agnoſcebant merè humana , quibus homo gratiam Dei mereatur , ſcilicet boni cupiditatem , fidem , & orationem . Unde hæ ipſorum voces apud S. Auguſt. lib. *de gratia , & lib. arbitr. cap.* 14. Gratia *etſi non datur ſecundùm merita bonorum operum , quia per ipſam benè operamur ; tamen ſecundùm merita bonæ voluntatis datur : quia bona voluntas præcedit orantis , quam præceſſit voluntas credentis , ut ſecundùm hæc merita gratia ſequatur exaudientis Dei* .

X. Is ergo fuit Pelagii in ſuo errore progreſſus . Initio quidem nullam omnino gratiam admiſit , totum viribus naturæ , & libero arbitrio ſalutis negotium committens . Exinde cæpit aliquam gratiam fateri , ſed hanc merè externam , legem ſcilicet præcipientem Doctrinam revelantem , & oſtendentem bonum , quibus Chriſti adjunxit exemplum invitans ad imitationem. Ulteriùs gratiam poſſibilitatis cępit admittere , mentis quandam illuminationem , non verò gratiam voluntatis , & actionis . Tandem gratiam , quam admittebat , requirebat ad ſolum faciliùs agere , & ſecundùm merita dari contendebat .

Pela-

Pelagianam hæreſim in quatuor ſtatus dividit Janſenius Iprenſis. *lib.* 5. *de hæreſ. Pelag. cap.* 1., *& ſequ.* Primum vocat *Ethnieiſmum*, in quo ſolam naturam, & vires liberi arbitrii prædicavit, ne ipſum quidem gratiæ nomen ferre valens. Secundum vocat *Semiethnieiſmum*, in quo gratiæ nomen naturæ, & libero arbitrio tribuebat, quòd hæc ſint beneficia à Deo gratis conceſſa. Tertium vocat *Judaiſmum*, in quo gratiam in doctrina, & lege totam collocavit. Quartum denique vocat *Semichriſtianiſmum*, in quo gratiam interiorem, etiam voluntatis, & actionis admiſit, etſi non ſine errore. Janſenii hæc meditatio quibuſdam placet, quibuſdam diſplicet. Sed in hoc immorari non expedit.

§. II.

Semipelagiani, eorumque errores.

XI. Semipelagianiſmus, ſic dictus, quia, etſi non totum, partem tamen Pelagiani erroris adoptaret, fortè Pelagio, & Pelagianiſmo antiquior fuit. Sanctus enim Auguſtinus ipſe, antequam eſſet Epiſcopus, & antequam erumperet Pelagius, Semipelagianiſmo tinctus fuit, ut apparet ex ejuſdem *expoſitione* quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos *prop.* 62. (ex quâ expoſitione *lib.* 1. *retract. cap.* 23. aliqua loca recenſet, retractat, ac emendat) & ut ipſe fatetur lib. de Prædeſtin. SS. cap. 3. his verbis: *Cùm ſimiliter errarem, putans, fidem, quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo. Neque enim Fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter: niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Ut autem prędicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla Opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta &c.* Hæc eſt S. Doctoris ingenua ſui antiqui erroris confeſſio. Attamen

XII. Semipelagianæ hæreſi, quæ Pelagianæ appendix, & infelix ſurculus eſt, initium dedit enatum diſſidium in Monaſterio *Adrumetino* in Africa, occaſione Epiſtolæ S. Auguſtini ad Sixtum, tunc Præsbyterum, poſtea Romanum Pontificem. Hanc Epiſtolam, quam Florus hujus Cœnobii Monachus *Adrumetum* tranſmiſit, cùm legiſſent Monachi, in ſenſus à mente S. Auguſtini prorsùs alienos diſtracti ſunt. Quod ubi S. Auguſtinus per *Felicem*, & *Creſconium* ejuſdem Monaſterii Monachos reſciviſſet, ad Monachos illos inſtruendos edidit libros de *Gratia*, & *libero arbitrio*, duaſque dedit Epiſtolas ad *Valentinum* ejuſdem Cœnobii Præfectum. At lectio librorum *de Gratia*, & *libero arbitrio* novo errori viam aperuit. Cùm enim quidam Monachi legiſſent, omnia bona opera eſſe Dei dona: inde deduxerunt, neminem eſſe corripiendum, ſi præcepta Dei non faceret, ſed ſolùm pro illo orandum Deum, ut ipſo donante faceret, quod jubebatur. Hoc à Valentino per Florum Monachum S. Auguſtino ſignificatum, ut ex Epiſt. ejuſdem inter Auguſtinianas 216., movit ipſum, ut librum de correptione, & gratia conſcriberet, quo demonſtrat, nec gratiâ prohiberi correptionem, nec correptione gratiam negari. Porrò dùm hi motus in Monaſterio Adrumetino fervent, & Semipelagiani erroris inter Monachos ſemina jacta ſunt, Vitalis Carthaginenſis ſeſe Semipelagianum apertè prodit, aſſerens, non aliter poſſe liberum arbitrium, & Dei Juſtitiam ſervari, niſi dicatur, fidei initium non eſſe donum Dei, ſed eſſe à nobis, ideſt, ex propria voluntate, & ex hoc, quod pro ſua naturali libertate fecerit, præmium, vel ſupplicium quiſque ſit recepturus. Ad Vitalem revocandum ab errore dedit

S. Auguſt. Epiſtolam modò 217. aliàs 107. in qua ex precibus Eccleſiæ hunc errorem confutat, ac duodecim regulas pro fide circa gratiam Dei proponit.

XIII. Ex Africa Semipelagianus error transfretavit in Gallias, ubi multos nactus Patronos, hoſque viros doctrinâ præclaros, latè propagatus fuit: de quo Proſper, & Hilarius, qui S Auguſtini doctrinam defendendam ſuſceperant anno 428. ſuis Epiſtolis ipſum monuerunt, Maſſilienſium querelas ei exponentes, qui ad eos *de Prædeſtinatione SS.*, & *de dono Perſeverantiæ* libros direxit. Verùm errore in dies gliſcente, Sancto Auguſtino jam mortuo anno 430., ejuſque doctrinâ à non paucis deſpectâ, & calcatâ, Proſper, & Hilarius Romam profecti anno 431. à Cœleſtino Papa obtinuerunt Epiſtolam ad Galliæ Epiſcopos datam, in qua eos acriùs increpuit, quòd permitterent, doctrinam S. Auguſtini, à quibuſdam Præſbyteris contemni. Quod anno 494. Gelaſius Papa confirmavit, dùm damnatis in Synodo Romana Caſſiani, & Fauſti libris, SS. Auguſtini, & Proſperi opera commendavit; ac tandem Semipelagianum errorem, qui propter multos, & doctrinâ, & pietate viros, qui ei patrocinabantur, toto quinto ſeculo impunè, & citrà fidei diſpendium defenſabatur, ſeculo ſexto. anno 529. Synodus Arauſicana ſecunda à Bonifacio II. Romano Pontifice approbata, & confirmata 25. Canonibus, ex S. Auguſtini ſententiis conflatis, confixit, ac proſtravit: adeò, ut in poſterum abſque nota hæreſeos à nullo ſuſtineri licuerit.

XIV. Præcipui Semipelagianiſmi Patroni in Galliis præſertim fuere Jo: Caſſianus, Auctor ille celebris libri *Collationum Patrum*, oriundus ſive ex Scythia, ſivè (ut alii volunt) Gallus, in Provincia natus, Maſſilienſis Monaſterii à ſe constructi Monachus. Contra quem S Proſper ſcripſit librum cui titulus *adverſus Collatorem*, ideſt: Adverſus Caſſianum Auctorem libri *Collationum PP.*, in quo maximè collat. 13. quæ eſt Abbatis Cheremonis, Semipelagianiſmus apparet.

Alter Semipelagianiſmi Patronus fuit Fauſtus, primò Lirinenſis Abbas, poſtea Rejenſis Epiſcopus, natione Britannus, cui à Conciliis Arelate, & Lugduni celebratis anno 475. demandatâ Provinciâ, ut quoſdam errores in materia Prædeſtinationis recens exortos confutaret, libros de Gratia, & libero Arbitrio compoſuit; in quibus mandati limites prætergreſſus, aperto Marte doctrinam S. Auguſtini carpit, & Maſſilienſium Semipelagianorum dogmata ſtatuit. Fauſti tamen libri ab Hormiſda Papa nullius auctoritatis fuerunt declarati *Epiſt. ad Poſſeſſorem:* & anno 522. miſſi ad Africanos Epiſcopos in Sardinia exules, tanquam hæretici condemnati, & Sancto Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo contra Fauſti errores ſcribendi cura impoſita fuit, quam egregiè implevit libris ſeptem *de Gratia, & libero arbitr.* contra duos Fauſti libros. Quia tamen Fauſtus fuit cæteroquin pietate, ac probitate clarus, erroremque defenſavit eo tempore, quo nondum ſolemniter hæreſi notatus fuerat, aras, & ſacros honores in Rejenſi Eccleſia poſt mortem obtinuit, ejuſque nomen ſacris Gallicanæ Eccleſiæ diptychis ad ſcriptum fuit. Eadem fuligine tinctum fuiſſe S. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, nemo negaverit, qui legerit Epiſtolam Proſperi ad Auguſtinum. Quin & Vincentium quendam, contra quem S. Proſper ſcripſit *reſponſiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum*. Quis verò fuerit Vincentius iſte, an ille Lirinenſis, celebris auctor libri nunquam ſatis laudati, *Commonitorii* videlicet *adverſus hæreticos*, an verò alter itidem Gallus? non concordant Eruditi. Major pars in Lirinenſem conſpirat. Nec tamen per hoc quidquam auctoritatis detrahitur Lirinenſis Commonitorio in iis, quæ doctrinam de traditionibus, & Patrum uſu

uſu ſpectant : nam Vincentius ex regulis, ac principiis in tota Eccleſia receptis hæreſes impugnat; & fortè etiam ex hoc capite Auguſtinianæ doctrinæ de Gratia ſe aſſentiri non poſſe, exiſtimabat, quia eam doctrinæ Majorum contrariam exiſtimabat.

Semipelagianis accenſentur Severus Sulpitius Gallicanus Presbyter : Gennadius Maſſilienſis : Honoratus quoque Maſſilienſis Epiſcopus; de quibus Alexandre *Hiſt. Eccleſ. ſecul.* 5. *cap.* 3. *art.* 7.

XV. Nunc videamus, quinam fuerint Semipelagianorum errores. Igitur aſſerebant primò, ad initium fidei ſatis, ſuperque ſufficere vires naturæ, nec gratiam requiri : dicebant enim, initium aliquod juſtitiæ, ac ſalutis eſſe à nobis, nimirùm, fidem, & Voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ, quæ tamen operis nomine cenſenda non eſſet, aut juſtitiæ operibus annumeranda; ſicut nec deſiderium obtinendæ ſanitatis, quod in ægroto præcedit operam medici, inter Medicinæ opera numeratur. Porrò illis fidei, bonæque Voluntatis initiis promereri homines Chriſti gratiam aſſerebant: *nec negari gratiam* (dicebant) *ſi præcedere dicatur talis Voluntas, quę tantùm medicum quęrat non autem quidquam ipſa jam valeat* : ità apud Hilarium *Epiſt. ad Auguſt.* Exiſtimabant enim, nullam naturam ità depravatam, vel extinctam eſſe, *quę ſaltem non poſſit ſe velle ſanari.* Quare, teſte D. Proſpero *Epiſt. ad Auguſt.* conveniebant omnes, quòd aſſererent : *Quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam ęternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Hinc

Secundò docebant, Deum velle indiſcriminatim omnium ſalutem, ſi ipſi velint, generali, & ſincerâ voluntate; ſingulari tamen voluntate, conſilio, & propoſito non magis velle unius, quàm alterius ſalutem, nec redemtionis ſuæ fructum his magis efficaciter, quàm aliis applicare. Ita S. Proſper *carmine de Ingratis cap.* 13.

Hujus conſectarium erat, gratiam Chriſti omnibus adeſſe, omnes invitare, ſed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel ab eo ſe ſubtrahere. Neque hæretici erant, quòd gratiam ſufficientem omnibus præſtò eſſe, dicerent: ſed quòd illam ad initium fidei, vel boni operis, non requirerent, & quòd non aliam gratiam diſcretivam admitterent, dicentes diſcretionem unius ab alio non à Deo, ſeu ejus voluntate, ſed ab hominis arbitrio, etſi ſub gratia conſtituto, ſumendam eſſe : nimirùm : *fidelem ideò obediſſe, quia voluit : ſicut Prævaricatorem ideò non obediſſe, quia noluit ... Et quantum ad malum, tantum habere facultatis ad bonum* : Ità, ut *bona appetentem Dei gratia foveat, mala ſectantem damnatio juſta ſuſcipiat* : ait S. Proſper *Ep. ad Auguſt.*

Tertiò. Prædeſtinationem eſſe gratuitam, inficiabantur, ſed eam pendere volebant ex meritis, quæ Deus per ſcientiam conditionatorum explorabat, *Præſcivisse nempe Deum, quinam vocationi fidem, & obſequium eſſent accommodaturi, & perſeveraturi, quinam non; & hos reprobaſſe, illos elegiſſe.* Ità S. Proſper Ep. laudatâ; & Sanctus Hilarius Epiſt. ad Aug. *De compendio* (inquit) *putant rationem reddi electorum, vel rejectorum, in eo, quòd unicuique meritum propria voluntatis adjungitur.* Cùm verò parvulorum exemplis premerentur, qui nulla merita habent, reſpondebant, Deum præſcire merita, vel demerita, quæ habituri erant, ſi vixiſſent, & horum intuitu alios eligere ad regnum, alios à regno excludere.

Quartò. Gratias ſufficientes, ultra quas ad actu agendum, alias ex parte Dei non requirebant, & quæ quantum ad efficaciam ſubditæ erant libero arbitrio, omnibus præſtò eſſe, contendebant.

Quintò. Perſeverantiam ſingularem Dei

Dei donum eſſe negabant, cùm eam in cujuſque poteſtate eſſe aſſererent, ſi vellet, & ad hanc non aliam gratiam deſiderari, quàm quæ Adamo collata fuit. Ità refert Hilarius ad S. Auguſtinum.

Tandem S. Auguſtini doctrinam, tanquam novam, nimis duram, hominesque in deſperationem inducentem, reiiciebant (de quo S. Proſper *Ep.* ſæpe *laudata*) quòd ſub ipſo Prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem aſſereret.

§. III.

Aſſertiones contra Pelagianos, & Semipelagianos.

XVI. Dico primò. Homo lapſus non prædeſtinatur ad gratiam ex prævisis meritis per ſolas vires naturæ comparandis. Eſt contra Cœleſtium, qui ſcripſerat, *Dei gratiam ſecundùm merita noſtra dari, quia, ſi peccatoribus illam det, videtur eſſe iniquus*: quam propoſitionem, eſto Pelagius falsò negaverit eſſe ſuam, à Synodo tamen Dioſpolitana coactus eſt, ficto tamen corde, ejurare, ut refert S. Auguſtinus *lib. de geſtis Pelagii cap.* 14., & *de Prædeſt. Sanct. cap.* 2. dicens: *Pelagius ipſe in Epiſcopali judicio Palæſtino, ſicut eadem Geſta teſtantur, damnare compulſus eſt; gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari.* Quod *lib. de gratia Chriſti cap.* 23. oſtendit ex ipſa ratione Gratiæ, quæ, cùm ſit gratis data, ut vel ipſum ſonat nomen, cum ea pugnat, quòd detur, vel præparetur ex meritis. Si enim ex meritis daretur, fieret, ut gratia jam non ſit gratia, redderetur enim hoc pacto, ut debita meritis, non donaretur gratis: quod enim datur ex meritis, ex juſtitia datur, & ideò non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. *Quomodo eſt ergo* (inquit) *gratia, ſi non gratis datur? Quomodo eſt gratia, ſi ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apoſtolus* (Epheſ. 2. v. 8.) *non ex vobis, ſed Dei donum eſt; non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Et iterum* (Rom. 11. v. 6.) *ſi autem gratia, inquit, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia? quomodo, inquam, hoc verum eſt, ſi opera tanta præcedunt, quæ nobis adipiſcendæ gratiæ meritum faciant, quo nobis non donetur gratuitò, ſed reddatur ex debito? &c.* Hanc veritatem paſſim prædicant S. Auguſtini ſcripta contra Pelagianos maximè *Ep.* 194. *olim.* 105. *ad Sixtum cap.* 8., *Ep* 186. *aliàs* 106. *ad Paulinum cap.* 2. *&c.*

Et probatur hoc diſcurſu. Quidquid meriti in nobis eſt, effectus gratiæ eſt; ergo gratiam non poſſunt præcedere merita, nec ſecundum merita poteſt gratia dari, quia effectus non poteſt ſuam cauſam præcedere. Unde Sanctus Auguſtinus *Epiſt.* citatâ *ad Sixtum* cap. 5. *Quod eſt ergo* (inquit) *meritum hominis ante gratiam, quo meritò percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat, niſi gratia; & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, quàm dona ſua?*

Deinde. Quidquid in nobis præcedit gratiam, vel eſt natura, vel peccatum; ſed natura, aut quidquid naturæ eſt, non poteſt eſſe meritum ad gratiam, quæ ordinis ſupernaturalis eſt, & proinde ſupra naturæ debitum: Peccatum autem meretur pœnam, non gratiam; ergo &c. *Et ideò* (concludit loco citato *cap.* 3. S. Auguſt.) *percipiendæ hujus gratiæ merita nulla præcedunt; quoniam meritis impii non gratia, ſed pœna debetur. Nec iſta eſſet gratia, ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur.*

XVII. Dico ſecundo. Homo lapſus non prædeſtinatur ad gratiam ex prævisa fide, cujus initium ſit ex nobis, aut ad perſeverantiam, ex meritis, quæ ſint ex naturæ viribus. Eſt contra Semipelagianos. Quod fidei initium ex gratia ſit, non ex naturæ viribus, teſtantur Scripturæ Joann. 6. v. 28. 29., ubi quærentibus Turbis, *quid fa-*

faciemus ut operemur opera Dei? Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Et *verſ.* 37. addidit, *omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Quid eſt* (inquit S. Auguſt. *lib. de prædeſt.* SS. cap. 8.) *ad me veniet, niſi credet in me? ſed ut fiat, Pater dat.* Murmurantibus autem Judæis ait Chriſtus v. 43. 44. *Nolite murmurare invicem. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et rursùs v. 45. *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Valdè* (ait Aug. citatus) *remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Chriſtum.* Si ergo fides opus Dei eſt: ſi hanc dat Pater: ſi nullus eam habere, & venire ad Chriſtum poteſt, niſi Pater dederit, & à Patre audierit, & doctus fuerit: profectò initium non ſumit ex nobis.

XVIII. Secundò probatur ex Apoſtolo ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt. Ideſt* (ait S. Aug. ibi cap. 7.) *& quod dixi* per fidem, *non ex vobis, ſed donum Dei eſt etiam fides.* Non ex operibus, *inquit*, ne fortè quis extollatur. Et *lib. de gratia, & lib. arb.* cap. 7. *Poſſent enim* (inquit) *dicere. Ideò accepimus gratiam, quia credidimus, tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo: propter hoc Apoſtolus cùm dixiſſet* per fidem, & hoc, *inquit*, non ex vobis, ſed donum Dei eſt. *Rursùs ne dicerent, ſuis operibus, ſe tale donum meruiſſe, continuò ſubjecit:* Non ex operibus: ne fortè quis extollatur. *Non quia negavit, aut evacuavit opera bona .... ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides.*

XIX. Tertiò id demonſtrant Apoſtoli verba 1. *Cor.* 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti: quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quod ſi initium fidei eſſet ex noſtris viribus, gloriari poſſet homo, ſe habere aliquid, quod à Deo non acceperit, nempe fidei initium, quo non tractus, ſed propriis viribus veniret ad Chriſtum. Hoc teſtimonium adeò movit S. Auguſtinum, ut *lib. de prædeſtin. SS. cap.* 3. ingenuè confeſſus ſit, propter illud, ſuum antiquum errorem ſe retractaſſe: *Quo præcipuè teſtimonio* (inquit) *etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.* Quod repetit *cap.* 4. addens. *Hoc igitur Apoſtoli teſtimonium... non ſinit quemquam fidelium dicere, habeo fidem, quam non accepi... Sed ne hoc quidem poteſt dici: Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Chriſtum primitus credidi. Quia & hic reſpondetur:* Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

XX. Quartò idem oſtendunt ejuſdem Pauli verba 1. *Cor.* 7. *v.* 25. Miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. *Non ait:* quia fidelis eram (ſubjungit S. Auguſt. *de Prædeſt. SS. cap.* 3.) *Fideli ergo datur quidem, ſed data eſt etiam, ut eſſet fidelis.* Quod jam dixerat *lib. de grat.*, *& lib. arbitr.* cap. 7. *Non enim dixit*, Miſericordiam conſecutus ſum, quia fidelis eram, *ſed*, ut fidelis eſſem: *hinc oſtendens, etiam ipſam fidem haberi, niſi Deo miſerante, non poſſe, & eſſe donum Dei, quod apertiſſimè docet dicens:* Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.

XXI. Accedunt rationes, quas Sanctus Auguſtinus contra Semipelagianos congeſſit. Primam profert ex *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 2. Si fides ex nobis eſt, jam gratia ſecundùm merita noſtra datur; ſed hoc fateri renuebant Semipelagiani, quin & Pelagius ipſe in Epiſcopali Judicio Palæſtino damnare compulſus eſt; ergo &c. Major probatur. Qui à ſeipſo incipit credere, inci-

incipit à ſeipſo mereri fidei perfectionem, & complementum, & alia Dei dona: *Quis autem dicat* (inquit S. Auguſt.) *eum, qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi, retributione divinâ, ac per hoc gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari: Et ſimiliter quod initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis & ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter poſcimus*, contrà illud *Roman.* 11. *v.* 25. *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

XXII. Secundam profert ex eodem *libro cap.* 7. ſumtam ex ipſa fidei natura. Fides enim, cùm ſit humanæ ſalutis initium, fundamentum, radix juſtificationis, ſi hanc haberemus ex nobis, & non ex Dei dono, initium, & fundamentum noſtræ ſalutis eſſet ex nobis, non verò ex gratia, ex qua ſolùm eſſet ædificium bonorum operum ſequentium, *quaſi ad ædificium non pertineat fides: quaſi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum:* ait Auguſt. citatus. Sicque poneremus fundamentum ſalutis, non in Chriſto, ſed in nobis, contra Pauli dictum 1. *Cor.* 3. *v.* 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

XXIII. Tertiam ſumtam ex promiſſionibus, quibus Deus promittit fidem, proſequitur S. Auguſt. eodem *de Prædeſtin.* libro *cap.* 10. Quod enim promittit Deus, unus ipſe præſtat; promittit enim de ſuo, non de noſtro, alioquin aliena ipſe polliceretur, non ſua, atque ut promiſſis ſtaret, hominis ſubderetur arbitrio: quomodo igitur Deus promiſiſſet Abrahæ in ſemine ſuo fidem Gentium, ſi ipſe hoc non facturus eſſet, ſed homines, ſi de noſtræ voluntatis poteſtate, non de ſua prædeſtinatione promiſit? *Promiſit ergo* (ait Auguſt.) *quod ipſe facturus fuerat, non quod homines. Quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit; non illi faciunt, quod promiſit, alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod à Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ. Non autem ſic credidit Abraham:* Sed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt, & facere: *non ait* prædicere: *non ait* præſcire: *nam & aliena facta poteſt prædicere, atque preſcire: ſed ait:* potens eſt & facere; *ac per hoc facta, non aliena, ſed ſua.*

XXIV. Quartam rationem petit Sanctus Auguſtinus *epiſt. ad Vitalem* olim 107. nunc 217., in qua ferè per totam id probat ex precibus, quibus à Deo poſtulat Eccleſia fidem pro Infidelibus, pro qua conceſſa gratias agit: cùmque non petamus, quod habemus ex nobis, fides non à nobis, ſed à Deo venit. Sic ergo Vitalem arguit, & Epiſtolam concludit: *Si negas, orandum eſſe, ut qui nolunt credere, velint credere, & negas, agendas eſſe Deo gratias, quoniam credere voluerunt, qui nolebant credere;* (& ſi hoc ſentis) *aliter tecum agendum eſt. Si autem, quod de te magis credo, ſentis, atque conſentis, orare nos Deum debere, ac ſolere pro nolentibus credere, ut velint credere .... ſi ſentis, atque conſentis, debere nos etiam Deo agere gratias, ac ſolere pro talibus, cum ad fidem ejus, doctrinamque converſi, volentes ex nolentibus ſiunt; oportet ſine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratiâ præveniri, & ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere, qui rogatur, ut faciat, & cui nos novimus, agere gratias dignum, & juſtum eſſe, cùm fecerit.*

XXV. Ex hucuſque dictis apparet, gratuitam eſſe prædeſtinationem ad gratiam, non ſolum habitualem, & ſanctificantem, ſed actualem etiam: de hac enim præcipuè contendebatur inter Pelagianos, Semipelagianos, & Catholicos. Si enim probatum eſt, gratiam vocationis ad fidem, quâ ex nolentibus fiunt volentes credere, do-

num

Digitized by Google

num Dei eſſe, profectò conſtat, gratiam etiam actualem gratuitò, non ex meritis prædeſtinari. Si inſuper oramus Deum, ut nobis gratiam det actualem, ſi pro ea conceſſa gratias ei agimus, conſequens eſt, eam à ſolo Deo miſericorditer procedere, non ex merito dari. Et ſanè gratia, quam Synodus Dioſpolitana voluit, ut Pelagius fateretur, ſecundùm merita noſtra non dari, erat illa eadem, quam volebat, ut fateretur, ad ſingulos actus dari. Hanc autem quis non videat, eſſe gratiam actualem? Imò magis gratuita cenſenda eſt gratia actualis, quàm habitualis. Nam hæc eſto nulli de condigno debeatur, quia, ut ait Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8., *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur:* ad ipſam tamen diſponi poteſt peccator, per gratiam actualem excitantem in eo, per Spiritum Sanctum cor moventem, per actus fidei, ſpei, timoris, quibus ad juſtificationis gratiam, ſe præparet, ut docet idem Trident. *ſeſſ. 6. cap. 6.* Ubi gratiam actualem, maximè primam, nulla opera, nec de congruo diſponentia, præcedunt, ſed prorſus à Deo deſcendit, cor hominis miſericorditer tangente.

§. IV.

Pelagianorum, & Semipelagianorum momenta ſoluta.

Quamvis omnia, quibus ad ſuum errorem movebantur Pelagiani, & Semipelagiani, legantur propoſita, & ſoluta à D. Auguſtino in libris contra ipſos editis, aliqua tamen magis præcipua ſubjiciemus.

XXVI. Primò ergo objiciebant exemplum Cornelii Centurionis, qui, ut refertur in Actibus Apoſt. cap. 10. v. 31., orationibus, & eleemoſinis meruit, ut Deus illi fidem largiretur.

Reſpondit tamen S. Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS. cap. 7.*, quòd Cornelius ſine aliqua fide nec donabat, nec orabat: *Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* habebat ergo Cornelius fidem Chriſti, ſaltem implicitam, eſto non adhuc explicitam: habebat fundamentum, nondum tamen ædificium, ad quod ædificandum miſſus eſt *Architectus Apoſtolus Petrus*. Dici etiam poteſt, quòd Cornelius, etſi nondum crederet, quia de Chriſto nondum imbutus, cogitabat tamen, & cupiebat inſtrui, & credere, & hac ratione miſit nuncios ad Petrum. Cogitare autem de fide, & eam deſiderare, donum Dei eſt, ut docet S. Auguſtinus *citato libro cap. 2.*, ubi ex teſtimonio Pauli 2. *Cor.* 3. v. 5. *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* Arguit: *Attendant hîc, & verba iſta perpendant, qui putant, ex nobis eſſe fidei captum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Quis enim non videat, priùs eſſe cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum.* Et inferiùs: *Si non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.* Concludam ergo cum eodem S. Auguſtino cap. 7. citato: *Quidquid igitur, & antequam in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm crediſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne fortè quis extollatur.*

XXVII. Secundo objiciebant. Credere, vel non credere eſt in arbitrio poteſtatis humanæ; ergo initium fidei ex nobis eſt, non ex Deo.

Reſpondeo ex D. Auguſt. *lib. de prædeſt. SS. cap. 5. & 6.*, diſt. ant. in arbitrio poteſtatis humanæ, præparatæ à Domino, conc. ant. à ſe, nego ant. Fides ergo eſt donum Dei: *non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ* (ait nunquam ſatis laudatus S. Doctor)

ſed in electis præparatur Voluntas à Domino. Ideò *ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet.* Quis te diſcernit? Quid autem habes. quod non accepiſti? *Multi audiunt Verbum veritatis: ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de Judicio.*

XXVIII. At inquies. Si fides, ipſumqne fidei initium dona Dei ſunt, quare non omnibus tribuuntur? quare non omnibus præparatur voluntas, cùm Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?

Qui ità arguit, audiat à D. Auguſtino reſponſum Citato libro cap. 8. *Fides igitur* (inquit) *& inchoata, & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet* (nimirum donum dans actu credere, non verò dans poſſe credere: hoc enim omnibus aliquo modo dari, ſuperiùs oſtenſum eſt) *qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit, ex uno omnes eſſe in condemnationem ſine dubitatione juſtiſſimam? ità, ut nulla Dei eſſet juſta reprehenſio, etiamſi nullus inde liberaretur. Unde conſtat, magnam eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis, qui non liberantur, agnoſcunt: ut qui gloriatur, non in ſuis meritis, quæ paria videt eſſe damnatis, ſed in Domino glorietur &c.*

Hanc Doctrinam clariùs expendit *lib. de ſpiritu & littera.* ubi cap. 33. dicit. *Vult autem Deus, omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur.* Deinde *cap.* 34. oſtendens, quomodo omnibus adſit, unde poſſint velle credere, non tamen ex libero arbitrio, quod, cùm crearemur, accepimus, ſed ex dono Dei ac, munere divino, dicit, hoc Deum agere viſorum ſuaſionibus *ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per evangelicas exhortationes ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat, ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.... Quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt: Quid enim habes, quod non accepiſti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem, & habere, utique accipientis, & habentis eſt.* Hucuſque deſcripſit S. Auguſtinus gratias ſufficientes, quibus homo fit potens credere, & quibus prævenitur, ut credat, & quas recipere conſentiendo, vel non recipere non conſentiendo, propriæ voluntatis eſt. Tranſiens verò ad quæſtionem: Cur unus eam recipiat, & conſentiat, alter non recipiat, & non conſentiat? non recurrit ampliùs ad propriam voluntatem. Sed audiamus, quid dicat. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ità ſuadeatur, ut perſuadeatur: illi autem non ità? duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat.* O altitudo divitiarum! & numquid iniquitas apud Deum? *Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumtores.*

XXIX. Objiciebant quartò apud D. Auguſtinum *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 11. Cum dicitur: ſi credideris, ſalvus eris: unum horum exigitur, alterum offertur; ergo quod exigitur, in hominis, quod offertur, in Dei eſt poteſtate.

Reſpondet S. Doctor ibi, retorquendo primò inſtantiam. *Sic dicitur*, ſi credideris, ſalvus eris: *quemadmodum dicitur* (*Rom.* 8. *v.* 13.) Si ſpiritu facta

facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Nam & hìc ex his duobus unum exigitur, alterum offertur.... Ut ſpiritu facta carnis mortificemus, exigitur, ut autem vivamus, offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei eſſe dicamus: neque id donum Dei eſſe fateamur, quoniam exigi audimus à nobis, præmio vitæ, ſi hoc fecerimus, oblato? Abſit, ut hoc placeat participibus, & defenſoribus gratiæ: Pelagianorum eſt error iſte damnabilis &c.... Sicut ergo, quamvis donum Dei ſit, facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis, propoſito præmio vitæ: ità donum Dei eſt Fides, quamvis & ipſa, cùm dicitur,* ſi credideris, ſalvus eris, *propoſito præmio ſalutis, exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, ut intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus &c.* Quæ adeò aperta ſunt, ut expoſitione non egeant.

XXX. Objiciebant quintò. Jubet Deus, ut oremus, & petamus, noſtręque orationi, ac poſtulationi ſe adfuturum, pollicetur Lucæ 11. v. 9. *Petite, & dabitur vobis.* A nobis igitur eſt, ut petamus, quæramus, & pulſemus: atque adeò, ſi non fides ipſa tota, ſaltem ejus cupiditas, & initium ſine Gratia haberi poteſt.

Reſpondet D. Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia cap. 22. Hoc ipſum petere donum Dei eſſe. *Nec unquam* (ait) *redire poteſt ovis errans, niſi fuerit boni Paſtoris inquiſitione præventa. Propterea Paſtor bonus venit quærere, & ſalvam facere ovem perditam, quæ Paſtorem ſuum quærere non poteſt, priuſquam ab eo quæratur; ſed à quærente prævenitur, ut quærat. Paſtor autem fruſtra eam quæreret, ſi quæſita Paſtorem ipſa quærere non poſſet.* Addo, quòd, ut benè quæramus, & petamus, egemus Dei adjutorio. Nam, ut ait Paulus Rom. 8. v. 26., *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis.* Ubi S. Auguſt. *l. de dono Perſever. cap. 23. Quid eſt*, inquit, ipſe Spiritus interpellat, *niſi interpellare facit?* & paulò poſt. *Adtendant* (ſubdit) *quomodò falluntur, qui putant, eſſe à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quod gratia præceditur merito noſtro.... Nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus: Accepimus enim ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater &c.*

XXXI. Sed dices. Ex quo Deum precamur, ut det nobis fidem, colligimus, fidem, quam poſcimus, eſſe ab ipſo; ergo ex quo Deus nobis imperat, ac præcipit, ut eam petamus, colligere poſſumus, quòd petere fidem, ex nobis ſit: ſicut enim Deum non rogamus de iis, quæ à nobis ſunt: ſic ea, quæ ſunt ab ipſo, nobis imperare non poteſt.

Reſpondetur, diſt. conſeq. Petere fidem ex nobis ſit, ex nobis obſequentibus, conc. conſeq., ex nobis prævenientibus, nego conſ. In converſionis noſtræ initio, quo petimus, quo cor aperimus, facimus nos, facit & Deus: facit Deus præveniendo, facimus nos obſequendo: & dùm Deus jubet, dat unde faciamus quod jubet. Audiamus Auguſt. *lib. de Gratia & lib. arb. cap. 15. Quare*, inquit, *jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt; niſi quia dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet?* Videatur S. Doctor. *lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 9.*

XXXII. Objiciebant ſextò. Licèt homo infirmus non poſſit à ſe ſanitatem acquirere, poteſt tamen eam deſiderare, & quærere medicum; ergo licèt homo lapſus non poſſit facere bonum, & juſtificari à ſe, poterit tamen ſaltem deſiderare ſalutem, quærere Chriſtum medicum, & ſic ſalutem ſuam propriis viribus inchoare.

Reſpondetur, negando conſequentiam. Sanitas enim corporis non ex- cedit

edit vires naturales animæ, ſicut eas excedit ſalus animæ, utpote ordinis ſupernaturalis, hanc enim à ſe nec poteſt cogitare, multò minùs deſiderare, & quærere. *Videant* (inquit Sanctus Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 8.) *quid reſpondeant dicenti Apoſtolo* (2. Cor. 3. 5.) non quia idonei ſumus cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Cogitare, ait, aliquid, utique bonum: minùs eſt autem cogitare, quàm cupere. Cogitamus quippe omne, quod cupimus, nec tamen cupimus omne, quod cogitamus: quoniam nonnunquam & quod non cupimus, cogitamus. Cùm igitur minùs ſit cogitare, quàm cupere: poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitabat; quomodo ad id, quod minùs eſt, ideſt ad cogitandum aliquid boni non ſumus idonei ex nobis metipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & ad id, quod eſt amplius, ideſt, ad cupiendum aliquid boni ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Neque enim & hic Apoſtolus ait: non quia idonei ſumus cogitare, quod perfectum eſt, tanquam ex nobiſmetipſis: ſed cogitare, ait, aliquid: cui contrarium eſt nihil. Unde eſt illud Domini Joann. 15. v. 5. ſine me nihil poteſtis facere.* Ità diſcurrit S. Auguſtinus.

XXXIII. Tandem objiciebant. Si fides, & initium fidei ſit ex gratia, excuſare poterunt ignorantiam, vel contumaciam, qui non credunt, quod eis vel prædicatio fidei, vel gratia interior defuerit ad credendum.

Reſpondetur cum D. Auguſtino *ep.* 105. *nunc* 197. *ad Sixtum cap. 6.*, quòd *per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propria voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat; ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis, qui credere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt. In eis autem, qui non potuerunt pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.*

DUBIUM II.

An homines prædeſtinentur ad gratiam ex operibus moraliter bonis de congruo Deum moventibus.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Huic Dubio locum dederunt Molinæ Diſcipuli, aſſerentes, prędeſtinationem ad primam Gratiam eſſe nonnunquam ex prævifione operum, quæ paſſim appellantur opera bona moraliter: ità, ut viribus naturæ facienti quod in ſe eſt, Deus primam gratiam non deneget: non quidem ità, ut illa bona opera per naturæ vires comparata fundent meritum de condigno, ut Pelagiani aſſerebant, ſed tantùm de congruo, quòd ſit quædam præparatio, & diſpoſitio ad gratiam actualem primam, eſto non per ſe, per accidens ſaltem, ex pacto nimirùm, quod Deus Pater iniit cum Chriſto, conferendi eam ex mera liberalitate homini facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturę. His tamen in ſua opinione relictis.

II. Dico primò. Homo lapſus non prædeſtinatur ad primam gratiam ex prævifione operum, quæ moraliter bona ſint, quæque de congruo Deum moveant ad conferendam primam gratiam, puta vocationis ad fidem. Recolo ex dictis Dubio præcedente, Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra non dari, eſſe articulum fidei ſtatutum contra Pelagianos. Quòd verò excludere debeat merita non ſolùm de condigno, ſed etiam de congruo; imò quemlibet actum naturæ viribus elicitum, ſive meritorium, ſive non meritorium, ad cujus intuitum Deus primam gratiam actualem ſive ex juſtitia, ſive ex mera liberalitate nobis largiatur; probandum eſt.

Pri-

Digitized by Google

Primò. Nam Deum in conferenda actuali ſuæ vocationis gratia non reſpicere ad opera hominum, neque eam intuitu eorum dare, conſtans fuit ſententia Auguſtini, & Proſperi contra Semipelagianos: & oppoſitum tanquam eorum errorem reprobarunt. Enarrat. enim in Pſalm. 70. ſerm. 2. num. 1. *Gratia* (inquit) *gratis data eſt. Nam niſi gratis eſſet, gratia non eſſet. Porrò autem, ſi propterea gratia eſt, quia gratis eſt, nihil tuum praeceſſit, ut acciperes. Nam ſi aliqua bona opera tua praeceſſerunt, pretium accepiſti, non gratis: pretium autem, quod nobis debebatur, ſupplicium eſt.* Et in Pſ. 62. num. 12. *Quæ* (inquit) *bona facta noſtra praeceſſerunt, ut Deus nobis gratiam ſuam daret? Nunquid invenit juſtitias, quas coronaret, & non delicta, quæ donaret? Utique delicta, quæ donavit, ſi punire vellet, non eſſet injuſtum: Quid enim tàm juſtum, quàm ut puniatur peccator?* & lib. de geſtis Pelagii cap. 14. ait: *gratia ergo donatur indignis, ut reddatur debitum dignis.* Supponit ſemper D. Auguſtinus, quidquid eſt in homine ante primam gratiam eſſe peccatum, quod potiùs Deum moveat ad pœnam, quàm ad gratiam: & nullam operum moralium, pro danda gratia, Deum habere rationem.

III. Reſpondent adverſarii, Semipelagianos duo docuiſſe. Primum, motum viribus naturæ elicitum in aliquibus præcedere gratiam actualem, & eſſe viam, & conditionem ad eam accipiendam. Secundum, eum motum naturalem habere rationem meriti reſpectu gratiæ ſaltem de congruo. In primo non errarunt, neque ab Auguſtino reprehenduntur; benè tamen in ſecundo.

IV. Sed contra primò. Illa opera naturalia moraliter bona, vel movent Deum, ut intuitu eorum ſuam exerceat miſericordiam potiùs erga iſtum, quàm erga alterum, vel non; ſi non; ergo illa opera in ordine ad gratiam recipiendam ità ſunt, ac ſi non eſſent. Si verò Deum movent; non poſſunt effugere rationem meriti, ſaltem de congruo: ideò enim Deus exercet miſericordiam circa hominem, qui benè vivit moraliter, quia congruum eſt; ergo ea bona opera habent congruitatem ad gratiam.

V. Deinde Semipelagiani non contendebant, motibus illis præcedentibus gratiam adeſſe vim aliquam meritoriam gratiæ. Quod probo. Nam ipſi tales motus dicebant eſſe, ſicut motus infirmi, qui licèt non poſſit per ſe apprehendere ſanitatem, poteſt tamen illam deſiderare, vocare medicum, venire ad medicum; tales autem actus non ſunt meritorii ſanitatis, ſed purè via ad ſanitatem per medicum obtinendam. Quare Hilarius ad Auguſtinum referens Maſſilienſium doctrinam, ſic eos loquentes inducit. *Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis Voluntas, quæ tantùm medicum quærat: non autem quidquam ipſa jam valeat.*

VI. Addo, D. Paulum perpetuum eſſe in hoc aſſerto, quòd gratia non ſit ex operibus *Rom.* 9. 12. 32., *Galat.* 2. 16., & alibi: quibus apparet, Sanctum Paulum velle in reddenda gratia nullam à Deo haberi rationem operum ante ipſam, & ſine ipſa factorum. Unde ex hoc, quòd aliquid ex parte noſtri gratiam quomodocumque præcedere diceret Caſſianus, S. Proſper *lib. contra Collatorem cap.* 3. eum declarat neque hæreticum, neque catholicum, neque effugere poſſe illud damnatum: gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari. *Nec* (inquit) *cum hæreticis tibi: nec cum Catholicis plena concordia eſt. Illi in omnibus juſtis hominum operibus, libera voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia: tu informe neſcio quid tertium, & utrique parti inconveniens repeRiſti, quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentia permaneres. Quomodo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod*

velis, nolis, convinceris dicere: Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari; *cùm aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas?*

VII. Tandem Concilium Arauſicanum ſecundum anno 529. ad finiendum Semipelagianum errorem convocatum *cap.* 3. 4. 5. 6. 7., & 8. abſolutè definivit, motum naturæ viribus elicitum nihil omninò conferre ad gratiam obtinendam; Deum in diſpenſatione gratiæ ſuæ nullam habere rationem motuum, qui ex humano arbitrio ante gratiam proficiſcuntur; ergo Semipelagianus error illis, & ſequentibus Capitulis damnatus, in eo præciſè poſitus erat, quòd vellet, motum naturalem arbitrii præcedere gratiam, ſive per modum meriti, ſive per modum diſpoſitionis, ſive per modum meræ occaſionis. Si enim Arauſicani Patres credidiſſent, illum motum aliquo ex præfatis modis quidquam ad gratiam aſſequendam conferre, abſolutè, & ſine ulla exceptione non dixiſſent, Deum ad illius motus intuitum, vel præſentiam, gratiam non largiri.

VIII. Dico ſecundò. Si operum nomine ſumantur opera, quæ gratia in nobis facit, ſic aliqua eſt gratia, ad quam dici poſſumus prædeſtinati ex operibus. Id probo primò ex Concil. Arauſicano præfato *cap.* 18., ubi poſtquam ait: *Nullis meritis gratiam prævenientibus debetur merces bonis operibus, ſi fiant:* ſtatim ſubdit: *ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

Secundò. Vita æterna non ſolùm eſt merces, ſed etiam eſt gratia, juxta illud Pauli Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita æterna;* ſed vita æterna datur ſecundum merita, & bona opera, quæ in nobis gratia Dei operata eſt. Unde S. Auguſt. lib. de gratia, & lib. arbitr. cap. 7. *quia* (inquit) *& ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis & fides eſt, & dilectio, etiam vitam æternam gratiam nuncupavit;* ergo &c.

Tertiò. Gratia juſtificans, ſeu habitualis eſt vera gratia; ſed hæc datur nobis, intuitu diſpoſitionum, quas in nobis facit Spiritus Sancti gratia, nondum quidem inhabitantis, ſed moventis, ut docet Tridentinum *ſeſs.* 6. *cap.* 6.; ergo &c.

Quartò. Fides, quæ omnium donorum radix eſt, ac fundamentum plures gratias actuales ad cæteras virtutes requiſitas nobis impetrat. Unde Auguſt. de geſtis Pelagii: *ne quiſquam* (inquit) *exiſtimet, ad ipſam fidem meritis operum perveniri, cùm ipſa ſit initium, unde bona opera incipiunt.* Et de ſpiritu & litt. cap. 29. *Fide Jeſu Chriſti impetramus ſalutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in ſpe.*

§. II.

Contraria fundamenta.

IX. Primò objiciunt. Eſto opera moraliter bona ex ſua natura non diſponant, aut præparent ad primam gratiam actualem, id tamen per accidens præſtare poſſunt ex pacto, quod Deus Pater iniit cum Chriſto, conferendi eam ex mera liberalitate facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ.

Reſpondeo, aſſumtum verum fore, ſi arguens probaret ſuppoſitum, quod ego nego. Puto enim omnino fictitium illud pactum de danda gratia facienti quod in ſe eſt viribus naturæ: non ſolùm enim non colligitur ex Scriptura, ſed potius Paulus clamans ſemper, gratiam non ex operibus dari, prædicat oppoſitum. Imò contrarium oſtendit experientia. Neque enim Deus Ethnicos viventes innocentiſſimè ſecundum moralem, & naturalem juſtitiam a gentilitate traxit ad fidem: ſed potius iis relictis, perditæ vitæ viros ſibi, & Eccleſiæ conjunxit: & hoc facit, inquit S. Auguſt. *lib.* 2. *de peccat. meritis, & remiſs. cap.* 18., ut homines *cognoſcant, non à ſeipſis, ſed ab illo*

Digitized by Google

illo ſibi eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum: ut homo glorietur non in ſe, ſed in Domino glorietur. Hinc poſito illo pacto plura incommoda ſequerentur. Primò. Quòd faciens opera moraliter bona, poſſet gloriari, tanquam ſeipſum diſcernens in negotio ſuæ ſalutis ab homine, qui ea non operaretur. Secundò. Quòd initium converſionis non eſſet à gratia præveniente, ſiquidem ipſa gratia ab operibus moraliter bonis præveniretur, quæ licèt ſuâpte naturâ proportionem non habeant cum gratia, attamen, ſtante pacto, eſſent conditio, & occaſio, ad quam Deus adſpiceret, & quâ poſitâ, teneretur (etſi non ex juſtitia) ex fidelitate, gratiam vocationis dare. Quod eſſet mutato nomine ſententiam Semipelagianorum excitare.

X. Sed dices. Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus, & convertar ad vos:* hoc eſt: Convertimini ad me per naturam, & ego convertar ad vos per gratiam: neque enim Deus aliam, quàm per naturæ vires, converſionem poteſt à nobis exigere, priuſquam convertatur ad nos. Ecce pactum.

Secundò. Proverb. 16. v. 1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*, ergo priùs eſt, hominem præparare animam per vires naturæ, quàm Deum per gratiam gubernare linguam, aliàs non valeret antithefis.

Tertiò. Tritum eſt axioma *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. Unde D. Thomas *qu. 14. de verit. art. 1. ad 2.* expreſsè docet, quòd *gratiam, qua opera meritoria facit, quamvis homo non poſſit ex libero arbitrio acquirere, poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare, qua ei à Deo non denegabitur, ſi fecerit quod in ſe eſt.*

Item *qu. 14. de verit. art. 11. ad 1.* dicit, quòd *ad divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur:* & afferens exemplum de homine nutrito in ſylvis, vel inter lupos, dicit: *Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium act. 10.*

Et ibid. ad ſecundum: *Si nos* (inquit) *fecerimus, quod in nobis eſt, ut ſcilicet ductum naturalis rationis ſequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis eſt neceſſarium.* Ecce iterum pactum etiam auctoritate D. Thomæ.

XI. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum ex Script., diſt. ant., convertimini ad me, per naturam præventam gratiâ actuali, & ego convertar ad vos, per gratiam habitualem remiſſionis peccatorum, con. ant., per naturam gratiâ minimè præventam, nego ant. Nam Threnorum 5. v. 21. dicitur: *Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies noſtros.* Promittit ergo Deus per Zachariam, quòd ſe convertet ad nos, ſi convertemur ad ipſum: ſed etiam per Jeremiam nos monet, nos non poſſe converti ad ipſum, niſi priùs ipſe convertatur ad nos, gratiâ ſua nos præveniendo: & propterea Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5. *Declarat, ipſius Juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis exiſtentibus eorum meritis vocantur.* Quam licèt pro ſua libertate poſſint abiicere, ſine illa tamen nequeunt ſe ſua voluntate ad juſtitiam movere, ſubdens: *Unde in ſacris litteris cùm dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; *libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus:* Converte nos Domine ad te, & convertemur; *Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Præfatum Zachariæ textum (inquit S. Auguſtinus *lib. de gratia, & libero arbit. cap. 5.*) ſic exponebant Pelagiani, *ut ſecundùm meritum converſionis noſtræ ad Deum,*

de-

detur gratia eius, in qua ad nos & ipſe convertitur. Nec attendunt, qui hoc ſentiunt, quia niſi donum Dei eſſet, etiam ipſa ad Deum noſtra converſio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos, & Deus tu convertens vivificabis nos &c.

XII. Ad ſecundum ex Scrip. explico. Hominis eſt præparare animam cum adjutorio Dei, conc. ſine adjutorio Dei, nego. Ità D. Auguſt. *lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian.* cap. 9. *Ideò quippe hominis eſt præparare cor... quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſic tangit cor, ut homo præparet cor.* Videatur D. Auguſtinus loco laudato, ubi præfatum textum exponit, & afferens textum Pſalm. 80. v. 11. *Aperi os, & adimplebo illud*, dicit: *Quamvis enim niſi adjuvante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire: tamen nos aperimus illius adjumento, & opere noſtro. Implet autem illud Deus ſine opere noſtro &c.*

XIII. Ad tertiam dico, axioma illud non eſſe ſic intelligendum, ut facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, Deus ex hoc motus det primam gratiam: ſed ut facienti quod in ſe eſt cooperando gratiæ vocanti, & moventi, Deus ei non denegat ulteriorem gratiam, ſive juſtificationis, ſive fidei perfectæ. Neque contrarium ſentit Sanctus Thomas. Imò 1.2. *q.*109. *art.*6., ubi quærit, an homo per ſeipſum poſſit ſe præparare ad gratiam? objiciens ſibi hoc proloquium: ſic reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quòd nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur ſecundum illud Joann. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et ideo, cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur, hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus à Deo.* Inſuper 1.2. *qu.* 112. *art.* 2. ubi quærit, an ad gratiam requiratur aliqua præparatio ex parte hominis? poſtquam diſtinxit gratiam in habitualem, & actualem, & ad illam dixit, requiri aliquam gratiæ præparationem, *quia nulla forma poteſt eſſe, niſi in materia diſpoſita:* tranſiens ad iſtam ait: *ſed ſi loquamur de gratia ſecundùm quòd ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum: ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens divinum auxilium: ſed potiùs quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundùm hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum eſt actus liberi arbitrii moti à Deo. Et quantùm ad hoc dicitur homo ſe præparare, ſecundùm illud Prov.* 16. hominis eſt præparare animam, *& eſt principaliter à Deo movente liberum arbitrium: & ſecundùm hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino greſſus hominis dirigi.* Articulo autem tertio ſequenti, ubi quærit, *utrum neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti, quod in ſe eſt?* Reſolvit: *Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum eſt* (art. præced.) *præparatio hominis ad gratiam eſt à Deo, ſicut à movente, à libero autem arbitrio, ſicut à moto. Poteſt igitur præparatio dupliciter conſiderari. Uno quidem modo, ſecundùm quòd eſt à libero arbitrio; & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundùm quòd eſt à Deo movente; & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt... Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo, cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequetur, ſecundùm illud Jo:* 6. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Oportuit aliquantiſper immorari in ſtatuenda mente D. Thomæ, ut Adverſarii videant, quantum aberrent, dùm eum ſibi putant propitium.

Ad primam auctoritatem ex eodem depromtam dico, quòd ab ea abſtinuiſſet arguens, ſi, quod ſequitur, legiſ-

legiſſet; ſubdit enim ſtatim: *Quamvis ad hoc per ſe poteſtas liberi arbitrii non ſufficiat, eò quòd modus, qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit.*

Ad aliam reſpondet idem S. Tho. *cap. 10. ad Roman. lect.* 3., ubi caſum ab arguente propoſitum ſibi objiciens: *Nunquid ergo* (inquit) *illi, ad quos non pervenit* (fama prædicationis Apoſtolicæ) *utpote ſi fuerunt nutriti in ſylvis, excuſationem habent de peccato infidelitatis?* Reſpondet. *Dicendum, quòd ſecundùm ſententiam Domini, quæ habetur Jo: 17. Illi, qui loquentem Dominum per ſe, vel per ejus diſcipulos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei conſequentur, ut ſcilicet juſtificentur ab aliis peccatis, vel quæ naſcendo contraxerunt, vel malè vivendo addiderunt, & pro his meritò damnantur. Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio act. 10., & Paulum Macedonibus, ut habetur act. 16. Sed tamen hoc ipſum* (notate) *quòd aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, Threnor.* 5. Converte nos Domine, ad te, & convertemur.

XIV. Objiciunt Secundò illud *Matthæi 7. v. 6.*, ubi Chriſtus præcipit Apoſtolis, ne Evangelium prædicent indignis: *nolite ſanctum dare canibus.* Et *cap. 10. v. 11.*, ut ingreſſi Civitatem, interrogent, quis in ea dignus ſit, Evangelium audire: *Interrogate, quis in ea dignus ſit? & ibi manete.* Ergo Deus, antequam gratiam largiatur, expectat aliquam in ſubjecto dignitatem, præparationem, & aliquem ex naturæ viribus conatum bonum.

Si reſpondeas, juberi Apoſtolos, non ut dignis dignitate internâ, & occultâ morum Evangelium prædicent: hoc enim ipſi noſſe non poterant, ſed ſolùm, ut apud dignos dignitate famæ, & boni nominis hoſpitentur: ne ſi apud infames divertant, Evangelium malè audiret. *Ergo* (inquit S. Hieron. in cap. 10. Matth.) *hoſpes famâ eligendus eſt, populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas, ſuſcipientis infamiâ deturpetur.*

Contra eſt. Nam poſt hæc verba *interrogate, quis in ea dignus ſit?* ſubditur: v. 12. *Intrantes autem in Domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic Domui: & ſi quidem fuerit Domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam.* Supponere ergo debet dignos dignitate morum prædicatio Evangelii.

Reſpondeo iterum, ibi non eſſe ſermonem de dignitate interna, ſed de externa, nempe de pace, & concordia familiæ, apud quam divertere debebant. Vel ſi mavis, ibi Chriſtum loqui de domo digna audiendi Evangelium: unde colligis, eam ſupponi à Chriſto dignam dignitate naturæ, & non potiùs dignitate factâ per gratiam? Imò hoc ego dico. Agitur enim ibi de domo Judæorum. Dixerat enim Chriſtus v. 5. *In viam gentium ne abieritis.* In aliquibus autem Judæorum reperiri poterant homines digni, audire Evangelium, quia jam præventi à gratia per deſiderium Evangelii, & fidei; deſiderium autem, ſicut & cogitatio de fide, ex gratia eſt.

XV. Objiciunt tertiò. Deus *act.* 10. attendit ad Eleemoſynas, & orationes Centurionis, ut ipſi per Petrum Evangelium procuraret: quæ certè factæ erant ſine gratia, quia ab homine nondum habente fidem.

Idem dici debet de Zachæo, ad cujus ſtudium videndi Chriſtum, ſic Chriſtus ipſe attendit, ut eum ad fidem, & ſalutem vocarit. Unde Ambroſius *lib. de Abel, & Cain* ſcribit, eum illo ſtudio impetraſſe, ut à Chriſto vocaretur; ſtudium autem illud naturale erat.

Idem dicito de pio Latrone, qui antequam de fide mediatoris audiret *Lucæ* 23. ſocii maledicta in Chriſtum reprehendit, ut mereretur audire à Chriſto; *hodie mecum eris in Paradiſo.*

XVI.

XVI. Reſpondetur ad primum ex dictis, in Cornelio fuiſſe ſaltem fidem implicitam Chriſti, vi cujus miſſus fuit ad eum Petrus. Ità S. Auguſt. *lib. de Prædeſtin. SS. cap.* 7., ubi ait: *ſolet enim dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat. Quod de Cornelio dici poteſt, cujus accepta ſunt Eleemoſynæ, & exauditæ orationes, antequam credidiſſet in Chriſtum: nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?*

De Zachęo: Nego, illud ejus ſtudium videndi Chriſtum fuiſſe merè naturale, ſed ex interna Spiritus S. motione, ſine quo Chriſtum nec velle, nec cogitare poſſumus, & à quo implicitâ mediatoris fide, cùm eſſet Judæus, jam præventus fuerat. Ità D Proſper *contra Collatorem cap.*7. Neque Ambroſius diſſentit: ibi enim dicit, quòd Deus *non expectavit, ut promitteret, ſed ante fecit*, quod Dei Verbum *prævenit omnia*: eſt *Præveniens omnium cogitationes*; & cap. 7. præcedente oſtenderat, nihil nos habere, quod non acceperimus, laudans Apoſtoli dictum: *Quid enim habes, quod non accepiſti?*

Idem de pio Latrone dicit S. Proſper relatus; & Aug. *lib.* 1. *de div. quæſt. ad Simplicianum qu.* 2. *num.* 19. ait de latrone *conſequerentur enim bona opera ejus, ſi perceptâ gratiâ diu inter homines viveret; ſed tamen non ea præceſſerant, ut eandem gratiam mereretur.*

Præterire tamen non poſſum, quòd præfatis exemplis Cornelii, Zachæi, & Latronis Semipelagiani abutebantur. Quapropter Arauſicanum ſecundum contra illos ſic ſtatuit Can. 25. *Unde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tàm admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ gratiæ largitate donata.* Et Sanctus Fulgentius lib. 1. de verit. prædeſtinat. *Quis* (inquit) *Cornelium Centurionem miſſo Angelo, ut Apoſtolum Petrum acceerſiret, admonuit, niſi qui eidem Centurioni gratis donum ſui timoris, ac bonæ operationis infudit? Ut enim Dominus orationum ejus & eleemoſynarum memoriam haberet, ipſius Cornelii priùs meminit, non in ejus quolibet opere bono, ſed in beneplacito ſuo, ut ei donum ſui timoris infunderet, quo ei & eleemoſynarum ſtudium, & ſanctæ orationis inſpiraret affectum. Ipſe igitur ei placendi gratiam contulit, qui in eo, quod coram ſe placeret, invenit.* Ità loquuntur Patres. Attamen

XVII. Objiciunt quartò Origenem, Chryſoſtomum, & Ambroſium. Origenem *homil.* 1. *in Geneſ.* aſſerentem, nos à Chriſto illuminari, ſi noſtræ mentis cæcitas non impediat. Sicut ſol, & luna mortales, niſi cæci ſint, illuminant. Quod etſi accidat, oportet eos, qui cæci ſunt, ſequi Chriſtum, & clamare poſt eum, ut viſum recipientes, poſſint etiam illuminari. Et homil. 24. ſuper numeros: *ſi afferamus* (inquit) *Deo juſtitiam noſtram, accipiemus ab ipſo juſtitiam Dei.* Chryſoſtomus etiam *homil* 45. *in Geneſim*, aſſerentem, Abraham ſuis operibus promeruiſſe, ut Deus tanta ei gratiæ dona conferret. Et *homil.* 17. *in Joann.* apertè negantem, Deum ſuâ gratiâ hominem prævenire.

Ambroſium verò tùm *lib.* 4. *in Lucam* dicentem: *non enim dormientibus divina beneficia, ſed obſervantibus deferuntur.* Tùm *lib.* 5. *Hexaemer. cap.* 24. de Petro ſic loquentem: *Idem tamen poſt galli cantum fit fortior, & jam dignus, quem Chriſtus adſpiciat, quia oculi Domini ſuper juſtos.*

XVIII. Reſpondeo ad ſingula. Ad Origenem fateor, eum quidem ità ſenſiſſe; ſed in hoc illius auctoritas nullius momenti eſt. Fuit enim in his, quæ gratiam ſpectant, non Semipelagianus modò, ſed Pelagianiſmi præformator Hunc enim errorem ei tribuunt Epiphanius *in Panario*, Nazianzenus *orat* 31., & Theophylus

Ale-

Alexandrinus *Epiſt.* 1. *Paſchali* contra Origeniſtas. Quare S. Hieronymus *Epiſt. ad Cteſiphontem*, tacito nomine Pelagium carpens: *Vis adhuc* (inquit) *alium noſſe tui erroris Principem? Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*.

Et ſanè libri Periarchon ipſius Origenis fœtus pluribus in locis hunc errorem manifeſtè produnt, maximè *lib.* 3. *cap.* 1., & 10. Quapropter Ruffinus, quem *Pelagii præcurſorem* Sanctus Hieronymus pluribi appellat, ex Oriente cum Melania Romam repetens, ut faciliorem Pelagianiſmo ſterneret viam, Origenis Periarchon à ſe latinitate donatum ſecum tulit; timens autem, ne ſub nomine Origenis malè audiret apud nonnullos, Apologiam pro Origene ab Euſebio Cæſarienſe conſcriptam latinè reddidit, eamque ſub nomine Pamphili Martyris evulgare cæpit. Hæc ſatis, ut quid in hac materia Origeni deferendum ſit, ſtudioſus non ignoret.

XIX. Ad Chryſoſtomum dico, eum aſſeruiſſe, quòd Abraham promeritus ſit tanta gratiæ dona, non operibus factis ante gratiam, & fidem, ſed operibus, quæ fidem illius, quâ juſtificatus fuit, conſecuta ſunt. Quare nomine *Juſti* Abrahamum ibi fere ſemper vocat, illamque homiliam claudens, Populum ſuum hortatur, ne terreatur hiſce rerum humanarum viciſſitudinibus, ſed in gratia Dei confidat. Aſſerit autem, Deum ſuâ gratia nos non prævenire, præventione, quæ neceſſitatem imponat: ait enim *homil.* 12. in *Ep. ad Hebræos*: *Quid ergo? Nihil Dei eſt? omnia quidem Dei ſunt, ſed non ità, ut liberum arbitrium lædatur.* Et infra: *non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium.* Eâ autem loquendi formulâ ſæpè uſus eſt Chryſoſtomus, eò quòd nondum exortâ hæreſi Pelagianâ, præ oculis habebat ſemper Manichæos ſuo tempore liberum negantes arbitrium.

XX. Ad Ambroſium verò dico, eum in primo loco loqui de beneficio juſtificationis, quod quidem non dormientibus datur, ſed ſe præparantibus per actus fidei, timoris, & ſpei, qui ſunt à gratia Spiritus Sancti moventis. In ſecundo autem loco vult, vel quòd D. Petrus factus fuit dignus per gratiam actualem, ut Chriſtus illum aſpiceret per gratiam juſtificantem; Vel quòd Petrus factus juſtus per gratiam, dignus fuerit, ut ei Chriſtus uberiorem gratiam contulerit; Cùm enim Jeſus tunc intùs eſſet coram Sacerdotibus eum interrogantibus: Petrus verò foris, & deorſum in atrio cum ſervis; non potuit Jeſus oculis corporalibus illum reſpicere. Interioribus ergo tantùm oculis Chriſtus eum reſpexit: ut dicit S. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 45. *Quod ibi ſcriptum eſt: reſpexit eum Dominus: intùs actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordiâ dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ ſuâ viſitavit Petrum.*

XXI. Objiciunt tandem varia Auguſtini teſtimonia. Primum eſt ex *Ep.* 102. *aliàs* 49. *ad Deo gratias*, quæ eſt de ſex quæſtionibus contra Paganos *qu.* 2., ubi de Religione Chriſtiana: *ſalus* (inquit) *Religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

Secundum eſt ex *tract.* 10. *in Joann.* ubi monet Cathecumenos, ut ſe ad gratiam præparent. Hìc loquitur ad Cathecumenos omni gratia deſtitutos: nam ſi eam haberent, non eſſet, cur ad eam ſe præpararent.

Tertium *ex tract.* 26., ubi ait: *Si non traheris, ora, ut traharis.* Si ergo gratiâ homo traheretur, non eſſet, cur oraret, ut traheretur.

Quartum ex *homil.* 12. *inter* 50. ubi docet, in poteſtate noſtra eſſe, ut conſentiamus Deo, vel Diabolo.

Quintum ex *lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 13., ubi docet, Deum ex pacto dediſſe mercedem iis, qui bonis tem-

Digitized by Google

poralibus benè uſi ſunt : his Verbis : *eo pacto æquiſſimo, ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo*. Ecce S. Auguſtinus fatetur, adeſſe pactum, ut, qui ſe dignum, benè utendo temporalibus reddat, accipiat à Deo gratiam, & gloriam.

XXII. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad primum reſpondet Auguſtinus ipſe *lib. 2. Retract. cap.* 31. Explicans ſe his Verbis. *Quod dixi :* Salus Religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam deſuit, qui dignus fuit, & cui deſuit, dignus non fuit : *Non ità dixi, tanquam ex meritis ſuis, quiſquam dignus fuerit : ſed quemadmodum ait Apoſtolus :* non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, major ſerviet minori : *quam Vocationem ad Dei propoſitum aſſerit pertinere : Unde dicit (2. ad Thimoth. 1. 9.)* non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, Ità Auguſt. & lib. de prædeſt. SS. cap. 10. *Si diſcutiatur* (inquit) *& quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt, qui dicant, voluntate humanâ ; nos autem dicimus ; gratiâ, vel prædeſtinatione divinâ*.

Ad ſecundum dico, Auguſtinum monere Cathecumenos, ut ſe præparent, non ad gratiam Vocationis ad fidem, ſeu ad fidem : hanc enim, ſi Cathecumeni ſunt, ſupponit eos ſaltem imperfectè habere ; ſed ad gratiam uberioris illuſtrationis, & ad ipſam juſtificationem, ad quam certè debemus nos præparare per actus à gratia actuali procedentes.

Ad tertium reſpondeo, Auguſtinum dicere : *ſi non traheris, ora, ut traharis* : non quia putet, orationem non eſſe effectum gratiæ, ſed ut indicet, orationem, quâ quis orat, ut uberius trahatur, eſſe effectum gratiæ. Quare *Ep. 194. aliàs* 105. ad Sixtum cap. 2. *Quapropter* (inquit) *ne ſe vel ipſius orationis meritum extollat : etiamſi . . . adjutorium datur oranti, fides orat, quæ data eſt non oranti, quæ utique niſi data eſſet, orare non poſſet. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt?*

Ad quartum dico, homiliam illam non eſſe D. Auguſtini, ſed Cæſarii, & propterea in editione noviſſima rejici. Attamen eâ admiſsâ. Reſpondeo, ibi non excludi gratiam. Dicitur enim : *Et ideò cùm per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, utrum conſentias Diabolo ; quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas?*

Ad quintum multa dicuntur. Nobis, ut certum eſſe debet in Doctrina Sancti Auguſtini, pactum illud æquiſſimum non eſſe de danda immortalitatis pace, gloria, & vita æterna benè utenti bonis temporalibus ex viribus naturæ ; alioquin ſequeretur, gratiam ſecundùm merita noſtra dari, quod Auguſtinus, & Eccleſia damnavit in Pelagio, imò & ipſam gloriam, & vitam æternam, quæ eſt conſummatio gratiæ, bono uſui per vires naturæ concedi. Pactum ergo æquiſſimum eſt, Deum in altera vita ampliora bona, nempe immortalitatis pacem, gloriam, & vitam æternam iis daturum eſſe, qui bonis temporalibus ex gratiæ adjutorio benè in hac vita uſi fuerint : etenim, ut explicat idem S. Doct. ibi cap. 14., homo *ne ipſo ſtudio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in peſtem alicujus erroris incurrat, opus habet magiſterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut liber obtemperet*. Deindè ſubdit, quòd quia in hac vita mortali homo ambulat per fidem ; *refert ad illam pacem, quæ homini mortali eſt cum Deo immortali ; ut ei ſit ordinata in fide ſub æterna lege obedientia*. Supponit ergo S. Auguſtinus, ad rectum uſum bonorum temporalium pro immortalitate conſequenda neceſſarium eſſe Dei adjutorium.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

An Prædeſtinatio ad Gloriam ſit prorsùs gratuita.

§. I.

Sententiarum varietas.

I. PElagiani, & Semipelagiani negarunt, Prædeſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam. Nec mirum. Cùm enim aſſererent, prædeſtinationem ad media, hoc eſt ad gratiam, quâ æterna gloria comparatur, non eſſe gratuitam, ſed ex prævifis bonis operibus per vires naturæ faciendis (ut dubio primo oſtendimus) conſequens erat, ut idem de prædeſtinatione ad gloriam affirmarent.

Semipelagiani tamen contendebant, Deum ad gloriam prædeſtinare, non ſolùm ex prævifione meritorum, quæ quis reverà comparaturus erat, ſed nonnunquam etiam ex prævifione eorum, quæ quis comparaſſet, niſi præmaturâ morte ex hoc ſeculo ereptus fuiſſet. Id autèm Semipelagiani commenti ſunt, ut ſe extricarent ab argumento, quod contra ipſos Catholici petebant ab exemplo duorum parvulorum, quorum alter moritur ſtatim poſt baptiſmum, & ſalvatur: alter vero moritur antequam illum ſuſcipiat, & non ſalvatur. Cui reſpondebant, ex iis infantibus, alterum ad baptiſmum, & gloriam prædeſtinatum fuiſſe ex meritis, quæ Deus præviderat, eum fore comparaturum, ſi ad adultam uſque ætatem vixiſſet: alterum verò fuiſſe à baptiſmo, & gloria excluſum intuitu demeritorum, quæ Deus præviderat ab eo contrahenda, ſi vitam ad adultam ætatem pertraxiſſet. Ità S. Proſper Epiſtolâ ſæpe laudata ad S. Auguſt. ubi referens Maſſilienſium Semipelagianorum opinionem de parvulis, quorum *alii per regenerationem inter cœleſtis regni aſſumantur hæredes, alii ſine baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores*, Scribit: *Tales ajunt perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit.*

II. Molina verò 1. *part. qu.* 23. *art.* 3., *&* 5. *diſp.* 1. *membro* 6., *&* 11. Vazquez, Leſſius, & qui iſtorum principia ſectantur, volunt, prædeſtinationem ad gloriam non eſſe gratuitam, ſed ex prævifione meritorum, quæ homo comparaturus eſſet, in quo cum Semipelagianis conveniunt: differunt tamen, quòd, cùm Sempielagiani dicerent, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ex mèritis, per naturæ vires comparandis, vel ſaltem inchoandis, iſti è contra docent, eſſe ex meritis, comparandis per cooperationem, quam homines gratiæ indifferenti, & verſatili prævifi fuerunt præſtituri. Non enim Semipelagiani hæretici fuerunt, quia negarint prædeſtinationem eſſe gratuitam, & quia dixerint, prædeſtinationem ſupponere præſcientiam meritorum per ſcientiam conditionatam, quam modò vocant mediam; ſed quia negarint, gratuitam eſſe etiam prædeſtinationem ad gratiam, & quòd ſcientiâ conditionatâ abuſi fuerint, docentes, Deum præſcire bona opera hominum futura ex viribus liberi arbitrii; & rursùs, quòd ex tali prævifione bonorum, vel malorum operum, quæ nunquam eſſent futura, alios eligeret, alios reſpueret: idque locum habere etiam in parvulis; A qua doctrina præfati Theologi ſe alienos eſſe proteſtantur.

Ità igitur ſuam explicant ſententiam. Primò, inquiunt, Deus creaturam rationalem, præſertim hominem, produxit. Secundò. Prævidit illius peccatum. Tertiò. Statuit illi conferre gratiam, indifferentem tamen, quâ poſſit, nedum à peccato reſurgere, ſi velit, ſed & in accepta gratia uſque in finem perſeverare. Quartò. Ab æterno prævidit conſenſum, quem creata voluntas illi gratiæ

erat præſtitura in tempore. Quintò. Tandem propter prævisum illum conſenſum Deus Angelos, ſive homines elegit, & ad gloriam prædeſtinavit.

III. Sancti autem Auguſtinus, Thomas, cæterique Theologi, pene dixerim omnes, qui à debellatis Pelagianis, & Semipelagianis ad Molinæ uſque tempora ſcripſerunt, cenſent hominis lapſi prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam, eſſe omninò gratuitam, hoc eſt, independentem à quorumlibet meritorum, ſive per gratiam, ſive ſine gratia comparandorum præviſione. Cùm enim velint, gratuitam eſſe prædeſtinationem ad ſpecialia Dei beneficia, quæ ſolis electis dantur, & quæ infallibilem connexionem habent cum gloria, conſequens eſt, ut dicant, prædeſtinationem ad gloriam eſſe omnino gratuitam, & antevertentem quorumcumque meritorum præviſionem.

IV. Ex Diſcipulis autem Sanctorum Auguſtini, & Thomæ aliqui ſunt, qui inter divina decreta de hominis lapſi prædeſtinatione nullum, etiam ſecundum noſtrum concipiendi modum, prioris, & poſterioris ordinem admittunt, volentes, uno, & eodem actu Deum ſimul ad gloriam, & ad merita gratuitò prædeſtinaſſe. Qui equidem, ſi loquuntur ex parte Dei volentis, verum dicunt; Deus enim ex parte volentis unico, indiviſibili actu omnia vult. Si tamen loquantur ex parte volitorum, tenendum arbitror cum aliis, unum prius altero à Deo volitum fuiſſe. Primò ergo concipiunt, creaturam, quam in peccati ſordibus jacere vidit, abſoluto decreto, per Chriſtum jam volitum, electam fuiſſe à Deo, & prædeſtinatam ad æternam gloriam. Secundò. Ex vi hujus electionis creaturæ electæ præparata fuiſſe auxilia efficacia, quæ eam moveant ad pietatis opera, quibus ad juſtificationem ſe diſponat, eamque aſſequatur, & in accepta juſtitia perſeveret. Tertiò ex vi illius auxilii fuiſſe præviſam juſtificationem creaturæ electæ, & perſeverantiam in illa. Quartò. In mercedem illius perſeverantiæ præviſæ concipiunt. ſtatutum à Deo, creaturam illam Cœleſti Beatitudine ſuo tempore donandam.

Nihil hìc dicitur de Pelagianorum, & Semipelagianorum reprobata doctrina circa adultorum prædeſtinationem ad gloriam; ſatis enim ſuperiùs dictum fuit. Duo ſolùm hìc præſtabimus. Primò. Semipelagianum ſiſtema de parvulorum prædeſtinatione confutabimus. Secundò. Sententiam noſtram de gratuita electione ad gloriam ſtatuemus.

§. II.

Prædeſtinatio parvulorum, & eorum reprobatio.

V. Dico primò. Deus ad gloriam non prædeſtinavit, nec ab ea rejecit parvulos ante uſum rationis morientes, ex præviſione operum, quæ egiſſent, ſi ad adultam uſque ætatem vitam protraxiſſent. In hac ſtatuenda veritate plurimùm laboravit S. Auguſt. Probat ergo primò *lib. de prædeſtin. SS. cap* 12. ex textu D. Pauli 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Unuſquiſque ergo adſtabit ante Tribunal Chriſti, recepturus ab eo, ſive præmium, ſive pœnam, ſecundùm ea, quæ geſſit, dùm eſſet in corpore: *geſſit*, inquit Paulus, non adjunxit, *vel geſturus fuit*; atqui parvuli decedentes ante uſum rationis, vel cum Baptiſmo, vel ſine Baptiſmo, nihil ſive bonum, ſive malum geſſerunt, dum eſſent in corpore, etſi geſturi fuiſſent, ſi ad adultam ætatem perveniſſent; ergo non eſt ratio, cur gloriâ donentur in præmium, aut ab ea rejiciantur in pœnam. Quis enim juſtus Judex, vel remunerat merita, quæ quis non habuit, eſto habiturus eſſet, aut punit demerita, quæ quis non patravit, eſto patraturus eſſet?

Cer-

Certè nullus æquo judicio juberet, ſuſpendi hominem ob furtum, quod non commiſiſſet, licèt, ſi ſupervixiſſet, commiſſurus eſſet.

VI. Secundò. Ibidem probat hoc alio diſcurſu. Si peccata futura, ſeu quæ fuiſſent futura, poſſunt per Dei judicium in non baptizatis jure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis poterunt dimitti: *Quicumque enim dicit* (inquit S. Doctor) *puniri tantùm poſſe Deo judicante peccata, dimitti autem Deo miſerante non poſſe, cogitare debet, quantùm Deo faciat, gratiaque ejus injuriam, quaſi futurum peccatum prænoſci poſſit, nec poſſit ignoſci.* Cur ergo futuris ſi diù viverent peccatoribus, cùm in parva ætate moriuntur, non potiùs lavacro, quo peccata diluuntur, non ſubvenitur?

Si dicant, propterea aliquos Baptiſmo donari, quia etſi præviſi fuerint peccaturi, præviſi tamen fuerunt acturi pœnitentiam, ſi vixiſſent; Deus autem pœnitentibus peccata dimittit: alios autem ſine Baptiſmo relinqui, & puniri, quia præviſi fuerunt, ſi vixiſſent, non acturi pœnitentiam.

Contra eſt, inquit Auguſt. Si ità eſt; ergo non jam in parvulis ſine Baptiſmo morientibus peccata originalia vindicantur, ſed ſua cujuſque futura, ſi viveret: ac in baptizatis non originalia dilui, ſed ſua futura, ſi viverent: ſed alios acturos fuiſſe pœnitentiam, & ideò baptizatos, alios non acturos fuiſſe præviſos, & ideò ſine Baptiſmo exiſſe ex hac vita. Ergo cùm ex neceſſitate Baptiſmi arguere conamur contra Pelagianos exiſtentiam peccati Originalis, nihil concludimus. Poſſunt enim reſpondere, *prorſùs nullum eſſe peccatum Originale, ſed pro ſuis futuris, ſi viverent, meritis vel baptizari, vel non baptizari eos, qui de corpore ſolvuntur infantes... & in veram remiſſionem peccatorum baptizari, quamvis nullum ex Adam traherent; quoniam remittuntur eis peccata, de quibus illos Deus pœnitentiam præſcivit acturos.* Ità S. Auguſtinus.

VII. Tertiò. Hoc idem probat ex illo Sapientiæ 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Super quæ S. Doctor *lib. de dono perſeverantiæ cap.* 10. ſic diſcurrit. Deus, quem, ſi diu vixiſſet, præſcivit fidem ſuſceptam relicturum, morte præmaturâ ſæpè rapit, ne vivendo fiat infidelis; ergo Deus non judicat, nec punit ſecundum peccata, quæ quis facturus fuiſſet, ſi, ne illa committantur, modis omnibus impedit. *Qui enim dicit, relicturis fidem beneficio fuiſſe conceſſum, ne habere inciperent, quod graviore impietate desererent, ſatis indicat, non judicari hominem ex eo, quod prænoſcitur malè fuiſſe facturus, ſi ei quocumque beneficio, ut id non faciat, conſulatur.*

Concludit S. Doctor, hanc quæſtionem *Serm.* 26. (*aliàs* 11. *de verb. Apoſt.*) cap. 12. *Duo parvuli nati ſunt: Si debitum quæras, ambo tenent maſſam perditionis. Sed cur Mater alium portat ad gratiam, alium Mater dormiens ſuffocat? Dicturus es mihi, quid ille meruit, qui portatur ad gratiam; quid ille meruit, quem mater dormiendo ſuffocat? Ambo nihil boni meruerunt: ſed* habet figulus luti poteſtatem, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. *Diſputare vis mecum? Imò mirare mecum, & exclama mecum:* O altitudo divitiarum! *ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus.* O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! *Scrutare inſcrutabilia, fac impoſſibilia, corrumpe incorruptibilia, vide inviſibilia.* Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, *audiſti*, *ſufficiat tibi*. Hoc ergo ſufficiat & nobis.

Digitized by Google

§. III.

Statuitur cauſa Prædeſtinationis adultorum ad Gloriam.

VIII. NOn loquemur hìc de Prædeſtinatione formaliter, ut eſt pars Providentiæ, quam ſuperiùs diximus conſiſtere in actu imperii ordinativi mediorum, ſed de intentione, ſeu electione prædeſtinatorum ad gloriam præ aliis. Etenim prædeſtinatio, ut dicit actum imperii ordinativi mediorum, cùm ſupponat, nedum electionem prædeſtinatorum ad gloriam, ſed etiam electionem mediorum, nempe meritorum, ſuponit abſque dubio merita aliquomodo futura, & conſequenter à Deo prævisa. Quare de prædeſtinatione ſermo erit, ut dicit primam electionem, quâ prædeſtinati à non prædeſtinatis diſcreti à Deo fuere, an hæc diſcretio fuerit gratuita, ſeu ex mero Dei beneplacito, an verò ex juſtitia, ex meritis nempe prævisis. Id, in quo totum diſſidium ſtatuemus inter noſtram ſententiam, & aliorum, eſt, quòd illi exiſtimant, Deum priùs eligère hominem ad gratiam, & ad merita, & poſtea ex præviſione iſtorum moveri ad illum eligendum ad gloriam. Quare prima radix diſcernens prædeſtinatum à reprobo, in eorum ſententia eſt electio ad gratiam, & hinc ajunt electionem prædeſtinatorum ad gloriam eſſe ex motivo juſtitiæ. Nos vero inverſo ordine procedentes dicemus, Deum primò ſuâ miſericordi voluntate ex maſſa communis perditionis eligere hominem ad gloriam, & hinc moveri ad eligenda, & conferenda merita, & propter ipſa merita ſuo tempore gloriam.

IX. Quare diſtinguimus inter primam electionem ad gloriam, & ipſius gloriæ conſecutionem. Ad gloriam primò eligi dicimus antecedenter quamcumque meritorum præviſionem, & conſequenter miſericordi, & gratuitâ voluntate; gloriam verò ſuo tempore reddendam eſſe in executione propter merita, ideòque ut coronam, & ex motivo juſtitiæ. Quare diſtinguimus inter motivum primò volendi, ſeu intendendi gloriam, & motivum eam in executione dandi: Primum dicimus eſſe prorsùs gratuitum. Secundum verò ex juſtitia. Uno verbo. Eſto Deus non propter merita velit primò dare gloriam, vult tamen eam dare propter merita, ly *propter* dicente motivum dandi, non verò dicente motivum volendi in intentione. His explicatis.

X. Dico primò. Gloria de facto redditur Prædeſtinatis adultis propter eorum bona opera, & conſequenter gloria, ut danda, ex meritis eſt, & ut corona. Eſt contra Calvinum, ejuſque gregales, volentes, gloriam dari quidem benè operantibus, non tamen propter merita, ſed propter divinam promiſſionem; quâ gratuitò voluit eam promittere, & hoc ideò dicunt, quia falsò putant noſtris operibus quantumvis bonis nihil ineſſe meriti, quia *nunquam tam pura, ut placere ſine venia poſſint, ſed aliquibus ſemper nævis, & maculis aſperſa eſſe, ſemperque deeſſe bonis fidelium operibus ſummam puritatem, quæ Dei conſpectum ferre poſſit:* ut ait Calvinus *de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ*. Qui propterea ſtatuit: *de remuneratione operum: ne pendere ex eorum merito, vel pretio exiſtimetur, ſed ex mera potiùs Dei benignitate*. Cui adhærens Gomarus analyſi in cap. 4. Joann. pag. 285. *Neque aliter* (inquit) *operibus hominum bonis debita* (vita æterna) *aut à juſto judice danda dicitur 2. Timoth. 4. v. 8. quàm ratione gratuitæ promiſſionis Dei, quâ debitum officium præſtantibus indebitam vitam promiſit; ideòque ex veritatis juſtitia* (*qua rei promiſſæ præſtationem requirit*) *debitorem vitæ æternæ gratis dandæ ſeſe conſtituit Deus, ac gratis donat*.

XI. Sed *vitioſiſſimum docendi genus eſt* (dicam cum S. Hieronymo *Epiſt. 50. aliàs 103. ad Paulinum*) *deprava-*

re

re ſententias , & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem . Quid enim apertius in Scriptura , quàm benè operantibus vitam æternam à Deo dari , non ex mera fidelitate , ſed ex juſtitia ? *Bonum certamen certavi* (inquit Paulus 2. *ad Timoth.* 4. *v.* 7. 8.) *curſum conſummavi , fidem ſervavi . In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ , quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex : non ſolùm autem mihi , ſed & iis qui diligunt adventum ejus* . Ecce vitam æternam poſt certamen , & curſum conſummatum , poſt fidem ſervatam , repoſitam Paulo , & omnibus , qui diligunt adventum ejus , ut coronam , & ut coronam juſtitiæ , reddendam à Domino , ut juſto Judice . Nunquid quod ex pura fidelitate datur , confertur ut corona juſtitiæ ? nunquid qui purè præſtat , quod promiſit , dicitur ſe gerere ut juſtum judicem ? Cur vita æterna corona juſtitiæ eſt , ſi non datur ex meritis ? Cur Dominus in ea reddenda juſtus Judex eſt , ſi non remunerat merita , ſed gratis donat ? *Iſta utique jam merita ſua bona commemorat* (Paulus) *ut poſt bona merita conſequatur coronam , qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam* , inquit S. Auguſtinus *lib. de gratia , & lib. arbitr. cap.* 6.

XII. Fateor , iſta bona merita radicaliter eſſe dona Dei , qui gratioſè donavit gratiam , quâ fierent . Nam *cui redderet* (proſequitur Auguſtinus) *coronam juſtus judex , ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater ? Et quomodo eſſet iſta corona juſtitiæ , niſi præceſſiſſet gratia , quæ juſtificat impium ?* Quia tamen homo ſuâ voluntate eâdem benè uſus eſt gratiâ , ipſamet , dona Dei fecit eſſe merita ſua . Ideò dicere etiam potuit Auguſtinus . *Quomodo iſta debita redderetur , niſi priùs illa gratuita donaretur ?* Et propterea S. Thomas in 2. Timoth. 4. lect. 2. *dicendum eſt* (inquit) *quod eſt ibi gratia quantùm ad radicem merendi : juſtitia quantùm ad actum , qui procedit ex voluntate* .

XIII. Vitam æternam reddi ex meritis , & propter merita , teſtatur ulteriùs Scriptura , quæ eam vocat nomine *Mercedis* , Matth. 5. v. 12. *merces veſtræ copioſa eſt in Cœlis* , quod repetitur Lucæ 6. v. 23. & 35. 1. Cor. 3. v. 8. *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem* . Mercedem , inquam , eo modo , quo datur Operariis , qui laboraverunt in Vinea (*Matth.* 20.) . Tunc ſic ; ſed quod datur tanquam merces operario , quod datur ſecundùm laborem , datur ex vera juſtitia , & ex merito , non ex gratia : unde Paulus Roman. 4. v. 4. *Ei* (inquit) *qui operatur , merces non imputatur ſecundùm gratiam , ſed ſecundùm debitum :* gratia enim ex operibus non eſt . Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia jam non ex operibus , alioquin gratia jam non eſt gratia ;* ergo &c.

Sed inquit Gomarus primò . Opera noſtra ſunt Deo Creatori , & Redemtori debita , ac juſtè ab eo mandata ; ergo , dùm benè operamur , facimus , quod debemus , nihilque promeremur , ſecundùm illud Chriſti , Lucæ 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia , quæ præcepta ſunt vobis , dicite : ſervi inutiles ſumus : quod debuimus facere fecimus* .

XIV. Reſpondeo , verum eſſe opera noſtra pluribus titulis Deo debita eſſe , ſuppoſito tamen , quòd ea acceptaverit , & propterea promiſerit , ſe daturum gloriam , noſtra debita incipiunt eſſe noſtra merita , Deumque conſtituunt debitorem , non nobis , ſed ſibi . Ità S. Thom. 1. 2. qu. 114. art. 1. ad 3. *Quia actio noſtra non habet rationem meriti , niſi ex præſuppoſitione divinæ ordinationis , non ſequitur , quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis , ſed ſibi ipſi , in quantum debitum eſt , ut ſua ordinatio impleatur* . Neque ex Textu Lucæ quidquam concluditur adversùs nos , inquit S. Thomas laudatus ad primum *homo* ènim *in quantum propriâ voluntate facit illud , quod debet , meretur ; alioquin actus juſtitiæ , quo quis reddit debitum , non eſſet meritorius* . Addo , Chriſtum non dicere :

Cùm

Cùm feceritis omnia, ſervi inutiles eſtis. Sed *cùm feceritis omnia: dicite: ſervi inutiles ſumus*. Quibus non tollit à noſtris bonis operibus meritum, ſed monet, ne ex noſtro merito ſuperbiamus, quia opera noſtra nobis inutilia forent, niſi Deus ſuâ gratiâ de noſtris debitis feciſſet noſtra merita; ſed potiùs ante Dei bonitatem humiliemur, *cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

XV. Dicit ſecundò. Opera noſtra etſi bona, ſunt imparia mercedi; ergo non ſunt merita.

Reſpondeo, ex hoc ſequi ſolùm, opera noſtra bona non eſſe merita, niſi præſuppoſitâ divina ordinatione, & quòd Deus ea coronans exerceat juſtitiam *non ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſed ſecundùm proportionem quandam*, ut docet D. Thom. loco citato *art. 1. in corp.*

XVI. Dicit tertiò. Opera noſtra, etſi juſti ſimus, ſunt imperfecta, quia non implemus omnia mandata, *ſed in multis offendimus omnes*. Jacobi 3. v. 2. Quia in ſe carnis contagione vitiata, & ſolum bona, & juſta ex imputatione juſtitiæ Chriſti.

Reſpondeo, hunc eſſe errorem Proteſtantium, opera hominis quamvis juſti, eſſe ſicut pannum menſtruatæ, & labe peccati ſordidata, & ſolùm munda apparere juſtitiâ Chriſti eis imputatâ: ſed hunc errorem deteſtamur, quùm dicamus, per juſtificationem peccata non ſolum tegi, ſed reverà deleri, & opera per gratiam Chriſti ab homine juſto facta, eſſe in ſeipſis bona, munda, & ſancta: *Omnis* enim, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*, inquit Joann. *Epiſt. 1. cap. 3. v. 9.* & Paulus *ad Tit. 2. v. 14.* Tito injungebat, ut prædicaret, Chriſtum ſe dediſſe pro nobis, *ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. Quomodo autem Chriſtus nos mundaſſet, ſi opera hominis, etſi per Chriſtum juſtificati, & ſanctificati, forent immunda?

In multis offendimus omnes: & ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Joann. 1. 8. ideòque dicere quotidie Deo debemus *dimitte nobis debita noſtra*. Fateor. Sed ſi à gravioribus abſtinebimus peccatis, & leviora vincere per gratiam Dei ſtuduerimus, merebimur tandem hinc exire ſine peccato, & vitâ donari æternâ. Ità S. Auguſtinus epiſt. 157. aliàs 89. ad Hilarium cap. 1. *qui*, inquit, *miſericordiâ Dei adjutus, & gratiâ, ſe ab eis peccatis abſtinuerit, quæ etiam crimina vocantur: atque illa peccata, ſine quibus hîc non vivitur, mundare operibus miſericordiæ, & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire ſine peccato, quamvis cùm hîc viveret, habuerit nonnulla peccata.*

XVII. Dicit quartò. S. Paulus *Rom. 6. v. 23.* ſcribit, mortem eſſe ſtipendium peccati, vitam verò æternam eſſe gratiam Dei; ergo non ex meritis, aliàs non benè contraponeret morti vitam æternam.

Reſpondet S. Auguſt. *Ep. 104. aliàs 105. ad Sixtum cap. 5.*, Apoſtolum benè, ac verè potuiſſe dicere etiam ſtipendium juſtitiæ vita æterna: *quia ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors: ità merito juſtitię tanquam ſtipendium vita ęterna.... Unde etiam & merces appellatur plurimis Sanctarum Sciptурarum locis*. Noluiſſe tamen hoc dicere *ne juſtitia ſe extolleret de humano bono merito*, quaſi eam habere poſſet à ſe, ut poſtea præſumſere Pelagiani, ideòque addidit *in Chriſto Jeſu Domino noſtro*.

Reſpondet ſecundò S. Thomas 1. 2. q. 114. *art. 3. ad 2.*, Vitam æternam dici gratiam *quantùm ad primam cauſam perveniendi ad vitam æternam, quæ eſt miſeratio Dei, meritum autem noſtrum eſt cauſa ſubſequens*. Sed hæc ſatis: plura enim dicemus in tractatu

de

Digitized by Google

de Juſtificatione, & merito, ſi Deus dederit. Interim videri poſſunt, quæ diximus in *Vera Eccleſia tom. 2. p. 1. art. 9.*

§. IV.

Electio Prædeſtinatorum ad Gloriam gratuita ex Scripturis.

XVIII. Dico ſecundò. Homo non prædeſtinatur, ſeu non primò eligitur ad Gloriam ex prævifis meritis per auxilium gratiæ comparandis, ſed voluntate prorsùs miſericordi, & gratuitâ antevertente omnem meritorum prævifionem; quod eſt idem ac dicere electionem ad gloriam nullam ſupponere cauſam ex parte noſtri. Hanc eligo, quia eam modo loquendi Sacræ Scripturæ conformiorem, & eſſe eam, quam prædicavit S. Auguſtinus adversùs Pelagianos, & Semipelagianos, exiſtimo, quamque Eccleſia in Auguſtino probavit. Hinc Bellarminus *Lib. 2. de gratia, & lib. arbitr. cap. 11.* poſtquam oſtendit, hanc ſententiam nedum Patrum ſuffragio, ſed & publico Eccleſiæ teſtimonio à Cœleſtino, à S. Leone, & Gelaſio fuiſſe approbatam, concludit: *Itaque ſedes Apoſtolica non tantùm ſemel, ſed etiam ſecundò, & tertiò adversùs Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratiæ, & prædeſtinationis ſententiam tulit, ut jam hæc ſententia non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ eſſe debeat.* Ego autem, qui non uſque adeò volo procedere, ut adverſæ ſententiæ detraham, eique notam ullam inuram, dico ſolùm, hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, & Scoti, & utriuſque Scholæ Profeſſorum, paucis exceptis Scoti diſcipulis recentioribus, inter quos Fraſſen, qui ſtatutâ electione efficaci prædeſtinatorum ad gloriam ex prævifis eorum meritis (neſcio quâ veritate) ſubdit: *hæc eſt graviorum, & melioris notæ Theologorum aperta ſententia.* Sed hoc dimiſſo.

XIX. Probo primò ex illo Act. 13. v. 48. *Audientes autem gentes gaviſæ ſunt, & glorificabant Verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ergo ex iis, qui audierunt concionem Pauli, Judæi contradixerunt, ex gentibus autem multi ideò crediderunt, quia hi præordinati erant ad vitam æternam, non ideò præordinati fuerant, quia prævifi fuerant credituri.

Secundò ex illo Chriſti ad Apoſtolos Joann. 15. v. 16. *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.... ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat;* atqui hoc non potuiſſet dicere Chriſtus, ſi eos ex aliquorum meritorum per gratiam verſatilem comparandorum prævifione elegiſſet: ſic enim Apoſtoli potiùs cooperando illi gratiæ uſque in finem elegiſſent Chriſtum; ergo &c.

Tertiò. S. Paulus ad *Epheſ. 1. v. 4. 5.* Prædeſtinationem non refundit in opera bona prævifa, ſed potiùs opera bona refundit in prædeſtinationem, ut in cauſam, & radicem: *Elegit nos* (inquit) *in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati* (non quia prævidit nos futuros Sanctos).... *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum:* cujus rationem reddens non ait: *pro ut præviderat nos eſſe facturos, ſeu ſecundùm præſcientiam:* ſed: *ſecundùm propoſitum Voluntatis ſuæ.* Et v. 11. *In quo etiam* (inquit) *& nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium Voluntatis ſuæ.* Ecce ergo ſecundùm Paulum ordinem, quem Deum tenuiſſe in negotio Prædeſtinationis concipere debemus. Primò ſecundùm propoſitum, ſeu conſilium Voluntatis nos prædeſtinando, atque præ multis aliis eligendo, ut eſſemus ſancti, & in ſanctitate uſque in finem permaneremus. Ex hac voluntate ſecuta eſt electio ad gratiam vocationis ad fidem, deinde ad juſtificationem, tandem ad glorificationem. Hunc or-

Digitized by Google

dinem idem S. Paulus expreſſit Roman. 8. v. 30. *Quot autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Ubi Sanctus Thomas *in Ep. ad Epheſ. cap. 1. lect. 4. cujus quidem* (inquit) *prædeſtinationis ratio non ſunt merita noſtra, ſed mera Dei voluntas, propter quod ſubdit ſecundùm propoſitum ejus..... Quod autem ſecundùm propoſitum prædeſtinaverit, probat, quia non ſolum hoc, ſed etiam omnia alia, quæ Deus facit, operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Hæc D. Tho. & S. Auguſtinus contra Pelagianum dicentem: *Præſciebat ergo Deus, qui futuri eſſent ſancti: per libera voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, quâ tales futuros eſſe præſcivit, elegit:* ſic diſcurrit lib. de Predeſtin. SS. cap. 18. *Intueamur ergo verba Apoſtoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit... quia ſancti, & immaculati futuri eramus, an ut eſſemus...* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati. *Non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans, ut tales per gratiam ejus eſſemus.*

XX. Reſpondent contrarii, nos terere tempus; nam S. Paulus hìc non loquitur (imò nec S. Auguſtinus) de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de prædeſtinatione ad gratiam. Nam dicit *elegit nos in ipſo &c. ut eſſemus Sancti*, non, *ut eſſemus beati*, electio autem ad gratiam non ſupponit opera, ea tamen ſupponit electio ad gloriam.

Sed contra. Nam primò, teſte Auguſtino ibi, ex eodem propoſito, quo Deus vocavit nos ad gratiam, vocavit nos ad gloriam. *Ex hoc* (inquit) *propoſito ejus eſt illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum*, quia *ſecundùm propoſitum vocati ſunt*; ergo ſi electio ad gratiam, quia ſecundùm propoſitum eſt, gratuita, & non ex operibus eſt, gratuita etiam, & non ex operibus erit electio electorum ad gloriam, quæ ex eodem propoſito eſt.

Secundò. Electio ad gratiam eſt effectus electionis ad gloriam, ſeu prædeſtinationis juxta dictum Pauli prææl-latum. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos juſtificavit*, ergo ſi electio ad gratiam antecedit merita, & non ſupponit, multò magis ea antecedet electio ad gloriam.

Tertiò. Modus loquendi S. Pauli indicat, ſe loqui de prædeſtinatione ad perſeverantiam uſque in finem, cui conjuncta eſt prædeſtinatio ad gloriam. Ita S. Auguſt. *lib. de Dono Perſever. cap.* 7. ubi poſtquam dixit: *Deus ergo donat perſeverantiam*, ſtatim ſubdit: *Ipſa eſt prædeſtinatio Sanctorum, quos elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti &c.* & *cap.* 9. ubi loquens de *duobus piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi non donetur*: dicit: *Illud fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prędeſtinatis, illum non eſſe.* Et adducto teſtimonio 1. Joann. 2. v. 19. *Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*, ait: *Quid eſt quæſo*, non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum? *Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant?... Nonne poſtremò utrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti, utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Vera ſunt hęc: ſecundùm hæc omnia* ex nobis erant: *verumtamen ſecundùm aliam quandam diſcretionem* non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. *Quę eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei; non avertamus adſpectum. Clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis; quia non erant ſecundùm propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante conſtitutionom mundi: non erant in eo ſortem conſecuti: non erant prædeſtinati*

ſe-

Digitized by Google

ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. En quomodo S. Auguſtinus ad prædeſtinationem nedum ad gratiam, ſed ad perſeverantiam, & ad gloriam refert præfata Pauli verba.

§. V.

Gratuita Prædeſtinatio ex Paulo ad Rom. 9.

XXI. Clariſſimum pro gratuita prædeſtinatione argumentum exhibet S. Paulus ad *Rom.* 9. ubi proponens exemplum Prædeſtinati, & Reprobi in Jacob, & Eſau ait: à v. 11. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt ei*: (ideſt Rebeccę) *quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ex quibus ſic arguo. Ità ſe habet ex Paulo prædeſtinatio ad gloriam, ſicut ſe habet Dei dilectio erga Jacob, hujus enim dilectio figura prædeſtinationis eſt; ſed Dei erga Jacob dilectio non eſt ex operibus, etiam prævifis, ſed ex gratuito Dei propoſito; ergo nec hominis lapſi prædeſtinatio eſt ex operibus prævifis, ſed ex gratuito Dei propoſito.

Verùm quia huic doctrinæ velut nimiùm aſperæ poterat quis opponere. Si Deus elegit Jacob, & odio habuit Eſau, antequam aliquid boni, aut mali egiſſent; ergo in Deo locum habebit iniquitas, ideſt acceptio Perſonarum, dicens v. 14. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum?* Sanè ſi Paulo perſuaſum fuiſſet, Deum dilexiſſe Jacob, & odio habuiſſe Eſau, eò quòd illius futura bona opera, iſtius autem mala præſciviſſet; hìc locus erat, ut ad ea confugeret; Cùm hæc reſponſio ſpontè ſe offerat ei, cui ratum eſt, electionem illam, & diſcretionem eſſe ex prævifis meritis, ſive naturæ viribus, ſive gratiæ verſatilis auxilio comparandis. At ad hanc evaſionem Paulus non recurrit, imò in propoſito divinæ voluntatis perſiſtens, à v. 14. *Abſit* (inquit) *Moyſi enim dicit, miſerebor, cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor.* Inde opera apertè excludens quæcumque, concludit verſ. 16. *igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:* & ſtatim poſito exemplo Pharaonis, quem excitavit, ut oſtenderet potentiam ſuam, inde infert v. 18. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Porrò, cùm validiorem ſibi objectionem feciſſet, nempe, ſi Deus ad hominis opera in ſui dilectione, vel odio non reſpicit, ſed cujus vult miſeretur, quem vult indurat, injuſtè ergo conqueritur de hominibus, qui in maſſa perditionis cum Eſau, & Pharaone relicti, ejus ſolâ voluntate indurati bona non agunt; Voluntati enim ejus nemo reſiſtit; *Dicis itaque mihi v. 19. Quid adhuc quæritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Huic forti argumento reſpondiſſet Molinæ Diſcipulus, Deum juſtè conqueri, quia non merâ voluntate, ſed ex pravo ſuæ gratiæ uſu præviſo hominem indurare dicitur, ac eum præ alio rejicere. At Paulus non ità. Imò acriter reprehendens ſic arguentem v. 20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* ſuam doctrinam fortiori ſimilitudine confirmat, comparans Deum figulo, & hominem figmento; ſic, ut quemadmodum nihil erat in luto potens movere figulum ad faciendum vas in honorem potiùs, quàm in contumeliam, neque vas factum in contumeliam poteſt dicere figulo, quare me feciſti ſic? Ità nec homo poteſt ſic dicere Deo. *Nunquid* (ait v. 20. &c.) *dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ne autem quis putaret, Deum eſſe crudelem, quaſi vaſa ideſt

homines ad interitum abſque ullo demerito damnaret: concludit, dilectionem quidem prædeſtinatorum exemplo dilectionis Jacob fuiſſe ex miſericordia, ſed odium reproborum figuratum in odio Eſau fuiſſe ex juſtitia, dicens. à v. 22. *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quos & vocavit &c.* Ubi notandum, Apoſtolum, dùm loquitur *de vaſis iræ*, non dixiſſe, *quæ aptavit in interitum:* ſed: *apta in interitum*, quia peccatum ſive originale, ſive actuale, quo homo aptatur in interitum, ex ipſo homine eſt, qui corruptione naturæ, ſeu voluntatis pravæ ſibi accerſit interitum. Dùm verò loquitur de *vaſis miſericordiæ*, non dixit *præparata in gloriam:* ſed: *quæ præparavit in gloriam.* Si autem ex prævisione bonorum operum iſtos elegiſſet, ſicut ex prævisione malorum rejecit illos, debuiſſet eodem modo de utriſque loqui.

Obſervationem hanc ex D. Thoma deſumſi *in cap. 9. ad Roman. lect. 4.* ubi ait: *Uſus malorum, ad quem utitur eis Deus, eſt ira, ideſt pœna, & ideò vocat eos* vaſa iræ... *Actus verò, quem Deus erga eos exercet, non eſt quod diſponat eos ad malum, quia ipſi de ſe habent diſpoſitionem ad malum ex corruptione primi peccati: unde dicit:* Vaſa apta in interitum, *ideſt, habentia aptitudinem ad æternam damnationem... Hoc autem ſolùm Deus circa eos agit, quod eos permittit agere, quæ concupiſcunt. Unde ſignanter dicit* ſuſtinuit. *Et hoc ejus patientiam demonſtrat, quod non ſtatim vindictam infert. Unde addit* in multa patientia. Loquens verò S. Doct. de vaſis miſericordiæ ſic ait: *Nominat autem bonos vaſa miſericordiæ, quia utitur eis Deus, quaſi inſtrumentis ad ſuam miſericordiam manifeſtandam. Ponit etiam actum, quem circa eos Deus exercet. Non enim Deus eos ſolùm ſuſtinet, quaſi de ſe aptos exiſtentes ad bonum, ſed eos præparat, & diſponit, vocando ad gloriam. Unde dicit:* Quæ præparavit in gloriam. *Eſt autem* (advertit S. Doctor) *conſtructio defectiva, & ſuſpenſiva uſque hìc, ut ſit ſenſus. Si Deus volens hoc facere, quibuſdam miſeretur, & quoſdam indurat, quid contra hoc juſtè poterit dici? Quaſi dicat: Nihil. Non enim ſic quos vult indurat, ut eos peccare compellat, ſed ſuſtinet eos, ut ſecundùm ſuam inclinationem tendant in malum.*

§. VI.

Evaſiones contrariæ propoſitæ, & rejectæ.

XXII. Hoc adeò aperto teſtimonio valdè contorquentur Adverſarii, ac multis viis evadere, ejuſque vim conantur declinare. Primò ergo reſpondent aliqui, verba illa: *major ſerviet minori*, non intelligi de Perſonis ſingularibus, Jacob, & Eſau, ſed de duobus Populis, Iſraelitico ex Jacob, & Idumæo ex Eſau. Illa verò: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, non intelligi de Prædeſtinatione, aut reprobatione in ordine ad bona ſpiritualia alterius vitæ, ſed in ordine ad hæreditatem, & bona temporalia vitæ præſentis. Cum enim *Gen. 25. v. 23.* Rebecca Deum conſuleret, cur parvuli, quos geſtabat in utero, pugnarent inter ſe, hoc accepit reſponſum: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Et *Malachiæ 1. v. 2. & 3.* cùm Deus dixiſſet *dilexi Jacob, Eſau autem odio habui*, explicans, quo ſenſu illum dilexerit, & hunc odio habuerit, ſubdit: *Poſui montes ejus* (Eſau) *in ſolitudinem, & hereditatem ejus in dracones deſerti.* Ergo ex illo Apoſtoli textu malè colligitur gratuita prædeſtinatio: aliàs Eſau in numero reproborum eſſet ponendus, quem tamen ſalvum non pauci ſentiunt.

XXIII. Reſpondeo, nos non diſputare

Digitized by Google

tare de loco Geneſis, aut Malachiæ, ſed de verbis illis, ut à Paulo aſſumtis. Quamvis enim Scriptura vetus ad litteram loquatur de duobus populis, & de bonis temporalibus; Paulus tamen ad Romanos ſcribens, modum, quo ſe geſſit Deus erga Eſau, & Jacob, ac duos illos populos circa bona temporalia, aſſumit, ad oſtendendum modum, quo Deus ſe gerit erga homines in bonis ſpiritualibus, & in ordine ad vitam æternam; per Eſau intelligens reprobos, per Jacob, electos, per terram autem promiſſionis, vitam æternam. Ac proinde ſicut ſe geſſit Deus erga Jacob, & Eſau, eorumque poſteros, unum bonis temporalibus gratis, & nullis operibus etiam prævifis, donando, alterum rejiciendo; ſic ſe gerit bona æterna diſtribuens, quibus voluit largiens, quibus voluit denegans abſque ulla meritorum prævifione: & hoc pacto Eſau, quamvis non excluſus ab hæreditate æterna, quia tamen excluſus ab hæreditate temporali, aſſumi potuit, ut figura reproborum. Videatur S. Auguſtinus, qui totâ ferè *epiſt.* 194. *aliàs* 105. *ad Sixtum* hunc locum de prædeſtinatis, & reprobis intelligit.

Neque dicas. Si textus iſte de prædeſtinatis, & reprobis uſurpandus eſt, cùm dicatur, Deum ante ulla bona merita dilexiſſe Jacob, & ante ulla mala merita odio habuiſſe Eſau, jam ſequetur, quòd ſicut Deus gratis, & ante prævifa merita prædeſtinavit Jacob, & prædeſtinat electos, ità ante prævifa demerita reprobarit Eſau, & reprobet præſcitos; at reprobatio ante prævifa demerita non fit, cùm ſit actus juſtitiæ; ergo &c.

XXIV. Nam reſpondeo, ſolùm ſequi, quòd reprobatio Eſau facta fuerit ante prævifa demerita perſonalia, non verò ante prævifum demeritum originale: quare Apoſtolus dicit *antequam quidquam boni egiſſent, aut mali:* quibus oſtenditur, unum fuiſſe dilectum, & electum, & alterum odio habitum, ante operum, quæ ipſi facturi eſſent, & proinde perſonalium, prævifionem: non tamen ante prævifionem demeriti originalis, cui natura utriuſque obnoxia erat. Imò ex hoc oſtendit Paulus, Deum virtutem, ac potentiam ſuam manifeſtare, quòd ex eadem maſſa damnata miſericorditer extrahit unum, ut ſit vas in honorem, juſtè in eadem alterum relinquendo, ideoque ſit, ut meretur, vas in contumeliam.

Ità S. Auguſtinus *epiſt.* 194. citatâ *ad Sixtum*, ubi inſtruens ipſum contra Pelagianorum argumenta *cap.* 2. ſic ait: *Sed injuſtum eſt, inquiunt* (Pelagiani) *in una, eademque mala cauſa, hunc liberari, illum puniri*. Reſpondet: *Nempè ergo juſtum eſt utrumque puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dùm nobis non redditum cernimus, quod in damnatione ſimilium nobis debitum fuiſſe cognoſcimus*. Et inferiùs: *quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia*, honorem *dat indebitum gratia, non meriti prærogativa .... ſed altitudine divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et S. Fulgentius lib. 1. de veritate prædeſtinat., & gratiæ. *In uno* (inquit) *merita ſunt damnationis inventa, alteri verò merita glorificationis gratuitâ ſunt juſtificatione collata. Ille unde diſpliceret, in ſe habuit: iſte autem, unde Domino placeret, ab ipſo, cui eſſet placiturus, accepit. In omnibus igitur, qui gehennali traduntur incendio, invenit juſta ſeveritas, quod puniat eorum malum; in quibuſdam originaliter tractum, in quibuſdam etiam vitio propriæ voluntatis adjectum*. Eſau ergo primò Deus rejecit ante prævifum vitium propriæ voluntatis, eſto non ante prævifum vitium origine contractum.

XXV. Reſpondent ſecundo. Dato, quod ibi agatur de Prædeſtinatione ad bona ſpiritualia, non agi tamen de prædeſtinatione completa, nempe ad gloriam, ſed de incompleta ſolum, nempe ad fidem, & ad gratiam. Ex quo ſequitur, gratuitam quidem eſſe præ-

prædeſtinationem ad gratiam, ſed non ad gloriam.

Sed contra primò. Paulus de illa prædeſtinatione loquitur, in qua diſcreti fuerunt Jacob, & Eſau, quorum unus adducitur ut figura electorum, alter ut figura reprobatorum; ergo loquitur de prædeſtinatione ſupponente electionem ad gloriam, & non ad gratiam utrique communem. Unde S. Auguſt qu. 154. in Exod. ad illa verba: *Miſerebor, cui miſertus ero &c. ibi* (inquit) *planè expreſſiùs oſtendit vocationem, quâ nos vocavit in ſuum regnum, & gloriam: non pro meritis noſtris, ſed pro miſericordia ſua.*

Secundo. Prædeſtinatos, de quibus loquitur, vocat Paulus *vaſa honoris, quæ Deus præparavit in gloriam:* Reprobos autem vocat *vaſa iræ apta in interitum*. Quid autem ſunt vaſa honoris, quæ Deus præparavit in gloriam, niſi prædeſtinati nedum ad fidem, ſed ad finaliter perſeverandum, & proinde ad gloriam? Quid ſunt vaſa iræ apta in interitum, niſi finaliter reprobati? Aliàs ſi vocatio ad fidem ſufficeret ad conſtituendum vas honoris; Judas, qui fuit electus, & vocatus ad Apoſtolatum, inter vaſa honoris eſſet reponendus.

Tertio. Vaſa miſericordiæ, & honoris in hoc differunt à vaſis iræ, & in contumeliam, quod in illis Deus manifeſtat divitias ſuæ gloriæ, ideſt abundantiam ſuæ miſericordiæ, in iſtis verò theſaurum iræ, ideſt abundantiam ſuæ Juſtitiæ; atqui hoc diſcrimen non poſſet ſubſiſtere, ſi dicerentur vaſa miſericordiæ, aut Iræ per reſpectum ad ſolam gratiam: etenim plures ſunt, quibus datur gratia ad tempus, quibuſque denegatur in æternum, in quibus incomparabiliter magis manifeſtatur ira & juſtitia, quàm miſericordia; & plures è contra ſunt, quibus gratia pro aliquo, & multo tempore negatur, ut contigit pio Latroni, in quibus magis in infinitum abundat miſericordia, quàm Juſtitia: ergo vaſa miſericordiæ, & iræ; Vaſa præparata in gloriam, & apta in interitum dicuntur per ordinem non ad gratiam ſolùm, ſed ad gloriam.

XXVI. Reſpondent alii tertiò, Apoſtolum ibi excludere opera præſentia. Ait enim: cùm *nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali;* non autem opera futura ab ipſo Deo prævisa.

Sed hanc reſponſionem dabant etiam Pelagiani, & Semipelagiani. Hanc refellit S. Auguſtinus, cujus verba audiamus. *Epiſt. olim.* 105. nunc 194. *ad Sixtum cap.* 8. *Mirum eſt autem* (inquit) *cum his coarctantur anguſtiis, in quanta ſe abrupta præcipitent metuentes retia veritatis.* Ideo *inquiunt*, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. *Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur; Hoc quippe ille non vidit, quando ſibi velut adverſantis objectâ quæſtione, non id potiùs tam breve, tam apertum, tam (ſicut iſti putant) verum, abſolutumque reſpondit. Cum enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali rectè diei potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ſibi objectâ quæſtione motum exprimens auditoris;* Quid ergo dicemus, *inquit*, nunquid iniquitas apud Deum? abſit. *Hic ergo erat locus, ut diceret quod illi ſentiunt:* Futura enim Deus opera prævidebat, quando majori minorem ſerviturum eſſe dicebat. *Non autem hoc Apoſtolus dicit: ſed potiùs ne quiſquam de ſuorum operum meritis audeat gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere quod dixit.*

Idem aſſerit *lib.* 2. *contrà duas Epiſt. Pelagian. cap.* 7. ubi allato exemplo Jacob, & Eſau poſtquam dixit, quod *Deus non ab alio factum, quod eligat invenit, ſed quod inveniat ipſe facit: ſicut de Reliquiis Iſrael Scriptum eſt. Rom.* 11. *v.* 5. *Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia,*

tia, jam non ex operibus, aliòquin gratia jam non eſt gratia. Inde converſus ad Pelagianos. *Propter quod*, inquit, *profectò deſipitis, qui, dicente veritate non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; vos dicitis ex futuris operibus, quę Deus illum facturum eſſe praeſciebat, Jacob fuiſſe dilectum; atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus, quaſi non poſſet dicere: non ex praeſentibus, ſed futuris operibus. Sed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret.... Praecedit namque non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant bona opera &c.* Hoc etiam fusè pertractat in *Enchiridio cap.* 98. ubi ait: *Qua in re ſi futura opera vel bona vel mala illius, quæ Deus utique praeſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret*, non ex operibus: *ſed diceret ex futuris operibus; eoque modo iſtam ſolveret quaeſtionem, imò nullam, quam ſolvi opus eſſet, faceret quaeſtionem*.

XXVII. Hiſce adeò claris Adverſarii dicunt, Apoſtolum, & Auguſtinum excludere quidem opera tum præſentia, tum futura, & prævisa ex viribus naturæ facienda, ut volebant Pelagiani, & ex parte Semipelagiani, non verò opera prævisa, ut futura ex gratiæ auxilio.

Sed contra eſt. Vel hoc auxilium gratiæ, ex quo opera bona prævidentur futura, eſt ex ſe indifferens & humano arbitrio quaſi ſubmiſſum, ab coque determinationem expectans, itaut intantùm ſit efficax, inquantùm homo pro ſua libertate eo benè utitur; vel eſt ex ſe efficax. Hoc ſecundum non dicunt Contrarii, aliàs nobiſcum ſentirent. Primum verò dici nequit. Primò: quia rediret argumentum, quod D. Auguſtinus laudatus urget, nempe quod quæſtio Apoſtoli de electione Jacob, & rejectione Eſau facilè ſolveretur, imò nulla eſſet quæſtio, ac multò minus eſſet ratio exclamandi, & admirandi. Statim enim reſponderetur: iſte eſt electus cum Jacob, quia prævisus fuit gratiæ ſibi datæ conſenſurus; ille eſt rejectus cum Eſau, quia prævisus fuit eidem gratiæ non conſenſurus. Neque eſſet ad rem exemplum adductum à Paulo de figulo reſpectu vaſis. Nec poſſet dicere non ex operibus, ſed ex vocante, imò potiùs, non ex vocante, ſed ex operibus faciendis per gratiam. Hinc S. Fulgentius *lib.* 1. *de Verit. Prædeſt.* ait: *Ex operibus enim ſine dubio Apoſtolus dixiſſet, ſi futurorum ſaltem ibi humanorum operum bona merita cognoviſſet. Sed quoniam in utroque ſola damnationis ineſſe merita ſcivit, electionis cauſam ſoli propoſito divinæ bonitatis attribuit. Quocirca ex duobus iſtis fratribus ... ſola quem voluit à maſſa damnationis miſericordia divina diſcrevit: cui patrocinata eſt gratuitorum prædeſtinatio munerum, non futurorum præſcientia meritorum.* Videatur ulteriùs Sanctus Fulgentius loco citato, ubi fusè proſequitur, ad ſolam Dei miſericordiam referens electionem unius, & ad juſtum Dei Judicium reprobationem alterius.

Contra ſecundò. Ex data reſponſione intellecta de auxilio indifferenti ſequitur, quod homo facit ſeipſum vas miſericordiæ, ſeipſum diſcernit à vaſis iræ, & opus prædeſtinationis non eſt opus Dei miſerentis, ſed hominis volentis, atque currentis. Nam diſcretio unius præ alio non petitur ab eo, quod eſt commune utrique, ſed ab eo, quod uni convenit, & non alteri. Cùmque gratia, de ſe indifferens, ſit utrique communis, vaſa miſericordiæ non diſcernuntur à vaſis iræ per gratiam indifferentem miſericorditer conceſſam utriſque, ſed per propriam libertatem, quâ unus eam reddit efficacem, ac ſe facit vas miſericordiæ, alter verò eam efficacem non reddit, & ſe facit vas iræ; atque ſimilitudo figuli inepta foret.

XXVIII. Sed præſtat iterum audire Auguſtinum in Enchiridio cap. 32. *Si propterea dictum eſt*: non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia ex utroque fit, & voluntate hominis, & miſericordiâ Dei, ut ſic dictum*

ſtum accipiamus: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; *tanquam diceretur: non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei: Non ergo ſufficit & ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis: ac per hoc, ſi rectè dictum eſt:* Non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia id voluntas hominis ſola non implet; cur non & è contrario rectè dicitur:* non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, *quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò ſi nullus dicere Chriſtianus audebit:* non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, *ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat, ut propterea rectè dictum intelligatur:* non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.*

XXIX. Iiſdem ferè verbis loquitur fidelis S. Auguſtini Diſcipulus S. Thomas in *cap. 9. ad Rom. lect. 3.* ubi poſtquam dixit, ſalutem, ſecundùm aliquos, partim eſſe ex miſericordia Dei, partim ex hominis arbitrio: & ita ab illis explicari hæc verba *non volentis &c. ſed miſerentis eſt Dei.* Subjecit: *ſed ſi hoc ſolum in hoc verbo intellexiſſet Apoſtolus: cum etiam gratia ſine libero arbitrio hominis non velit, neque currat; potuiſſet è converſo dicere* non eſt miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis, *quod aures piæ non ferunt. Unde plus aliquid ex his verbis intelligendum eſt, ut ſcilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur. Semper enim actio magis attribuitur principali agenti, quàm ſecundario, puta ſi dicamus; quod ſecuris non facit arcam, ſed artifex per ſecurim: Voluntas autem hominis movetur à Deo ad bonum, unde ſupra cap. 8. v. 14. dictum eſt:* Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei; *& ideò hominis operatio interior non eſt homini principaliter, ſed Deo attribuenda. Philipp. 2. v. 13.* Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Prævidens autem adverſariorum inſtantiam, nempe, quòd ſi hoc eſſet, tolleretur humana libertas; proſequitur ſic: *Sed ſi non eſt volentis velle, neque currentis currere, ſed Dei moventis ad hoc hominem, videtur quòd homo non ſit Dominus ſui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii.* Ecce inſtantiam familiarem. Cui reſpondet: *Et ideò dicendum eſt, quòd Deus omnia movet, ſed diverſimodè, in quantum ſcilicet unumquodque movetur ab eo ſecundùm modum naturæ ſuæ; & ſic homo movetur à Deo ad volendum, & currendum per modum liberæ voluntatis. Sic ergo velle, & currere eſt hominis ut liberè: non autem eſt hominis, ut principaliter moventis, ſed Dei.*

§. VII.

Prædeſtinatio gratuita ex Patribus.

XXX. Quemadmodum Patres, qui ante Arianam hæreſim floruerunt, pauca de Filii conſubſtantialitate locuti ſunt: ita qui Pelagium Prædeſtinationis, & Gratiæ hoſtem apertum præceſſerunt, non admodum ſoliciti fuere de cauſa Prædeſtinationis, & Gratiæ inveſtiganda. Tunc ſolùm cæpit fervere de hac re rigoroſum criterium, cùm Pelagius, ut liberum extolleret arbitrium, de gratia, & divina Prædeſtinatione malè loqui auſus fuit. Tunc, inquam, cæpit inquiri & apparere, quænam eſſet hac de re Catholica ſententia. Ut enim docet S. Auguſtinus lib. 7. Confeſſ. cap. 19. *Improbatio hæreticorum facit eminere quid Eccleſia ſentiat, & quid habeat ſana doctrina.* Et hoc modo ait *lib. de vera Relig. cap. 8.* Hæretici *plurimum proſunt, non verum docendo, quod neſciunt; ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando.*

Cùm ergo Pelagius eruperit D. Auguſtini, & Hieronymi temporibus, uterque in ejus errore confutando, & Catholica veritate aperienda laboravit.

vit. In hoc Auguſtinus emicuit, cujus doctrina ut doctrina Eccleſiæ habita fuit, & quò magis impetita, eò fortior evaſit. Quare cùm (eo jam vitâ functo) querelæ, contra ejus ſcripta delatæ ab aliquibus fuerint ad Cœleſtinum Papam, is eximiis laudibus ejus doctrinam celebrans, talibus verbis ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit: *Unde reſiſtendum talibus, quos malè creſcere videmus.* Sed quanti in hac materia S. Auguſtini auctoritas facienda ſit ſuperiùs oſtendimus, & videri poteſt S. Proſper *lib. contra Collatorem cap. 21.*

XXXI. Probo ergo, Auguſtinum Prædeſtinationem gratuitam ad gloriam docuiſſe, ſic. Eam de prædeſtinatione Auguſtinus ſententiam docuit, quam in ipſo reprehenderunt, & de qua ſcandalizati fuerunt Semipelagiani, dicentes, per eam correptionem, induſtriam, orationem tolli; atqui hujuſmodi non poterat eſſe prædeſtinatio dependens à meritis prævisis, ſed prædeſtinatio antecedens merita, & prorſus gratuita: ergo hanc docuit S. Auguſtinus. Maj. videtur certa; quia S. Doctor nunquam conqueſtus eſt, ſibi in doctrina Prædeſtinationis à Semipelagianis imponi. Imò doctrinam de Prædeſtinatione à Proſpero, & Hilario Semipelagianorum nomine ſibi propoſitam, ut ſuam agnoſcit, & objectiones contra eam, quas per eoſdem ad ipſum detulerant, ſolvit: ergo ea quam Semipelagiani in eo reprehendebant de prædeſtinatione, erat vera Auguſtini doctrina.

Nunc probanda eſt minor. Doctrina prædeſtinationis, quam in Auguſtino Semipelagiani reprehendebant erat illa, ex qua putabant, ſequi humanæ libertatis excidium, induci fatalem neceſſitatem, tolli omnem prorsùs induſtriam, homines in deſperationem trahi: ſic enim in Epiſt. ad Auguſt. Sanctus Proſper refert: *Multi ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi Urbe conſiſtunt in Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.* Et ne quis ambigat, an S. Proſper hìc loquatur de ſola electione ad gloriam, ſubdit: *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quod placuit Creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis adferre, eò quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi, neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere... removeri itaque induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem quandam induci neceſſitatem.*

Hæc adversùs Auguſtinianam prædeſtinationem opponebantur capita. Quòd aſſereret diſcretionem eligendorum, & rejiciendorum, quâ alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, factam eſſe ſecundum quòd placuit Creatori: cùmque Dei propoſitum ſit infruſtrabile inferebant, lapſis curam reſurgendi adimere, Sanctis occaſionem teporis adſerre, removeri induſtriam, tolli virtutes ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. Quoquo enim modo homines ſe egerint non poteſt aliud, quàm Deus definivit, accidere. Hæc certè non oppoſuiſſent contra prædeſtinationem, quæ nihil ſtatueret, niſi dependenter à præviſione meritorum, quæ quiſque facturus eſſet; ergo hæc opponebant, quia prædeſtinatio, quam Auguſtinus docebat erat independens, & antecedens præviſionem meritorum. Eò vel maximè, quia ſi hujuſmodi querelas ex prædeſtinatione dependente à meritis Semipelagiani intuliſſent; Auguſtinus eis reſpondens in libris de Prædeſtina-

natione Sanctorum, & de dono Perſeverantiæ, eos monuiſſet (quod Adverſarii facerent, imò vir maximè rudis facere poſſet) ſe non ponere prædeſtinationem, & diſcretionem eligendorum à rejiciendis, in propoſito, & placito Creatoris antecedente humanas voluntates, ſed eas ſubſequente, & ſupponente prævisa uniuſcujuſque merita: Quod tamen Auguſtinus non præſtitit. Imò *lib. de dono perſeverantiæ cap.* 15. eadem inconvenientia, quæ Semipelagiani inferebant contra prædeſtinationem ſecundum propoſitum, oſtendit inferri etiam ex prædeſtinatione ſecundùm præſcientiam. Cùm enim ſibi oppoſuiſſet Semipelagianorum querelam, reſpondet: *Iſta cum dicuntur, ita nos à confitenda vera Dei gratia, id eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitenda ſecundùm eam prædeſtinatione Sanctorum* (ecce Auguſtinum aſſerentem prædeſtinationem Sanctorum eſſe ſecundum gratiam, & non ſecundùm merita, eo modo, quo ipſa gratia) *deterrere non debent, ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, ut dicat*: ſive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni, ſi bonos, vel mali, ſi malos. *Nunquid enim, ſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemque vertantur.... propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe, quod dictum eſt?* hinc

Hoc idem manifeſtè oſtendo. Semipelagiani id non reprehendebant in Auguſtino, quod ipſi ultrò admittebant; ſed prædeſtinationem ad Gloriam dependenter à prævisione meritorum ipſi ultrò admittebant; ſic enim apud Proſperum *epiſt. ad Auguſt.* loquuntur: *Qui autem credituri ſunt, quia in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe prævidèrit.* Hoc idem aſſerebant apud Hilarium Epiſt. ad Auguſt. *Ceterum* (ajebant) *præſcientiam, & prædeſtinationem, vel propoſitum, ad id valere contendunt, ut eos præſcierit, vel prædeſtinaverit, vel propoſuerit eligere, qui in eum fuerant credituri.* Et inferiùs: *Unde illam præſcientiam ſic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi ſint præſciti: nec cuiquam talem dari perſeverantiam, à qua non permittatur prævaricari, ſed à qua poſſit ſuâ voluntate deficere, & infirmari.* Ex quibus apertè conſtat, controverſiam inter Semipelagianos, & Auguſtinum fuiſſe non de ſola prædeſtinatione ad gratiam, ſed etiam ad gloriam; & propterea ſicut illi utramque ex prævisione meritorum volebant, ità Auguſtinus utramque gratuitam ex adverſo ſtatuebat.

XXXII. Secundo probo, Prædeſtinationem ad Gloriam in ſententia Auguſtini eſſe gratuitam, ſic. Qui prædeſtinationem noſtram docuit factam eſſe ad ſimilitudinem prædeſtinationis Chriſti, docuit prædeſtinationem gratuitam, & prorſus independentem à meritis; ſed hoc docuit Auguſtinus; ergo &c. Min. prob. Lib. enim de Prædeſtin. SS. cap. 15. poſtquàm oſtendit, Chriſti prædeſtinationem exemplar eſſe noſtræ prædeſtinationis, ait: *Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hìc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam.* Porrò Chriſti Prædeſtinationem fuiſſe gratuitam ſuprà docuerat, dicens: *Reſpondeatur quæſo: ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem Perſonæ aſſumtus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præceſſit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

Scio reſponderi à Fraſſen, Chriſti Prædeſtinationem eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis ad gratiam, non verò ad gloriam. Sed contra: nam etſi Au-

Digitized by Google

Auguſtinus ibi loquatur etiam de noſtra prædeſtinatione ad gratiam, loquitur tamen quoque de prædeſtinatione ad gloriam: utriuſque enim prædeſtinatio Chriſti exemplar, & forma eſt. Nam ſicut in Chriſto, & per Chriſtum prædeſtinati ſumus ad gratiam, ita in ipſo, & per ipſum prædeſtinati ſumus ad gloriam, ad quam ſuis meritis nobis aperuit viam, ut docet D. Paulus ad Epheſ. 1. Ergo ſi noſtra prædeſtinatio ad gratiam, quia conformis prædeſtinationi Chriſti, non eſt ſecundùm merita; ſic nec ſecundùm merita erit noſtra prædeſtinatio ad gloriam: ſicut nec prædeſtinatio Chriſti ad gloriam animæ fuit ex meritis. Præterea: antea produxerat exemplum duorum parvulorum, quorum unus baptizatus, alius non baptizatus moritur. Ubi certè loquitur de prædeſtinatione ad gratiam, & gloriam unius, & rejectione à gratia, & gloria alterius. Cùm ergo ibi cap. 14. dicat, quod hæc *ſatis indicant* miſericordiam, & judicium: miſericordiam quidem gratuitam, judicium debitum; evidens eſt, Auguſtinum ſtatuere ex miſericordia, & gratuitam prædeſtinationem nedum ad gratiam, ſed & ad gloriam.

XXXIII. Porrò, ut appareat, quàm ſint à mente Auguſtini alieni, qui volunt, eum docuiſſe quidem gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, non tamen ad gloriam: præter dicta, voco ſtudioſum ad librum de corrept., & gratia cap. 7. Ubi ad illa verba Matth. 20.16. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*, ait: *ſed quoniam ſecundùm propoſitum vocati ſunt: profectò & electi ſunt per electionem, ut dictum eſt, gratię, non prȩcedentium meritorum ſuorum, quia gratia illis eſt omne meritum*. Deinde ad illa Pauli verba Rom. 8. v. 28. &c. Quos prædeſtinavit, illos & vocavit &c. *Ex illis* (inquit) *nullus perit, quia omnes electi. Electi ſunt autem, quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt: propoſitum autem, non ſuum, ſed Dei, de quo alibi dicit:* Ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante &c. *Rom. 9. v. 11.* Ut verò manifeſtum faceret, de qua electione loqueretur, poſt multa ait: *electi ſunt autem ad regnandum cum Chriſto*. Rurſus ad verba Domini Joann. 6. v. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* dicit: *illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium: illos ad obtinendum regnum ſuum, illum ad fundendum ſanguinem ſuum*.

Item *ibid. cap.* 8. quærens, cur Deus uni det perſeverantiam, & alteri non; cur ex duobus pueris unum ad baptiſmum trahit, & introducit in Regnum, etſi parentes ſint infideles, & impii; alterum verò ex fidelibus, piiſque parentibus ortum, ſine baptiſmo mori ſinat, & à Regno Cœlorum excludat. Cur illum de periculis hujus vitæ rapiat, ne malitia mutet intellectum ejus; alium verò non rapiat, & eum corrumpi ſinat, & damnari: Nihil reſpondet de præſcientia operum, ſive naturæ, ſive gratiæ, ſed fatetur ſe ignorare ejuſmodi diverſitatis cauſam, exclamans: *O altitudo divitiarum &c.* Rurſus ibid. cap. 9. ad illa Chriſti verba, *ut omne, quod dediſti mihi, non pereat*, ait: *Hi ergo Chriſto intelliguntur dati, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus perit*. Unde patet, quòd qui dicunt, omnes juſtificatos poſſe dici datos Chriſto à Patre, eſto finaliter perſeveraturi non ſint, loquuntur contrà Auguſtinum, imò contrà Script. Jo. 6. v. 39. *Hęc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo*.

Tandem cap. 13. ibid. Loquens de numero prædeſtinatorum: *Numerus ergo* (inquit) *Sanctorum per gratiam Dei Regno prędeſtinatus, donatâ ſibi etiam uſque in finem perſeverantiâ, illuc integer perducetur*.

XXXIV. Probo tertiò principale

 aſ-

Digitized by Google

aſſumtum. Qui admittit intentionem efficacem in Deo conferendi aliquibus gloriam, & hanc docet eſſe cauſam, quare ſic electis dentur gratia, cætera dona, & merita, quibus eam comparare poſſint, docet prædeſtinationem, ſeu electionem ad gloriam, eſſe ante præviſa merita, & conſequenter gratuitam; quia nullus effectus poteſt prævideri futurus ante ſuam cauſam: ſed Auguſtinus id docuit; ergo docuit prædeſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam.

Min. prob. 1. ex *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 10. ubi cùm dixiſſet, Deum in prædeſtinandis hominibus ad gloriam ſe gerere ſicut ſe gerit in prædeſtinandis hominibus ad regnum terrenum; & ſi quibuſdam non placeret iſta ſimilitudo, aſſerentibus non benè duci ſimilitudinem à regno terreno ad Regnum Cæleſte: Quare diſplicuit iſta ſimilitudo? ait S. Doctor. *An fortè quia oſtendimus Deum egiſſe in cordibus hominum, & ad hoc perduxiſſe, quorum ei placuit voluntates, ut Rex conſtitueretur Saul, ſive David; ideò hæc exempla cauſa huic convenire non putant, quoniam non hoc eſt temporaliter regnare in hoc ſeculo, quod eſt in æternum regnare cum Deo; ac per hoc exiſtimant ad regna terrena facienda Deum inclinare: ad regnum verò Cæleſte obtinendum Deum non inclinare, quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum Cœlorum, non propter regnum terrenum eſſe dictum:* Inclina cor meum in teſtimonia tua. *Vel* à Domino greſſus hominis dirigetur, & viam ejus volet &c. pluribuſque aliis ſcripturarum adductis teſtimoniis, Deum his, quos voluit, ad Regnum Cæleſte parare media, eorum corda, greſſus, voluntates inclinare probantibus, concludit: *Audiant hæc, & alia quæcumque non dixi, quibus oſtenditur Deus ad Regnum etiam Cœlorum, & ad vitam æternam parare, & convertere hominum voluntates. Cogitate autem, quale ſit, ut credamus, ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum; & ad capeſſendum Regnum Cœlorum homines operari voluntates ſuas.*

Secundò probatur eadem min. *ex lib. de corrept. & gratia cap.* 7. ubi poſtquam oſtendit, quòd qui Evangelium non audierunt, vel eo audito perſeverantiam non acceperunt; & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, & ſine baptiſmo mortui ſunt, ſi omnes non ſunt à maſſa perditionis diſcreti ait: *diſcernuntur autem non meritis ſuis, ſed per gratiam Mediatoris.* Ex quo B. Cyprianus ad Quirinum ſcribens, inquit: *In nullo eſſe gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Exponens deinde, quid faciat Deus in iis, quos per gratiam Salvatoris ab illa maſſa perditionis diſcrevit, ait: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt; & in fide, quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverant; & ſi quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerunt redeunt; & nonnulli acceptâ gratia in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ...... non præcedentium meritorum ſuorum, quia gratia* (electionis) *eſt illis omne meritum.* Non ergo in ſententia S. Auguſtini Deus prius eligit ad gratiam, & ex præviſione boni uſus eligit ad gloriam: ſed prius gratuitò quos vult diſcernit, & per gratiam Jeſu Chriſti eligit ad gloriam: ex hac electione gratiæ fit, ut Evangelium audiant, baptizentur, credant, emendentur, perſeverent, ſalventur.

Tertiò prob. min. ex *Epiſt.* 194. (*aliàs* 105.) *ad Sixtum cap.* 7. ubi contendit, intentionem efficacem dandi aliquibus parvulis gloriam, eſſe unicam cau-

cauſam, quare his baptiſma paulò ante mortem conferatur, dum alii ſine baptiſmo mori ſinuntur. *Quam quæſo* (inquit) *allaturi ſunt cauſam, quòd alius ſic gubernetur, ut baptizatus hinc exeat; alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priùſquàm ab eis baptizandus offeratur exſpirat?* Inde præcluſis quæ ab adverſariis afferri poſſent, concludit, non aliam aſſignari poſſe, quàm inſcrutabilia Dei Judicia, dicens: *Nimiæ vanitatis, & cæcitatis ſunt, ſi etiam his conſideratis nondum dignantur exclamare nobiſcum*: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quàm inſcrutabilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! *Non itaque miſericordiæ gratuitæ Dei pertinaciſſimâ adverſentur inſaniâ.* Nomine autem Judiciorum Dei non aliud intelligere, quàm efficacem electionem ad gloriam Auguſtinus ipſe teſtatur lib. 4. *contra Julian. cap.* 8. ubi hanc eandem cauſam pertractans: *Novit* (inquit) *Dominus qui ſunt ejus, & in eorum ſalute, atque in ſuum regnum introductione certa eſt voluntas ejus.* Cùm autem Epiſt. citatâ exemplo parvulorum allato utatur ad explicandum cur Jacob fuerit dilectus, & Eſau odio habitus: manifeſtum eſt Auguſtinum velle eamdem cauſam eſſe prædeſtinationis adultorum & parvulorum; ac proinde ſicut iſta gratuita eſt, ita & illa.

Quartò prob. min. Eidem voluntati efficaci dandi gloriam tribuit Auguſtinus omnia adultorum merita. Fidem quæ totius meriti initium eſt prædeſtinationi ad gloriam adſcribit, dicens *Epiſt.* 217. *olim* 107. *ad Vitalem cap.* 7. *Non enim apud omnes, etiam vobis orantibus, glorificabitur Verbum Dei. Quia ipſi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædeſtinati in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, & electi in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Eidem intentioni efficaci dandi, vel non dandi gloriam adſcribit, cur aliquibus detur pœnitentiæ donum, aliis non detur. Ait enim *lib. de Corrept. & gratia cap.* 14. Omnes homines corrigi debere, quando peccant, etiamſi emendatio incerta ſit: *ut ſi is qui corripitur ad prædeſtinatorum numerum pertinet, ſit ei correptio ſalubre medicamentum; ſi autem non pertinet, ſit ei correptio pœnale tormentum.* Ad idem reducit, quare uni detur perſeverantia, alteri non, eodem *lib. de corrept. & gratia cap.* 9. dicens: *Nec nos moveat, quod filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam. Abſit enim ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundùm propoſitum vocatis, qui verè ſunt filii promiſſionis.* Et poſt multa: *Fuerunt ergo iſti ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt. Non igitur filiis ſuis prædeſtinatis Deus perſeverantiam non dedit; haberent enim eam, ſi in eo filiorum numero eſſent .... ac per hoc tales filii Filio Chriſto dati eſſent: quemadmodum ipſe dicit ad Patrem*, ut omne, quod dediſti mihi, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Hi ergo Chriſto intelliguntur dati, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam ſic eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Ex his omnibus tale argumentum conficio. Quod eſt cauſa, cur dentur ſeu præparentur media efficacia, nempe merita, quibus gloria comparetur, non poteſt pendere à meritis, nec ea adhuc præviſa ſupponere; neque enim cauſa ſupponere poteſt futurum, quod ipſa facit eſſe futurum: Atqui prædeſtinatio, ſeu electio, vel ordinatio ad vitam æternam ex Auguſtino eſt cauſa, ut aliquibus dentur media efficacia ad vitam æternam; ideò enim parvulo ſtatim morituro datur baptiſmus, ideò adulto datur, ut credat, ut pœnitentiam agat, ut perſeveret uſque in finem: *quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo*

Digitized by Google

& ideo Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam ęternam : Ergo evidens eſt, meo videri, ſecundùm Auguſtinum, prædeſtinationem ad gloriam merita antecedere, non ſubſequi. Quare de dono Perſever. cap. 14. non timet aſſerere, quod non profuit Tyriis poſſe credere, quia non erant prædeſtinati : nec obfuiſſet Judæis non poſſe credere ſi fuiſſent prædeſtinati : *Sed nec illis profuit* (Tyriis) *quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cujus ſunt inſerutabilia judicia, & inveſtigabiles vię : nec iſtis* (Judæis) *obfuiſſet, quod non poterant credere, ſi ita prędeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre &c.*

XXXV. Hujuſce ſuæ ſententiæ fuiſſe Patres Auguſtino antiquiores Cyprianum, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, ipſemet teſtatur, eorumque dicta affert *lib. de prædeſt. SS. cap.* 18. *&* 19.

Proſperum etiam, & Fulgentium eandem cum Auguſtino de prædeſtinatione ſecundùm propoſitum Dei, & non ſecundùm merita ſententiam docuiſſe, liquet ex eorum ſcriptis.

Proſperi quidem, tum epiſt. ad Ruffinum cap. 11. ubi ait : *Certus apud Deum definituſque eſt numerus prędeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundùm propoſitum Dei vocantis electi.* Deinde procedens ad examinandam cauſam, quare aliqui eligantur ad regnum, alii rejiciantur, ſive ex majoribus natu, ſive ex parvulis, ad ſolam Dei gratuitam voluntatem confugiens : *Etſi* (inquit) *majoribus natu* (*quod non rectè dicitur*) *mala opera, quæ libero arbitrio commiſerant obfuerunt ; quaſi boni, non mali gratiâ liberentur : inter ſalvatos parvulos, & non ſalvatos parvulos, quę meritorum potuit eſſe diſcretio ? quid iſtos introduxit in Regnum Dei ? quid iſtos excluſit à Dei Regno ? Equidem ſi meritum conſideres, non una pars ſalvari meruit ; ſed utraque damnari : quia omnibus in Adæ prævaricatione proſtratis, niſi quoſdam adſumeret miſericors gratia, maneret ſuper univerſos inculpata juſtitia. Quę autem ſit diſcretionis iſtius in ſecreto conſilio Dei cauſa, vel ratio, & ſupra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & ſine fidei diminutione neſcitur.* Videri poteſt inſuper *Carmine de Ingratis cap.* 18. *&* 35 ubi ait :

Cur verò humani generis de germine toto
Pars quædam in Chriſto rurſum generanda legatur,
Pars pereat, cùm cauſa eadem ſimul implicet omnes,
Nec diſcernantur merito qui munere diſtant ;
Non ſatis audemus ſcrutari....

Deinde oſtendit, non obeſſe fidei hæc neſcire ; ſicut non obeſt neſcire, quando mundus finietur, cur ex hominibus ejuſdem naturæ unus tamen aſſumatur ad regnum, alter in ſervitute relinquatur, unus ingenio potens, alter infirmus, unus calidi, alius frigidi temperamenti &c. cùm tamen nemo Deum auctorem arguat : Ita nec obeſt neſcire cauſam, quarè Deus unum vocet, alium non. Unde concludit.

Audeat amens
Impietas tumido arbitrio ſubnectere cauſas
Divinorum operum : nos cum manifeſta videmus
Dona Dei, quorum eſt fons unus, ſumma voluntas
Cum Paulo tremuiſſe juvat, ſtupidumque modeſtè
Invictum ad ſolium Chriſti ſuſpendere nutum,
Cujus judicium ſic inſerutabile, & altum
Dicimus, ut verax prorſus fateamur, & ęquum.
Nam meritum ad mortem ſubeundam ſufficit unum :
Ad vitam, niſi quod donavit gratia, nullum.

XXXVI. Fulgentii verò hæc ſunt. *Lib. de Fide ad Petrum* cap. 3. *Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuitâ boni-*

bonitate ſuâ prædeſtinavit ad Regnum. Et lib. 1. de verit. Prædeſtin. *Ab illa igitur maſſa damnata nemo futurorum præſcientiâ operum diſcernitur, ſed miſerantis figuli ope, atque opere ſegregatur*. Et poſtea: *Hac miſericordiâ præventus Jacob, non ſecundùm meritum præteriti, vel futuri cujuſquam humani operis, ſed ſecundùm propoſitum Dei prædeſtinantis priuſquam naſceretur electus eſt*. Et infra: *Sola quem voluit à maſſa damnationis gratia divina diſcrevit: cui patrocinata eſt gratuitorum prædeſtinatio munerum, non futurorum præſcientia meritorum. Sic enim ſecundùm electionem propoſitum manſit, ut ex propoſito Dei gratuita foret electio*. Ex quibus colligo, mentem Fulgentii eſſe, Deum priùs à maſſa perditionis gratis eripere, deinde hanc electionem ſequi gratuitorum prædeſtinationem munerum, nempe, gratiæ & meritorum. Poſt multa autem tranſiens ad exemplum duorum parvulorum: *Ubi autem* (inquit) *duorum prorsùs æqualis eſt cauſa, non utique poſſunt merita pronunciari diſparia. Nulla igitur eſt cauſa diverſitas in infantibus, quæ faciat unum eligi, alterum reprobari. Si verò parentum conſideretur voluntas, illi qui Chriſtiani ſunt, ut eorum filius baptizaretur ſolicitè voluerunt, inſtantiſſimè curaverunt; quorum tamen filius antequam baptizaretur, morte præventus, æternis eſt ignibus deputatus. Ille verò qui de Infidelibus natus eſt, contra voluntatem parentum perductus ad gratiam baptiſmi, factus eſt hæres Dei, & cohæres Chriſti. Quid in his prævidit Dominus futurum, ut uni nihil conferre poſſet caritas parentalis, & alteri multum crudelitas prodeſſet hoſtilis?* (Quæ ſcilicet violentiâ aut furto puerum à parentibus infidelibus eripuit) *Quis iſtam profunditatem myſteriorum Dei penetrare valeat? Quis non tamen hîc, & miſericordiam gratuitæ bonitatis, & juſtitiam divinæ ſeveritatis agnoſcit?*

XXXVII. Patribus adjungo S. Thomam, qui paſſim docet, Prædeſtinationem ad Gloriam non ſupponere prævisionem meritorum. Tùm *qu. 6. de verit. art. 2.* ubi quærit an præſcientia meritorum ſit cauſa Prædeſtinationis, & reſpondet negativè. Tum in *3. contragentes cap ultimo*. Tùm *in cap. 9. ad Roman. lect 2. & 3.* & *in cap. 1. ad Epheſ. lect 4.* Maximè tamen hac *qu. 23. tàm art. 4. quàm 5.* cujus rationibus probabimus noſtrum aſſertum. Addi poſſent Doctores ſcholaſtici, Scotus, & Scotiſtarum plurimi: quin ex Societate Celeberrimi, Academiæ, quæ noſtram ſententiam amplectuntur: quæ omnia videnda relinquo apud Sylvium in *1. part. qu. 23. art. 5.* Sed jam ad rationem accedamus.

§. VIII.

Rationes pro Prædeſtinatione gratuita.

XXXVIII. Probatur primò à paritate ſuperiùs & ſæpè allata de parvulis. Eodem enim modo diſcurrendum eſt de Prædeſtinatione adultorum, ſive eorum, qui ad ætatem adultam ſunt perducendi, ac de prædeſtinatione parvulorum, qui ante ætatem adultam ſunt morituri: ſed hi prædeſtinantur unicè ex gratuita Dei voluntate, non autem ex prævisis meritis, quæ comparaſſent ſi ad adultam ætatem perveniſſent, ut volebant Semipelagiani, & ſuperiùs cum Auguſtino improbavimus; ergo &c. Maior patet ex Auguſtino, Proſpero, & Hilario, hoc exemplo Semipelagianos urgentibus; qui neſcientes invenire diſcrimen, dicebant etiam parvulos prædeſtinari ex prævisione operum, quæ feciſſent, ſi ad adultam ætatem perveniſſent.

XXXIX. Reſpondet Fraſſen *tract. 2. diſp. 3. art. 2. ſect. 2. qu. 3. de cauſ. Prædeſt.* Aliquos parvulos rapi ſtatim poſt baptiſmum, alios, paulò ante ſuſceptionem baptiſmi, etiam adhibitâ omni diligentiâ, ut procuraretur eis baptiſmus, non provenire ex electione ad gloriam, aut reprobatione,

ne, quæ omnem futurorum prævisionem antecedat; ſed accidere poſſe, vel propter negligentiam, aut malitiam parentum; vel propter rerum ordinem, quia nimirùm parvulus ille naturaliter erat moriturus, quem rerum ordinem Deus invertere non tenetur; ſicut nec tenetur impedire, quin monſtra naſcantur, vel quin ſequatur mors illius adulti, qui ſtatim poſt mortale peccatum incidit in amentiam, aut lethargum, vel apoplexiam. Quod ſi aliquando hunc naturalem curſum immutat, hoc eſt ob prævisas piorum, & maximè parentum preces.

XL. Contrà ſic. Igitur nihil mirabile videt Fraſſen in hoc, quod ex duobus pueris ſtatim morituris, unus ad baptiſmum rapiatur, alter non, etiam adhibitâ omni diligentiâ; & quod natus ex fidelibus ſummoperè procurantibus, ut baptizetur, moriatur ante baptiſmum, natus autem ex Infidelibus, furto aut violentiâ rapiatur, baptizetur, & ſtatim moriatur. In his nullum ſignum, ſeu effectum prædeſtinationis unius, & reprobationis alterius, ſed purum naturæ curſum, quem Deus noluit impedire, agnoſcit Fraſſen. At non ita ſenſerunt Auguſtinus, Proſper, Fulgentius relati; ne dicam Paulus ipſe, qui in ſimilibus caſibus inſcrutabilia judicia Dei volentis unum liberare, alterum in damnatione communi relinquere venerantur, & admirantur, ut ſuperiùs oſtendimus.

XLI. Rurſus. Nec propter negligentiam, aut malitiam, nec propter rerum ordinem contingere quod unus moriatur ſine baptiſmo, ſicut neque ex parentum merito, ac precibus, quòd alter parvulus baptizetur, oſtendit S. Auguſtinus lib. 2. *contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 6.* ubi cùm Pelagiani tribuerent merito parentum, quod filius baptizaretur ante mortem, & Fato (nimirùm naturali curſu rerum) ſic petente, alter non baptizaretur, ſic contra eos diſcurrit: *Dicite ergo nobis: quicumque baptizati in Chriſto parvuli de corpore exierunt, hoc tam ſublime donum, quibus meritis acceperunt? Si dixeritis, hoc eos parentum pietate meruiſſe: Reſpondebitur vobis; cur aliquando piorum filiis negatur hoc bonum, & filiis tribuitur impiorum? Nonnunquam enim de religioſis orta proles in tenera ætate, atque ab utero recentiſſimâ prævenitur morte, antequam lavacro regenerationis abluatur; & infans natus ex inimicis Chriſti, miſericordiâ Chriſtianorum baptizatur in Chriſto: plangit baptizata mater non baptizatum proprium; & ab impudica expoſitum, baptizandum caſta fatum colligit alienum. Hic certè merita parentum vacant.... Quæ igitur cauſa huic parvulo baptiſmum procuravit, huic negavit? An ipſi fatum habent, quia meritum non habent? an in his eſt acceptio à Domino perſonarum? Nam utrumque dixiſtis, priùs fatum, acceptionem poſtea perſonarum &c.*

XLII. Præterea. Cur Deus in aliquibus permittit curſum naturæ peragi, in aliis non: cur duobus ſtatim morituris, ſecundùm naturalem curſum, uni adeſt qui eum baptizet, etſi ex parentibus impiis nato, alteri deeſt, quamvis parentes pii hoc optarent? non alia certè cauſa à vero Chriſtiano adduci poterit, niſi quia illum ad ſalutem providentiâ ſpeciali ordinaverat, iſtum verò non. Quare D. Auguſtinus *lib. 4. contra Julian. cap. 8.* qui dicebat Deum velle omnes homines ſalvos fieri, ſed ideò non venire, quia ipſi nolunt, ſic arguit: *Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; ſed ideò non veniunt, quia ipſi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa eſt agnitio veritatis? Nunquid aut homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, omnes homines? Aut aliquis poteſt dicere, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt?* & poſt multa concludit: *Novit dominus, qui ſunt ejus: & in eorum ſalute, atque in ſuum regnum introductione certa*

eſt

eſt voluntas ejus. Ex voluntate ergo Dei aliquos ſalvandi, vel non ſalvandi oritur, quòd parvulorum aliqui baptizentur, aliqui non. Cumque idem, quod de parvulis, Auguſtinus dicat de adultis; imò parvulos trahat in exemplum, ſequitur, quòd, ſicut parvulorum prædeſtinatio abſque ulla prævi ſione meritorum, ſed unicè à Dei voluntate eſt, ſic & prædeſtinatio adultorum.

Hinc citato lib. & capite ſic Auguſtinus proſequitur: *Ubi ſi dixeris: Cur ergo non convertit omnium nolentium voluntates? Reſpondebo: cur non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, & ideò nec contrarias invenit voluntates? Si hoc profundius eſſe perſpicis, quàm ut abs te valeat inveniri: utrumque utrique noſtrum profundum ſit, cur & in majoribus, & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri ſubvenire: dùm tamen certum & immobile teneamus, non eſſe iniquitatem apud Deum, quâ quemquam ſine malis meritis damnet, & eſſe bonitatem apud Deum, quâ multos ſine bonis meritis liberet: demonſtrans, in eis quos damnat, quid omnibus debeatur; ut hinc diſcant, quos liberat, quæ ſibi pœna debita relaxetur, & quæ indebitâ gratiâ condonetur.*

XLIII. Ex his ſecundam rationem conficio. Deus multos minus malos, ſi bona naturalia, & moralia ſpectemus, quales inter Ethnicos fuerunt plurimi, in ſuâ infidelitate reliquit, ac reprobavit: pejores autem quoſdam, blaſphemos, & perſecutores (inter quos Saulus) & alios multis criminibus obnoxios, elegit; ergo electio eſt ſine meritis. Hoc utitur argumento S. Auguſt. *lib.* 1. *de peccat. merit. & remiſs. cap.* 22. ubi ſimilibus enarratis caſibus concludit. *Quid hinc reſpondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis juſtitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt.* Huc etiam pertinet, quod ait idem Auguſt. de *prædeſt. SS. cap.* 14. ubi quærens, cur Deus Juſtum, quem prævidit caſurum ſi diutiùs viveret, morte periculis hujus vitæ præripiat; cur autem hîc tenuerit alium juſtum, quem præviderat caſurum, & quem priuſquàm caderet hinc poſſet auferre, reſpondet: *Juſtiſſima omnino, ſed inſcrutabilia ſunt judicia ejus*. Et *Epiſt.* 197. *aliàs* 105. ad Sixtum: *Cur* (inquit) *illum potiùs, quàm illum liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium*. Si autem hoc ex prævi ſione bonorum, vel malorum contingeret, ſaltem in generali hujus ratio reddi poſſet.

XLIV. Confirmatur hoc. Prævidit Deus, quòd ſi miſiſſet Ezechielem ad populum ignotæ linguæ, iſte credidiſſet Ezech. 3. v. 5. 6. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris &c. & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te*, & tamen ad iſtos non miſit Ezechielem, ſed ad Domos Iſrael, quas præviderat non credituras. Unde ſubdit v. 7. *Domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me*. Rurſus. Prævidit Deus, quòd ſi Chriſtus prædicaſſet, & feciſſet ſigna in Tyro, & Sidone, quæ fecit apud Judæos, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. *Matth.* 11. *v.* 21. & tamen Chriſtum ad Tyrios, & Sidonios non miſit, ſed ad Judæos, quos præviderat, etiam audito Chriſto, & viſis prodigiis, non fore credituros. Ergo in electione ad gloriam, & ſalutem non movetur Deus à meritis, etiam ſub conditione prævisis.

XLV. Reſpondebitur fortè, prævisis meritis ſub conditione futuris, adhuc liberum Deo ponere, vel non ponere conditionem, & ſic prædeſtinare, vel reprobare eum, quem benè uſurum prævidit? Optime quidem. Sed quid ergo juvat prædeſtinationem iſta prævisiò meritorum? ergo prædeſtinatio ſeu electio efficax ad gloriam ex Dei mera voluntate eſt, & proinde gratuita.

Quare ſic diſcurro. Ponamus duos, quos

quos Deus præviderit benè uſuros ſuâ gratiâ, & in ea perſeveraturos ſi in talibus, vel talibus circumſtantiis ponantur, & conſequenter ſalutem æternam conſecuturos. Peto: tenetur ne Deus ponere, vel ſaltem infallibiliter ponet utrumque in illis circumſtantiis, quas prævidit illis fore propitias? ſi affirment, quod non credo, contra illos clamabunt exempla adducta. Et præterea, non à voluntate Dei, ſed hominis eſſet diſcretio; homo eſſet cauſa ſuæ prædeſtinationis, non Deus, ac poſſet juſtè inflari, & gloriari, ſe ſuo bono uſu gratiæ vitam æternam præ alio conſecutum fuiſſe, ac Deum ſibi fuiſſe debitorem. Si negant, & dicunt, poſſe Deum, adhuc ſtante prævisione boni uſus in utroque, neutrum ponere in circumſtantiis prævisis propitiis, & ſic neutrum prædeſtinare; vel in eis unum ponere, & non alterum, & ſic unum prædeſtinare, alterum reprobare; ergo prædeſtinare, aut non prædeſtinare unicè pendet ex divina voluntate, cui placuit erga unum facere miſericordiam, & non erga alterum; ergo diſcretio prædeſtinati à non prædeſtinato, in quo prædeſtinatio conſiſtit, quâ certiſſimè liberantur quicumque liberantur, prorſus gratuita eſt; ergo velint, nolint adverſarii, etiam poſitâ ſuâ prævisione meritorum, fateri debent, prædeſtinationem eſſe gratuitam.

XLVI. Tertiò probatur. Quidquid eſt gratiæ in prædeſtinato eſt effectus prædeſtinationis ejus, comprehenditur enim ſub prædeſtinatione tanquam ſub cauſa; ideò enim Deus prædeſtinato dat gratiam, quia ipſum dilexit ad gloriam. Nam ut docet D. Thomas hâc qu. 23. art. 4. *Voluntas Dei quâ vult bonum alicui diligendo eſt cauſa, quòd illud bonum ab eo præ aliis habeatur.* Ergo & quidquid eſt à gratia erit effectus prædeſtinationis: ſed merita, & bonus uſus gratiæ, & ea quæ per gratiam fiunt, ſunt à gratia, ut effectus ejus: non enim diſtinguitur id, quod eſt à gratia, & id quod eſt à libero arbitrio, ſicut nec id, quod eſt à cauſa ſecunda diſtinctum eſt ab eo, quod eſt à cauſa prima: quia nec illud agit niſi virtute gratiæ, nec iſta proportionaliter niſi virtute cauſæ primæ; ergo nec bonus uſus gratiæ, & conſequenter nec merita poſſunt prævideri ante prædeſtinationem, & eſſe ratio, cur homo à Deo prædeſtinetur.

Hac ratione utitur S. Thomas hâc qu. 23. art. 5. ubi ait: *fuerunt alii, qui dixerunt ..... quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinavit ſe daturum, quia præſcivit, eum benè uſurum gratiâ, ſicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit, eo benè uſurum.* Quam opinionem rejicit ratione allata. Quam etiam refert & rejicit in cap. 8. ad Rom. lect. 6. his verbis: *Dicunt quidam, quod præſcientia meritorum bonorum, & malorum eſt ratio prædeſtinationis, & reprobationis, ut ſcilicet intelligatur, quod Deus prædeſtinet aliquos, quia præſcit eos benè operaturos, & in Chriſtum credituros, & ſecundùm hoc littera ſic legitur:* Quos præſcivit conformes fieri imaginis Filii ſui, hos prædeſtinavit. *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, ſi prędeſtinatio reſpiceret tantùm vitam ęternam, quę datur meritis: ſed ſub prædeſtinatione cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab ęterno divinitus pręparatum. Unde eâdem ratione omnia beneficia, quę nobis confert ex tempore pręparavit ab ęterno. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte noſtra præſupponatur, cujus præſcientia ſit ratio prędeſtinationis, nihil eſt aliud, quàm gratiam ponere dari ex meritis noſtris. .. Unde convenientiùs ſic ordinatur littera.* Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit fieri conformes imaginis Filii ſui. *Ut iſta conformitas non ſit ratio prędeſtinationis, ſed terminus, vel effectus.*

XLVII. Quartò. Probatur ratione communi, quæ eſt D. Thomæ 1. *part. qu.* 23. *art.* 5. aliiſque in locis, & Scoti in 1. *diſt.* 41. *nu.* 11. Qui ordina-

Google

dinatè vult, priùs vult finem, quàm media; ſed gloria eſt finis, & merita ſunt media ad illam: ergo Deus qui ordinatè vult, priùs vult gloriam, quàm merita, & conſequenter antequam illa prævideat ut futura, quia non videt ea futura, niſi ea velit. Maj. prob. quia finis volitus eſt cauſa ut eligantur media, ſicut principia cognita ſunt cauſa, cur cognoſcatur concluſio; Unde Medicus ex voluntate ſanandi infirmum movetur ad ei propinanda remedia; & infirmus ex amore ſanitatis movetur ad ſumendum remedium ſibi à Medico propinatum. Minorem omnes Adverſarii admittunt, uno Gregorio à Sebenico excepto Carmel. in ſuo libello *Nova concordia prædeſtinationis cum libertate humana* inter libros proſcriptos amandato; qui aſſerit, gloriam eſſe quidem finem reſpectu hominis, qui propter gloriam acquirendam in præmium ponit merita, non tamen eſſe finem reſpectu Dei, qui potiùs quia vult in illis bona opera proponit eis gloriam ut præmium. Sicut reſpectu Operariorum in Vinea finis quidem eſt denarius, propter quem ut mercedem in Vinea operantur, ſed non reſpectu Domini Vineæ, qui potiùs pro fine habet culturam vineæ, & propter hanc proponit Operariis denarium.

Sed adversùs hanc ſingularem & contrariam omnium Doctorum menti expoſitionem clamant etiam Scripturæ, in quibus vita æterna proponitur tanquam finis, ob quem Deus hominem creavit, creatum redemit, ob quem ipſum vocat, juſtificat. Divus Paulus Rom. 5. ubi exponit finem, ob quem Chriſtus mortuus eſt v. 21. ait: *ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam*. Ibid. cap. 8. oſtendit, Deum homines prædeſtinaſſe, ut eos vocaret, vocaſſe, ut juſtificaret, juſtificaſſe, ut glorificaret v. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit:* quibus finem Dei proximum quidem in toto ordine prædeſtinationis fuiſſe hominis glorificationem apertè oſtendit, ultimum verò ſuæ bonitatis oſtenſionem. Unde ibid. cap. 9. v. 23. *Ut oſtenderet* (inquit) *divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Non ergo Deus elegit gloriam dare ut medium, & bona opera ut finem, ſed ad bona opera hominem prædeſtinavit, ut per ea illum ad gloriam perduceret. Nec ſe habet gloria reſpectu Dei ut denarius reſpectu Domini Vineæ, ſed potiùs ut rollectio frugum ex cultura proveniens, quamvis ſine labore non exerceatur, nec labor ſine mercede. Sic Gloria quamvis non reddenda ſine meritis, & niſi ut præmium meritorum, non fuit tamen primò volita ut præmium, ſed ut ex glorificatione hominum per merita implendâ divitias ſuæ bonitatis oſtenderet; ſicut qui eligeret aliquem ad regnum, quamvis illud non eſſet obtinendum niſi labore, nemo diceret, laborem eſſe finem eligentis, regnum autem eſſe medium. Gloria autem regnum in Sacris Litteris nuncupatur. Sed hæc ſatis.

XLVIII. Huic rationi variè reſpondent Adverſarii. Primò dicunt, eam nimis probare: nempe quòd cùm Deus ſemper ordinatè velit, ut nihil inordinatè poſſit velle, non poſſet nec de potentia abſoluta velle priùs merita, quàm gloriam, quod eſt abſurdum. Ita Fraſſen.

Reſpondeo, quòd cùm voluntas efficax mediorum efficacium ad finem eſſentialiter pendeat à voluntate finis, ſicut cognitio concluſionis ut talis à cognitione principiorum; ſicut non poteſt nec à Deo eſſe cognita concluſio ut talis, niſi ex principio cognito; ita nec medium efficax efficaciter poteſt eſſe volitum à Deo, ut medium, niſi ex fine jam volito: Cum ergo hoc modo velit gratiam & merita iis, quos prædeſtinat, & quibus efficaciter vult gloriam; ideò ſic vult merita propter gloriam volitam, ut aliter non poſſit ea velle.

XLIX. Reſpondent ſecundò, ſatis eſſe, ut voluntas efficax mediorum ſupponat voluntatem inefficacem finis. Quare benè potuit Deus ante præviſionem meritorum velle inefficaciter dare gloriam, deinde aliâ voluntate dependenter à meritis præviſis velle efficaciter eam dare.

Sed contrà. Cùm electio mediorum debeat procedere ab intentione finis; ſicut ab intentione efficaci non poteſt procedere electio inefficax, ita ab intentione inefficaci electio efficax. Addo, quòd cum electio in practicis ſit ſicut concluſio in ſpeculabilibus, ſicut non poteſt eſſe major certitudo in aſſenſu concluſionis, quàm in aſſenſu principiorum: ita nec poteſt eſſe major efficacia in electione mediorum, quàm in intentione finis.

L. Dicunt propterea alii tertiò, majorem illam eſſe veram de eo, qui vult abſolutè media, non autem de eo, qui vult ea ſolùm conditionatè. Sic autem Deus vult fidem, perſeverantiam &c. nimirùm conditionatè, ſi creatura velit gratiæ ſuæ cooperari.

Sed contra. Hæc reſponſio locum non habet in parvulis, qui paulò poſt baptiſmum moriuntur: in his enim locum non habet præviſio, aut volitio mediorum ſub conditione cooperationis; ergo ſaltem parvulis voluit Deus priùs gloriam, & ex tali voluntate elegit eorum mortem ſtatim poſt baptiſmum. Sed ut ſuperius oſtendimus ex Auguſtino, Proſpero, & Fulgentio, eodem modo diſcurrendum eſt in negotio prædeſtinationis de adultis, ac de parvulis; ergo &c.

Secundò illa media, ut à Deo volita, vel ſunt abſolutè efficacia ad gloriam, vel non; ſed ſolum efficaciam abſolutam habent à cooperatione creaturæ. Si primum; ergo ſupponunt voluntatem efficacem dandi gloriam, & ab ea proveniunt. Si verò ſecundum; videtur totaliter deſtrui prędeſtinatio, & incidi in ſententiam Semipelagianorum, ac Deum imprudentem facere, ſeu ignorantem. Prima pars prob. Ratio enim prædeſtinationis ſecundùm Auguſtinum eſt, quod ſit præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, & proinde mediorum abſolutè efficacium. Pro ſecunda parte prob. nam ſequitur, quòd, ſi ut volita à Deo non ſint efficacia, media ut efficacia ad aſſecutionem gloriæ non ſint dona Dei, quod erat Semipelagianorum error. Hinc fruſtra orando peteremus à Deo media ad ſalutem noſtram, ſi quatenus efficacia ſunt, ab ipſo non veniunt, ſed à nobis. *Cur* (inquit S. Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 2.) *perſeverantia iſta poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? An & iſta irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quod ſcitur, non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate; ſicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit?* Tertia quoque pars probatur. Nam Deus illa media efficacia, quæ ipſe efficacia non fecit, vel ſcivit eſſe efficacia, vel non ſcivit. Si non; ergo fuit ignorans: ſi ſcivit, & eorum efficaciam non intendit; ergo præter eius intentionem efficacia ſunt. Ubi eſt ergo Dei Providentia?

LI. Dicunt quartò. Maj. eſſe veram de mediis phyſicis, ſecùs de mediis ſolùm moralibus, qualia ſunt merita. Hæc enim cum habeant movere præmiantem ad volendum efficaciter finem, nempe præmium, debent eſſe prius cognita, & volita, quam ſit volitus finis, ac præmium.

Sed contra. Medium ſive phyſicum ſit, ſive morale, ſi ametur ut medium, amari debet ex amore finis prius amati; nam etiam concio, ſive monitio medium morale eſt ad converſionem hominis, & tamen non poſſum ego eligere concionem, aut monitionem, ut medium ad converſionem hominis, niſi ex deſiderio converſionis illius.

Dices (& eſt quinta & principalis reſponſio) quòd hoc verum eſt de electione medii moralis abſoluta, non au-

Digitized by Google

autem de electione conditionata: Cum enim converſio Petri ſit ponenda, non à me, ſed à Petro, qui poteſt, eam adhuc ſtante concione, vel monitione ponere, vel non ponere, ideò ne cæco, ac fruſtratorio modo procedam, debeo priùs videre, an poſitâ concione, vel monitione Petrus ſit convertendus: & ſic velle concionem, aut monitionem ſub conditione, deinde ejus converſionem. Sic in caſu. Cùm merita non ſint ponenda à Deo, ſed ab homine adjuto per gratiam, & homo poſſit gratiæ conſentire, vel non conſentire, debet priùs Deus videre, & velle media aptiora ad obtinendum conſenſum, deinde viſo conſenſu ea eligere. Ad hoc autem ſufficit, quod præceſſerit voluntas inefficax, & conditionata finis. Sicut enim ordinatè ageret Rex, qui ſtatueret nobilitare ſingulos milites in fine belli, ſi ſinguli benè ſe gererent: audito autem, quòd ſolùm mille benè ſe geſſiſſent, hos ſolos vellet nobilitare neglectis aliis. Ita ordinatiſſimè agit Deus volendo dare gloriam omnibus, ſi omnes benè vivant, & omnibus eligendo dare gratiam; videns autem aliquos benè uſuros, alios non, illos abſolutè eligat, iſtos rejiciat.

LII Contra primò. Nam hoc eſt facere Deum quaſi Regem terrenum. Hoc eſt dare gloriam propriæ prædeſtinationis hominibus potiùs, quàm Deo, cùm Apoſtolus dicat; ne quis glorietur niſi in Deo. Sicut illi mille milites, qui ſtrenuè ſe geſſerunt in bello, & proinde nobilitati ſunt à Rege, ſibi, ac ſuæ ſtrenuitati deberent, quòd præ aliis eſſent à Rege nobilitate donati. Eſto enim non niſi gratiâ juvante benè egiſſent, quia tamen ipſi, præ aliis eadem gratiâ donatis, benè uſi fuerunt, inflari poſſent adversùs alios, ſicut inflari poſſet miles, qui eiſdem armis à Rege donatis, fortiter ſe geſſiſſet, alius verò ſegniter.

LIII. Contra ſecundò. Qui haberet in ſua poteſtate, ut concio eſſet efficax ad obtinendam converſionem Petri, non egêret prævidere Petri conſenſum, antequam eligeret concionem ut medium ad ejus converſionem; & qui haberet in ſua poteſtate ut omnes milites ſtrenuè ſe gererent, non egeret prævidere, quinam ſtrenuè ſe geſturi ſint, antequam eligeret hos nobilitare præ aliis: ſed Deus habet in ſui poteſtate, ut concio ſit efficax ad obtinendam converſionem. & ut quis benè utatur ſuâ gratiâ; cum habeat in ſui poteſtate conſenſum Petri magis, quàm Petrus ipſe, ut ſupra probatum eſt agendo de efficacia gratiæ, quæ non à conſenſu futuro petitur, ſed ex natura gratiæ, & voluntate Dei; & Auguſtino teſte, Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas: ergo &c. Quarè hùc redeunt omnia ſuprà allata. Etenim conſenſus meus Concioni, aut gratiæ eſt ne de genere boni, aut mali? Certè de genere boni. At nonne omne bonum deſurſum eſt? Quid habes quod non accepiſti? Inſuper eſt ne naturalis, vel ſupernaturalis? Si ſupernaturalis; ergo à gratia Dei promovente conſenſum potiùs, quàm non conſenſum. Si naturalis, quomodo poteſt gratiam reddere efficacem, eique dare vigorem? Rurſus ſi conſenſus meus dat efficaciam gratiæ, ut ex meo conſenſu potius ſit mea converſio, quàm non converſio; ergo mihi potiùs, quàm gratiæ mea converſio tribuitur; ergo ego me diſcernam. Si enim gratia, quatenus à Deo deſcendit inefficax eſt, atque efficaciam accipit à meo conſenſu, mihi potiùs, qui volo, erit adſcribenda converſio: quia Deus quamvis velit, ſi ego nolim, converſio mea non erit, & conſequenter neque mea prædeſtinatio; ergo converſio, juſtificatio, prædeſtinatio erit opus hominis potius, quàm Dei. Sed hæc jam ſatis dicta, & expenſa ſuperiùs ſunt.

LIV. Tandem probatur Concluſio. Myſterium prædeſtinationis ſeu electionis unius præ alio ad gloriam ſive in parvulis, ſive in adultis ſecundum

Scri-

Digitized by Google

Scripturas poni debet omnino inſcrutabile; ſed id falſum eſſet, ſi prædeſtinatio non eſſet omnino gratuita; ergo &c. Maj. ex ſuperiùs dictis, tum ex Paulo, tum ex Auguſtino conſtat. Min. verò probatur. Inſcrutabile illud non eſt, cujus de facili poſſit reddi ratio; at poſitâ prædeſtinatione non gratuitâ, de facili poteſt reddi ratio, cur Deus prædeſtinaverit potiùs D. Petrum, quàm Judam; quia nempè Deus prævíderit D. Petri gratiæ ſuæ cooperationem, & proinde converſionem, & è contra prævíderit in Juda futuram gratiæ ſuæ reſiſtentiam; ergo &c.

Si dicatur, adhuc eſſe inſcrutabilem prædeſtinationem; quia licet Deus prævideat bonum conſenſum, tamen in ejus poteſtate eſt ponere hominem in illis circumſtantiis, in quibus prævidit eum conſenſurum, vel non ponere: & ſi ponit prædeſtinat, ſi non ponit, reprobat.

LV. Contrà eſt primò. Ergo prædeſtinatio formaliter, ut eſt diſcretio prædeſtinati à reprobo, unicè ex Dei voluntate pendet; ergo eſt prorsùs gratuita, ut ſuperiùs oſtendi.

Contrà ſecundò. Si Deum prædeſtinare eſt præcisè hominem ponere in illis circumſtantiis, in quibus præviſus eſt gratiæ divinæ cooperaturus, Deum prædeſtinare eſt præcisè ponere extrinſecam conditionem, ſine qua homo non ſalvaretur; non verò ponere ea, quæ ſunt cauſa ſalutis, nempè bonum uſum gratiæ uſque in finem; quia hic eſto ſine gratia non ſit, à gratia tamen non habet, cur potiùs ſit, quàm non ſit, ſed ab hominis libertate. Hoc autem poſito, magis nobis, quàm Deo deberemus gratias agere de noſtra ſalute, & dicere non amplius *ſalvum me fecit quoniam voluit me:* ſed potiùs *ſalvum me feci, quoniam volui ego*. Sicut ſi Pater afferat filio libros in ea circumſtantia, in qua prævidit, eum illis benè uſurum ad ſtudium, non dicetur per hoc Filium feciſſe Doctorem: imò filius ipſe Doctorem ſe fecit, quia voluit ſtudere, & benè uti libris, & occaſione illâ, in qua poſitus fuit à Patre.

Contrà tertiò. Si adhuc ſtante præviſione boni uſus gratiæ, eſt in libertate Dei ponere, vel non ponere hominem in illis circumſtantiis, in quibus prævidit eum bene uſurum; non ceſſabunt, imò inſurgent majores hominum querelæ. Dicent enim qui prædeſtinati non ſunt: Domine, ſi prævidiſti, me in talibus occaſionibus benè uſurum tuâ gratiâ, & in ea me perſeveraturum, & ſalvandum; quare me in illa non poſuiſti, ſed potiùs in alia, in qua prævideras, me malè uſurum, & non perſeveraturum, & damnandum? quantum ex me erat, gratiam tuam reddidiſſem efficacem, ſed tu noluiſti. Sicut juſtè quereretur homo, qui præviſus in una occaſione benè uſurus gladio, in alia malè, occidendo hominem, & poneretur ab aliquo in ea occaſione, in qua vidit eum malè uſurum, & occiſurum, propter quod capitis pœnam lueret. Si ergo pares poſſunt eſſe querelæ, melius nobis, ac tutius ſit Paulo, & Auguſtino adhærere; qui mirè favent gratuitæ prædeſtinationi, quàm ad præviſionem confugere, quâ Paulus nunquam eſt uſus, & quam Auguſtinus expreſsè rejecit.

§. IX.

Contrariorum argumenta ex Scripturis, & Patribus.

LVI. Objiciunt primò illud Matth. 25. v. 34. & 35. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c.* Ubi ly *enim* facit ſenſum, quòd cauſa, ob quam fuit Gloria præparata, & non ſolùm reddita, ſint bona ipſorum opera, ut præviſa. Unde S. Joann. Chryſoſt. homil. 80. in Matth. *Nam* (inquit in perſona Chriſti) *antequam nati ſitis, quia ſciebam, vos hujuſ-*

Digitized by Google

juſmodi futuros, *hæc vobis à me præparata fuere*. Et S. Auguſt. *in Pſalm.* 40. expendens præfata verba, ait: *Quid percipite? Regnum. Pro qua re? eſurivi*, *& dediſtis mihi manducare ... Tanti valet Regnum Cœlorum &c.*

Confirmant ex ſequentibus Chriſti verbis v. 41. & 42. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, *qui paratus eſt Diabolo*, *& Angelis ejus: Eſurivi enim*, *& non dediſtis mihi manducare*. Ex quibus ſic Fraſſen diſcurrit. Eodem modo ratiocinandum eſt de deſtinatione Juſtorum ad gloriam, quomodo de deſtinatione Reproborum ad gehennam: ſed Diabolus, & Reprobi ejus aſſeclæ non ſunt ab æterno deſtinati ad gehennam, niſi ob eorum præviſa demerita; ergo nec regnum Juſtis eſt paratum, niſi ob eorum præviſa merita. Major patet. Utrobique enim eſt eadem particula cauſalis: *enim*, & antitheſis continua Electorum, & Reproborum, bonorum operum & malorum, regni, & ignis æterni.

LVII. Hoc argumentum Henno alter Scotiſta *tract. de Deo uno diſp.* 9. *qu.* 4. Retorquet ſic in Fraſſen, & alios adverſarios. Paulò inferiùs dicitur reprobis: *Diſcedite in ignem æternum*, *qui paratus eſt Diabolo*, *& Angelis ejus. Eſurivi enim*, *& non dediſtis mihi manducare*; ergo Chriſtus carentiam eleemoſynæ in hominibus adſignat tanquam cauſam, cur ignis Diabolo ſit paratus. Quis autem hoc vel tantùm audeat cogitare? unde ſicut carentia eleemoſynæ non eſt cauſa præparationis ignis, ſed miſſionis in ignem: ita eleemoſynæ erogatio non eſt cauſa præparationis regni, ſed poſſeſſionis ejuſdem. Et ſicut carentia eleemoſynæ eſt cauſa, cur dicatur *diſcedite &c.* ita erogatio eleemoſynæ eſt cauſa, cur dicatur *poſſidete &c.* Quare illa cauſalis *enim* non debet conſtitui, vel referri ad illud verbum *paratum*, quaſi quòd cauſa, quare parata ſit gloria, ſit, quia præviſi fuerant daturi manducare: ſed debet referri ad verbum *poſſidete*, ita ut cauſa, quare gloriam ſint poſſeſſuri in executione, ſint opera miſericordiæ.

Neque contrarium ſentiunt allati Patres. Non Chryſoſtomus. Hunc enim loqui de præparatione executiva ſupponente electionem, & præſcientiam operum, non de intentiva electionem operum antecedente, oſtendunt ejus verba ſequentia: ait enim: *Quibus verò pro rebus hæc ſibi retribuuntur? Pro tecto*, *pro veſte*, *pro aqua frigida &c.* Non dixit: Quibus verò pro rebus hæc ſibi *præparata fuere*. Neque S. Auguſtinus. Eum quippe loqui de redditione, non de præparatione gloriæ, apertè ejus verba produnt: *Quid* enim, ait, *percipite? Regnum. Pro qua re? eſurivi &c.* de perceptione igitur regni, non de præparatione loquitur.

LVIII. Ad confirmat. jam dictum eſt: ly *eſurivi enim*, *& non dediſtis mihi manducare*, referri ad ly *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, non autem ad ly *qui paratus eſt*. Quare carentia operum miſericordiæ erit quidem cauſa, cur detrudendi ſint in ignem æternum, non autem cur ignis primò paratus ſit.

Reſpondeo etiam negando maiorem. Prima enim cauſa, cur homines admittantur ad regnum eſt divina miſericordia; cur verò detruduntur in ignem eſt divina juſtitia: Deus enim (ait Tertullianus) *De ſuo miſericors*, *de noſtro juſtus*. Ut exerceat miſericordiam ſufficit Deo ſua bonitas; ut exerceat juſtitiam prærequiritur noſtra culpa. Quare vocans electos dicet: *Venite benedicti Patris mei*. Rejiciens verò reprobos dicet: *diſcedite à me maledicti*. Benedictio ex miſericordia Dei deſcendit; maledictionem autem homo ſuâ culpâ accerſit. Unde Chryſoſtomus citatus in Perſona Chriſti: *Nam ego* (inquit) *regnum vobis*, *ignem autem non vobis*, *ſed Diabolo & Angelis ejus præparavi; in quem quoniam vos ſpontè injeciſtis*, *vobis ipſis id reputate*. Ideòque ante merita paratum qui-

Digitized by Google

quidem fuit regnum, ſed non ante demerita ignis æternus.

LIX. Objiciunt ſecundò ex Divo Paulo Romanorum 8. ubi deſcribens ordinem, quem Deus tenuit in prædeſtinando, ait v. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*: ubi prius ponit præſcientiam, deinde prædeſtinationem; ergo prædeſtinatio eſt ex præſcientia. Unde Ambroſius lib. 5. de fide cap. 2. *Non enim* (inquit) *ante prædeſtinavit quàm præſciret, ſed quorum merita præſcivit, horum præmia prædeſtinavit*. Et D. Auguſt. lib. de prædeſt. cap. 3. *Ex præſcientia virtutis, prædeſtinatio fit remunerationis*. Cui accedit Hieronymus in cap. 8. ad Roman. *Quos præſcivit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria*.

Hoc Pauli textu ſibi videntur de cauſa triumphaſſe Adverſarii. Attamen poteſt in ipſos retorqueri. Si enim mens Pauli eſſet, ut Deus, quorum præſcivit merita, hos prædeſtinavit; ergo omnes, quorum merita præſcivit, prædeſtinavit ad gloriam: a qui ipſi fatentur innumeros eſſe, quos Deus præſcivit benè uſuros gratiâ, ſi eis daretur congruè, quibus tamen gratiam congruam denegat; quin potiùs dat incongruam, atque ita non ſunt prædeſtinati ad gloriam; ergo &c.

LX. Reſpondeo ergo primò, obſervando, Paulum non dicere, quorum merita præſcivit, hos & prædeſtinavit, ſed quos præſcivit, & prædeſtinavit; ubi loquitur de perſona prædeſtinanda, non de meritis, aut motivo prædeſtinandi. Certè enim prædeſtinatio ſine præſcientia ſtare non poteſt, præſcientia tamen non eſt ratio prædeſtinationis, ſed conditio: unde ſenſus eſt, quos præſcivit, ideſt quos diſtinctè præcognovit, prædeſtinavit ut conformes eſſent in glorificatione tum corporis, tum animæ imagini Filii ſui. *Non quia omnes præſcitos prædeſtinet, ſed quia eos prædeſtinare non poterat, niſi præſciret*. *Jerem.* 1. Priuſquam te formarem in utero novi te. Ita S. Thom. *in cap. 8. ad Rom. lect. 6.* ubi notaverat, Paulum non dicere *quos præſcivit conformes fieri imaginis Filii ſui, & prædeſtinavit*; quod dicere debuiſſet, ſi mens ejus eſſet præſcientiam bonorum operum eſſe rationem, & cauſam prædeſtinationis: ſed dicere: *Quos præſcivit, hos, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui; Ut* (ait S. Doctor loco citato) *iſta conformitas non ſit ratio prædeſtinationis, ſed terminus, vel effectus*.

LXI. Reſpondeo ſecundò, in præfato Pauli textu ly *præſcivit* idem eſſe ac *prædilexit*, aut *præelegit ad gloriam*: ly verò *prædeſtinavit* idem eſſe ac *præparavit*, ſeu *prædeſtinavit ad gratiam*, ut ſit ſenſus: *quos præſcivit*, ideſt *quos prædilexit*, aut *præelegit* ad *conformitatem in gloria cum filio ſuo*, hos *prædeſtinavit*, ideſt illis certò ſtatuit, & præparavit hanc conformitatem, ſeu media elegit, ut ad hanc conformitatem poſſint pervenire. Quænam autem ſint media, quæ eis præparavit, ſtatim ſubjunxit, dicens: *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*. Ubi ſemper advertendum eſt, quòd Apoſtolus non dixerit *quos præſcivit benè victuros*, ſed abſolutè *quos præſcivit*; ut nimirum eòdem referri debeat, quò verbum prædeſtinavit, nempè ad conformitatem imaginis Filii Dei, hoc eſt, conſummatam beatitudinem animæ, & corporis.

Nunc duo oſtendenda ſunt: unum, quòd ly *præſcivit* poſſit ſumi pro eodem ac *prædilexit*, ſeu *præelegit*; alterum, quòd idem ſit ac prædilexit præelegit, ſen prædeſtinavit ad Gloriam. Primum indicat Paulus ipſe Roman. 11. v. 2. *non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*. Ubi D. Th. lect. 1. *non repulit* (inquit) *plebem ſuam totam, quam præſcivit, ideſt prædeſtinavit*. Eodem modo S. Petrus Ep. 1. cap. 1. v. 1. 2. dicit; *Electis adve-*

venit .... *ſecundùm præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem ſpiritus:* ideſt ſecundùm prædeſtinationem, quâ præelegit, ut eſſent ſancti ſpiritu; Et *v.* 20. vocat Chriſtum *præcognitum ante mundi conſtitutionem:* ideſt prædeſtinatum, ac prædilectum. Ex quibus patet alterum, nempe, quòd præſcire idem aliquando ſit, ac prædeſtinare. Totum hoc expreſſit D. Auguſt. lib. de dono perſever. cap. 18. dicens: *Ubi ait Apoſtolus:* non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit, *prædeſtinationem ſignificare voluiſſe. Præſcivit ergo reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ fuerat ipſe facturus. Hoc eſt ergo prædeſtinavit: ſine dubio enim præſcivit, ſi prędeſtinavit: ſed prędeſtinaſſe, eſt hoc pręſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* Et cap. 19. *Quid ergo nos prohibet* (inquit) *quando apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prędeſtinationem intelligere?*

Ad auctoritates verò Patrum dico: Ad primam ex Ambroſio, eum non loqui de præſcientia meritorum ante decretum Dei, & electionem, ſed de præſcientia conſecuta ad electionem, & meritorum, quæ ſint effectus electionis, non cauſa movens ad electionem. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: ait Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 10. Unde ſenſus Ambroſii eſt, Deus non ante prædeſtinavit, quàm præſcivit, quia ſecundùm Auguſt. relatum: *prędeſtinatio eſt, quę ſine pręſcientia non poteſt eſſe;* ſed quorum merita præſcivit, ideſt merita facta per ipſum, dono ſuo, & voluntate, horum præmia prædeſtinavit. Sicque merita conſequuntur gloriam, ut primò volitam; quia ex voluntate dandi gloriam ſunt præparata; præcedunt autem conſecutionem gloriæ, quia ſunt cauſa meritoria movens Deum ad gloriam in præmium reddendam.

Ad auctoritates verò Auguſtini, & Hjeronymi dico, eas nihili eſſe faciendas. Nam liber ille de Prædeſtinatione, ex quo depromitur, non eſt Auguſtini, ſed incerti Auctoris. Expoſitio autem ſuper Epiſt. ad Romanos non eſt Hieronymi, ſed Pelagii. Quamvis poſſent explicari de præſcientia ſupponente electionem ad gloriam, non de præſcientia electionem præcedente.

LXII. Objiciunt tertiò. Matth. 22. v. 14. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Quare? niſi quia vocati noluerunt venire? ergo vocare, Dei eſt, electos autem fieri, vel non, noſtrum eſt, ait Theophilactus.

2. Rursùs. Si prædeſtinatio à ſola Dei voluntate penderet, plures eſſent electi, quàm reprobi; cùm Deus ſit infinitè bonus, & proinde ſui communicativus; ergo ſi pauci ſunt electi, ex culpa noſtra eſt.

3. Ulteriùs. Primæ ad Timoth. 2. v. 4. Deus *vult omnes homines ſalvos fieri;* ergo ante merita, vel demerita in Deo eſt æqualis voluntas dandi gloriam omnibus; ergo ex meritis eſt, quòd aliquos prædeſtinet, ex demeritis, quòd aliquos reprobet.

4. Præterea. Matth. 20. Deus tanquam Pater familias conducit Operarios, & ſtatuit cum illis mercedem; ergo priùs ſpectat opus, quàm mercedem.

5. Tandem. Joan. 16. v. 27. *Ipſe enim Pater* (ait Chriſtus) *amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis;* ergo ob amorem, & fidem in Chriſtum præviſam in Diſcipulis, Pater eos ab æterno dilexit.

LXIII. Ad hæc ſigillatim reſpondeo. Ad primum, falſum eſſe, ideò aliquos non eſſe electos, quia vocati noluerunt venire, aliàs prædeſtinatio, aut reprobatio eſſet in manu hominis, non Dei, quod nemo niſi Semipelagianus dixerit. Sed quia non ſunt electi, ideò illis non datur, ut velint venire, Unde S. Auguſtinus de *Dono Perſever. cap.* 14. dicit, quòd in maſſa perditionis juſto Dei judicio relicti ſunt Tyrii & Sidonii, *qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent: ſed quoniam ut crederent non* erat

Digitized by Google

erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Theophilactus ſolùm loquitur de electionis effectu, ſeu implemento. Vocare enim ſolius Dei, electionis verò implementum noſtrum eſt, quatenus electio noſtra non impletur ſolo Deo operante, ſed homine (divinâ tamen gratiâ prævento, & adjuto) cooperante. Quare in cap. 5. Joannis idem Theophilactus ait: *Electio fit à Deo, qui adhortatur nos ad bonum, & ſuam nobis impertit bonitatem;* ſcilicet, ut eâ electionem ſuam impleamus.

Ad id quod additur, dico, antecedens verum fore, ſi Deus ita eſſet bonus, ut non eſſet etiam juſtus. Cùm enim tota natura humana ex culpa Protoparentis eſſet damnata, ac juſtè à Regno Cœleſti excluſa, etiam in electione paucorum ſuam maximè oſtendit bonitatem, qui nec vel unum eligere teneretur, imò juſtiſſimè omnes in damnatione poſſet relinquere. Sicut maximam bonitatem oſtenderet Rex, qui, cùm juſtè poſſet omnes rebelles ſuos morti tradere, eorum tamen aliquos ſalvaret, & Aulicos & amicos ſuos crearet. Et inſtantia hæc poteſt in Adverſarios retorqueri. Si enim electio ex prævisione operum pendet, cùm nullus ſit, qui prævisus non fuerit in aliqua occaſione benè operaturus, ſi Deus bonus eſt, cur non omnes eligit, cur non omnes in ea circumſtantia propitia ponit?

Ad tertium dico, ex eo diſcurſu ſequi, Deum (quantùm in ſe eſt) nullum reprobare, ſed omnes prædeſtinare; qui erat error Semipelagianorum, ut D. Auguſtino exponit Hilarius his verbis: *Illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorumque eſſe definitum numerum velint... ideſt, ut nonniſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad ſanctorum numerum pertinebunt: ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus*. Quomodo cum Voluntate generali Dei de omnium hominum ſalute ſtet Voluntas ſpecialis de excluſione aliquorum à regno, oſtenſum eſt ſuperiùs Tractatu de Volunt. Dei; dùm de Voluntate antecedente & conſequente ageremus, quò ſtudioſum remitto. Interim huic inſtantiæ reſpondere tenentur Adverſarii, qui contra Janſenium fatentur, Deum ſincerè velle omnium ſalutem, & tamen multos, etſi præviderit eorum bona opera, à ſalute rejicit. Ex quo infertur, non eſſe ex meritis, quòd aliquos Deus de facto prædeſtinet, neque ex demeritis, quòd hos præ aliis reprobet, ſed ex Dei arcana voluntate, & inſcrutabili conſilio. Quare D. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 29. *Hi* (inquit) *qui voluntatem Dei, quâ omnes homines vult ſalvos fieri æqualem circa redimendos, & damnandos exiſtimant; cùm interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiant, quid reſpondebunt?* & cap. 30. urget exemplum de infantibus, in quibus certè nulla opera bona, aut mala præviſa fuerunt; cum tamen eorum aliqui morientes ante ætatem adultam baptizati ſalventur, alii ſine baptiſmo damnentur.

Ad quartum nego conſeq. maxima enim differentia eſt inter Deum, & homines. Nam hi in conducendis operariis ſuam præcipuè ſpectant utilitatem: ideòque primò volunt opus eorum, tanquam ſibi utile, deinde ſecundariò dare volunt mercedem. At Deus ſuam in conducendis operariis utilitatem non ſpectat, nam bonorum noſtrorum non indiget, ſed potiùs bonum noſtrum, & ultimò gloriam ſuam. Alia etiam eſt differentia; quòd homo dum operarium conducit, ſupponit in eo idoneitatem ad opus, & ex ejus prævisione eligit, & ſtatuit mercedem: At Deus ei, quem eligit eligendo dat virtutem ad opus, imò etiam ipſum opus; quia ſine ipſo homo laborare, ut oportet, non poſſet; & ſi poſſet, ipſo non dante non laboraret; ideòque non eget antequam eligat prævidere merita, quæ nulla ſunt, & ſi ſunt, ab ipſo donata ſunt.

Ad

Ad quintum tandem, nego ſimiliter conſequentiam: ſenſus enim Verborum Chriſti eſt. *Pater amat vos* majoribus gratiæ donis vos cumulando, *quia vos me amaſtis*, ideſt quia mihi adhæſiſtis, & ſecuti eſtis me, tracti nimirùm à Patre meo, quia *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* (Jo. 6. v. 44.) ſignificant autem hæ, ſimileſque ſententiæ, quòd gratia gratiam præcedit, & meretur; quòdque (ut docet D. Tho. *hoc art.* 5.) licèt totus effectus prædeſtinationis non habeat cauſam ex parte noſtra, quia totus ſub prædeſtinatione comprehenditur, unus tamen prædeſtinationis effectus poteſt eſſe cauſa, & ratio alterius. Et ſic fides, & amor Diſcipulorum erga Chriſtum, qui tamen fuit gratiæ prævenientis beneficium, & effectus prædeſtinationis ipſorum, & dilectionis Dei, potuit eſſe cauſa, & ratio, cur Deus eos abundantiori amore, & ad uberiores gratias diligeret.

LXIV. Objiciunt quartò. Ad id homo gratuitò non prædeſtinatur, quod eſt in ejus poteſtate, atqui gloria eſt in hominis poteſtate; ergo &c. Min. prob. primò. Homo ſuis orationibus poſtulat, ut inter electos numeretur, & hoc ſuis bonis operibus impetrat. 2. *ad Timoth.* poſtquàm S. Paulus dixit, in magna Domo alia eſſe vaſa aurea, & argentea, alia lignea, & fictilia: *Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Subdit v. 21. *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum:* ſed juxta phraſim Sancti Pauli vaſa in honorem ſunt Electi, ſicut vaſa in contumeliam ſunt Reprobi; ergo &c. Rurſus 2. Petri 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Secundò prob. min. *Roman.* 11. ſupponit Paulus, quòd qui non inſertus eſt in bonam olivam, ideſt in prædeſtinatorum numerum, poſſit inſeri, ait enim v. 23. *Sed & illi* (Judæi) *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.*

LXV. Reſpondeo, diſt. min. Gloria quoad conſecutionem eſt in hominis poteſtate, conc. min. quoad præparationem æternam, nego min. Aliàs ſequeretur error Semipelagianus, quòd neminem Deus abſolutè ab æterno prædeſtinaverit. Neque aliud indicant auctoritates allatæ. Cum enim rogat Eccleſia, ut Filii ſui inter electos numerentur, rogat, ut eis gratia, & perſeverantia detur, quâ conſequantur gloriam, quam per talia media conſequendam Deus ab æterno diſpoſuit, & præparavit. Hinc cum dicit Paulus, qui ſe emundaverit à peccatis, erit vas honoris, ſit ſenſus, quòd erit vas honoris in tempore, ſicut, ut eſſet, fuerat ab æterno diſpoſitum. Sic etiam S. Petrus dicit, per bona opera certam fieri gloriæ conſecutionem, non autem præparationem, quæ bona opera non ſupponit, ſed cauſat. Vel bona opera eſſe ſignum, ex quo à poſteriori dignoſci poteſt certò, aliquem de numero electorum eſſe.

Judæi quoque, ſi incredulitatem reliquiſſent, poterant inſeri bonæ olivæ, ideſt perduci cum effectu ad gloriam, ad quam fuerant præordinati ab æterno, cujus fuiſſet ſignum, incredulitatis depoſitio.

LXVI. Objiciunt quintò S. Auguſtinum. 1. *lib. quæſt. ad Simplicianum qu.* 2. ubi explicans illud Pauli dictum ad *Roman.* 9. & excitans quæſtionem, quomodo dici poteſt electus Jacob præ Eſau, cùm dicatur electus antequam quidquam boni, aut mali uterque egiſſet, & conſequenter dùm eſſent æquales, electio autem ſupponat inæqualitatem, ſeu diſtantiam, reſpondet: *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum, ſed ex propoſito electio: ideſt non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propoſitum juſtificationis ipſius; ſed quia illud manet, ut juſtificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum Cælorum.* Quaſi diceret: non quia elegit

git homines ad Regnum Cœlorum voluit eos juſtificare: imò quia eos juſtificavit, idcircò elegit ad Regnum Cœlorum. Unde ſubdit: *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio, nemo enim eligitur niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum eſt:* Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, *non video quomodo ſit dictum niſi præſcientiâ:* Operum ſcilicet bonorum cum Dei gratia, & perſeverantia finali. Quibus apertè ſignificat, idcircò unum ſeligi præ alio, quia jam ratione præſciti meriti eſt diſtans ab eo, qui rejicitur. Nam ut antea dixerat: *Quomodo enim eſt juſta, aut qualiſcumque omnino electio, ubi nulla diſtantia eſt? ſi enim nullo merito electus eſt Jacob nondum natus, & nihil operatus, nec omnino eligi potuit nullâ exiſtente differentiâ, quâ eligeretur.*

Secundum teſtimonium ſumitur ex *ſerm. 7. de verbis Apoſt.* nunc *ſerm. 165.* ubi exponens illud: *nemo ponens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens poſt tergum aptus eſt Regno Dei*, ait: *In hoc capitulo diſcimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, ut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum juſtitiam.* Et infra præmiſſis illis Apoſtoli verbis. *Reliqui mihi ſeptem millia, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Subdit. *Quid eſt reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal.* Quibus apertè oſtendit, ſe aliquos eligere ex ſua gratia quidem, ſed etiam ex juſtitia, ſeu ex prævisis meritis.

Tertium ſumitur ex ſerm. 233. de tempore, ubi *Multi* (inquit) *ſcire volunt, quare illum vocat Dominus, & illum non vocat, uni ſubvenit, alii non: Hunc dignum habet, & illum indignum, iſtum honorat, & illum cruciat.* Reſpondet: *Audi homo! hunc dignum habet pro bonis operibus ſuis; illum habet indignum pro ſuis operibus malis.* Idipſum confirmat *l. 83. quæſt. qu. 68. Præcedit ergo*, inquit, *aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum ſint juſtificati, digni efficiuntur juſtificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.*

Quartò. Teſtimonia, quæ ex Auguſtino à nobis proferuntur pro prædeſtinatione gratuita, debent accipi de prædeſtinatione ad gratiam, non ad gloriam. Controverſia enim inter Auguſtinum, & Semipelagianos nunquam fuit de prædeſtinatione ad Gloriam independenter à meritis per Chriſti gratiam comparatis; ſed de ſola prædeſtinatione ad gratiam, quam dicti hæretici volebant fieri ex præviſione meritorum à libero arbitrio procedentium; ergo loca, quæ ex Auguſtino proferuntur debent intelligi de prædeſtinatione ad gratiam, non ad gloriam.

LXVII. Reſpondetur. Et quidem ad primùm, quod valdè magnificant Adverſarii, primò illud retorquendo in ipſos. Nam ſi non poteſt eligi unum præ alio, niſi ſupponatur inæqualitas inter illa, & ideò non poteſt Deus unum præ alio eligere ad gloriam, niſi præſciat in uno merita, quæ non in alio: nec etiam poterit eligere unum præ alio ad gratiam, niſi ex præviſione meriti in uno, & non in alio; quia electio ſupponit in eligendis diverſitatem, & inæqualitatem. Et ſic Auguſtinus non ſolùm electionem ad gloriam, ſed & ad gratiam ex prævisis meritis admittet; ergo Auguſtinus erit Semipelagianus, imò Pelagianus, aſſerens gratiam ſecundum merita noſtra dari.

Reſpondent aliqui, S. Doctorem, dùm hunc librum quæſtionum ad Simplicianum conſcripſit, in ſententia fuiſſe, electionem ad gloriam ex præſcientia meritorum eſſe (illum enim ſcripſit vix factus Epiſcopus, & nondum exortâ hæreſi Pelagianâ) quam poſtea, contra Pelagianos agens, retractavit. Sed huic reſponſioni acquieſcere non poſſum. Tum quia hujus retractationis (ſi eam feciſſet) extaret veſti-

Digitized by Google

veſtigium in Libris Retractationum, maximè in Libro 2. *Retract. cap.* 1. ubi recenſet hunc librum: in quo tamen nedum quidquam non retractat, ſed potiùs in eo dicta probat. Tum quia *lib. de bono perſever. cap.* 20. quæ ſcripſerat ad Simplicianum commemorans, ait, ſe in illis pleniùs ſapere cæpiſſe gratiæ, & prædeſtinationis doctrinam. *Quod plenius ſapere cæpi in ea diſputatione, quam ſcripſi ad beatæ memoriæ Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, in mei Epiſcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei eſſe cognovi, & aſſerui.*

LXVIII. Reſpondeo ergo, S. Auguſtinum loqui, non de electione, ſeu prima dilectione Perſonarum, quâ ex communi maſſa perditionis aliquos dilexit ad gloriam, aliquos in perditione reliquit, quæ, cùm ſolùm reſpiciat finem, dicitur potiùs intentio, quàm electio: Sed de electione mediorum, ſeu meritorum, quibus homines jam dilecti efficaciter ad gloriam, certiſſimè eam, ad quam dilecti ſunt, conſequentur. Hæc enim electio mediorum non facit differentiam prædeſtinatorum à reprobis, ſed jam factam ſupponit. Hæc etiam non præcedit eorum juſtificationem, & merita prævisa, ſed ſupponit æternum propoſitum eos juſtificandi. Porrò quod iſta ſit Auguſtini mens, verba ejus oſtendunt. Ait enim: *Sed quia illud manet* (nempe propoſitum) *ut juſtificet credentes* (ecce æternam voluntatem juſtificandi ortam ex prima Perſonarum dilectione ad gloriam) *ideò invenit opera, quæ jam eligat* (ecce electionem meritorum ortam ex voluntate juſtificandi) *ad Regnum Cœlorum:* ideſt, ut per ea ad Regnum Cœlorum perducat eos, quos jam dilexerat. Pro cujus obſervatione noto, quòd alia eſt electio mediorum ad finem, alia electio, ſeu veriùs, dilectio Perſonarum ad talem finem. Electio mediorum ad finem, puta Gloriam, non facit electos primò diſcerni à reprobis, ſed ſupponit illos jam gratuitò diſcretos per primam dilectionem, quâ illis voluit gloriam præ aliis; nec præcedit voluntatem juſtificandi, ſed ex illa naſcitur. Et de hac dicit S. Doctor: *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio. Unde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem: non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ;* Quia electio operum ſubſequens juſtificationem, ſupponit operum præſcientiam. At dilectio, ſeu velis, electio Perſonarum, quâ ſcilicet ex communi maſſa hominum, quoſdam dilexit, & liberare decrevit, quoſdam reliquit, hæc certè non ſupponit juſtificationem, aut merita ex illa ſecutura, ſed utraque præcedit. Sicut voluntas, quâ quis vult alicui finem, non ſupponit, ſed infert voluntatem mediorum; & dùm quis vult liberare ex captivis aliquos, priùs diligit hos, quos liberare intendit, deinde tractat de mediis pro tali redemtione exequenda. Et de hac dicit S. Doctor: *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, quia non invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ſed hæc in hominibus quos diligit facit.*

Conformiter ad hanc S. Auguſtini doctrinam fidelis ejus Diſcipulus Sanctus Thomas hâc *qu.* 23. *art.* 4. *docet*, quòd Prædeſtinatio, quæ eſt ordinativa mediorum, præſupponit ſecundùm rationem electionem, electio autem dilectionem. Et rationem adſignans dicit: *Quod electio, & dilectio aliter ordinantur in nobis & in Deo, eò quòd in nobis voluntas diligendo non cauſat bonum, ſed ex bono præexiſtente incitamur ad diligendum, & ideò eligimus aliquem, quem diligamus. Et ſic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem eſt è converſo. Nam voluntas ejus, quâ vult bonum alicui diligendo, eſt cauſa, quòd illud bonum ab eo præ aliis habeatur. Et ſic patet quòd dilectio præſupponitur electioni ſecundùm rationem, & electio prædeſtinationi.*

Reſponderi aliter poteſt, S. Auguſtinum

num eo in loco non ſtatuiſſe, electionem Jacob præ Eſau factam fuiſſe ex præſcientia operum, ſed potiùs, cùm Paulus dicat, quòd Deus non elegerit Jacob præ Eſau ex præſcientia vel fidei, vel operum, dicendum exiſtimat, non fuiſſe veram electionem, quæ debet ſupponere inæqualitatem, & diſtantiam inter ea quæ eliguntur. Nondum enim percipiebat, dici poſſe electionem, quæ non ex operibus eſſet, ſed ex vocante. Progreſſu verò temporis exortâ jam hæreſi Pelagianâ, & re clariùs elucidatâ, ab hac explicatione & dubietate receſſit, & intellexit, poſſe dari in Deo electionem unius præ alio, ubi nulla præcedit imparitas, aut fidei, aut operum; electionem ſcilicet gratiæ non debiti, electionem, quâ eligendos facit ipſe, non invenit: Unde lib. de correp. & gratia cap. 7. & de Prædeſt. SS. cap. 17. *Intelligamus ergo* (inquit) *vocationem, quâ fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, ſed quia eliguntur, ut credant*. Et epiſt. 105. nunc 194. eam vocat *electionem gratiæ, quæ non invenit eligendos, ſed facit*. Et hæc dicit in propoſito Jacob, & Eſau. Quibus patet S. Auguſtinum agnoviſſe electionem, quæ opera non ſupponat, ſed faciat.

LXIX. Ad ſecundum teſtim. ex Divo Auguſtino dico, S. Doctorem dicere, quòd Deus elegit, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum juſtitiam; quia gratis elegit, quibus ſecundùm juſtitiam mercedem tribuat. Ad id verò, quod additur, dico, ſermonem eſſe de temporali electione illorum, qui ſegregati ſunt, ne cum cæteris occiderentur ut legitur 3. *Reg.* 19. *v.* 18. hanc enim ex prævisione bonorum operum, quæ Deus in eis præparaverat, ſecutam fuiſſe non negamus.

LXX. Ad tertium teſtim. ex ſermone 233. de tempore, dico, Sermonem illum inter ſpurios rejectum eſſe, præcipuè ob citata verba ab Arguente: quæ probant, Deum non ſolùm eligere ad gloriam ob merita, ſed etiam ad gratiam, quod ſapit doctrinam Pelagianam Auguſtino indignam, qui contra Pelagianos adeò ſtrenuè pugnavit. Ad aliud Teſtimonium ex lib. 83. quæſt. dico, S. Doct. velle, quòd præcedat aliquid in peccatoribus, quo digni efficiantur viâ quidem executionis, non tamen viâ intentionis, & hoc à gratia, ſeu Deo ejus cor movente per gratiam; aliàs faceremus Auguſtinum Semipelagianum, ſi vellet exordium juſtificationis ab ipſis eſſe. Loquitur ergo de juſtificatione viâ executionis, quia nullus, ſi ſit adultus, in executione juſtificatur, niſi in eo præcedant motus liberi arbitrii, quibus incipiat ad Deum moveri; ſed hi motus à Spiritu Sancto ſunt movente cor, licèt nondum inhabitante. Et quòd hæc fuerit Auguſtini mens, teſtatur ipſe *lib.* 1. *retract. cap.* 26. ubi referens ea, quæ ſupra nobis objecta ſunt, ſic ait: *Ubi dixi: Quia etiamſi levioribus quiſque peccatis, aut certè quamvis gravioribus, & multis, tamen magno gemitu, & dolore pœnitendi miſericordiâ Dei dignus fuerit, non ipſius eſt, qui ſi relinqueretur interiret; ſed miſerentis Dei, qui ejus precibus, doloribuſque ſubvenit.* Et ſtatim ſubjungit: *Hoc dictum eſt poſt pœnitentiam. Nam eſt miſericordia Dei etiam ipſam præveniens voluntatem, quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam miſericordiam pertinet & ipſa vocatio, quæ etiam fidem prævenit &c.*

LXXI. Ad quartum fateor, initium diſputationis inter Pelagianos, & Semipelagianos, & Auguſtinum de ſola prædeſtinatione ad gratiam fuiſſe: in decurſu tamen etiam ad prædeſtinationem ad gloriam, quam ſimiliter gratuitam aſſerebat Auguſtinus (ut ſuperiùs §. 7. oſtenſum eſt) diſputatio excurrit. Nec mirum, quia una ab alia pendet. Cùm enim ſecundùm Auguſtini mentem gratia non ex prævisione, ſed ex natura ſua efficax ſit, & neceſſaria ad quemcumque actum:

ex

ex ſuppoſitione, quòd hæc aliquibus datur; aliis non, admitti debet gratuita prædeſtinatio aliquorum ad gloriam. Nam ſicut non poteſt reddi ratio, cur Deus potiùs dederit Petro gratiam efficacem, quàm Judæ; ita nec, cur Petrum potius prædeſtinaverit ad gloriam, quàm Judam. Nec Semipelagiani poterant carpere doctrinam S. Auguſtini de gratuita prædeſtinatione ad gratiam, quin etiam malè haberent doctrinam ejuſdem de prædeſtinatione ad gloriam, ut epiſtolæ Proſperi, & Hilarii ſuperiùs indicatæ demonſtrant.

LXXII. Objiciunt ſextò S. Proſperum, qui reſponſ. 3. *ad capita Gallorum* de peccatoribus à Deo derelictis, ait, quòd *licèt fuerint renati, fuerint juſtificati, ab eo tamen, qui illos tales præſcivit non ſunt prædeſtinati*. Et ad object. Vincentianas *reſponſ.* 12. ad illa verba *Exierunt ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis*, ait: *Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt; & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati*.

Sanctum item Fulgentium *lib.* 3. *de verit. prędeſtinat. & gratię* circa finem, qui ait: *ſicut per miſericordiam præparavit gratuitum juſtificationis donum, ita per juſtitiam prępara vit ęternę juſtificationis prœmium. Opus itaque gratię in omnibus prędeſtinatis gratuitâ miſericordiâ inchoatur, & juſtâ retributione perficitur*.

Reſpondeo de mente SS. Proſperi, & Fulgentii ſatis conſtare ex ſuperiùs dictis. Quoad D. Proſperum reſpondeo, quòd dùm locis citatis, & ſimilibus dicit, quòd ideò non ſunt prædeſtinati ad regnum, quia præſciti ſunt caſuri, de præſcientia loquitur, non antecedente, ſed ſupponente, & fundatâ in Decreto, quo noluit impedire eorum lapſum, nec gratiam illis preparare, quâ ex lapſu reſurgerent. Quare autem hoc? reſpondet citatâ *reſp.* 3. *ad capit. Gallorum*. Et *reſponſ.* 8. *ad excerpta Genuenſ. nec eſt neceſſarium quęrere, nec poſſibile reperire, cùm omiſſis diſcretionis iſtius cauſis, ſcire ſufficiat, quòd nec miſericordia juſtitiam, nec juſtitia auferat miſericordiam apud eum, à quo nemo, niſi juſtè damnatur, nemo niſi miſericorditer liberatur*.

Ad Sanctum Fulgentium dico, eum velle, quòd complementum, & effectus prædeſtinationis ad gloriam, non verò initium & cauſa, ſit ex juſtitia; quod indicant illa verba: *opus itaque gratię in omnibus prędeſtinatis gratuitâ miſericordiâ inchoatur, & juſtâ retributione perficitur*. Neque contrarium Arguens exiſtimaſſet, ſi tres illos Sancti Fulgentii libros de veritate Prædeſtinationis, & gratiæ attentiùs legiſſet, præcipuè autem citatum librum tertium ubi ſuperiùs dixerat. *Prædeſtinavit; ergo gratis juſtificandos impios, & glorificandos juſtos, quos præveniret; & ſubſequeretur miſericordia ejus. Hi ſunt ſecundùm propoſitum vocati; hi ſunt, quos Deus præſcivit, & prędeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ejus.... Ipſe itaque quos prędeſtinavit, fecit, & facit conformes imaginis Filii ſui.... Omnes iſti prędeſtinati ſic vocantur, ut juſtificentur, ſic juſtificantur, ut glorificentur. Ac per hoc prędeſtinavit, quos voluit & ad opera bona, & ad prœmia ſempiterna: prædeſtinavit ad vitam bonam, prædeſtinavit ad vitam æternam: prędeſtinavit ad fidem, prædeſtinavit ad ſpeciem; prædeſtinavit adoptandos in ſeculo, prædeſtinavit glorificandos in Regno &c.* Gratuitam ergo ſtatuit Fulgentius æquè prædeſtinationem ad gloriam, ac prædeſtinationem ad gratiam.

§. X.

Solvuntur argumenta ex ratione.

LXXIII. Objiciunt primò. Qui prædeſtinat aliquem ad mercedem, ad coronam, ad præmium, ad bravium, non prædeſtinat gratuitò, ſed ex præſcientia meritorum; quia merces, corona, præmium

mium, bravium in ſuo conceptu eſſentiali dicunt, dari propter laborem, certamen, meritum, & curſum: Sed Deus prædeſtinat homines ad gloriam, ut ad mercedem, Matth. 5. v. 12. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis*: ut ad coronam 2. ad Timoth. 4. v. 8. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex*; ut ad bravium 1. *Cor.* 9. *v.* 24. *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*; ergo &c.

Reſpondeo, diſtingu. maj. Qui prædeſtinat aliquem &c. ſi merita ad conſequendam mercedem &c. non ſint in ejus poteſtate, conc. maj. ſi nedum merces, verùm etiam merita, quibus merces reddenda eſt, in ejus ſint poteſtate, nego maj. Verùm quidem in humanis eſt, quòd qui vult deſtinare aliquem ad præmium efficaciter conſequendum, debet prænoſſe merita ejus, quem deſtinat: quia cùm non ſit in ejus poteſtate dare illi merita, per quæ poſſit ſibi comparare præmium, debet illa ſupponere, & præſcire, antèquam illum efficaciter deſtinet, & eligat, ne in ſua diſpoſitione decipiatur. At Deus, in cujus poteſtate eſt, nedum gloria, quæ reddenda eſt meritis, ſed etiam ipſa bona opera, ſeu merita, quibus infallibiliter gloriam, ut coronam conſecuturi ſunt homines ab eo electi, Deo donante ſint; ipſe enim *his, quos elegit ſine meritis, dat unde ornentur ex meritis* (ut ex Auctore lib. de vocat. gentium lib. 2. cap. 35.) *Magiſque habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*, ut ex Auguſtino dictum eſt; poteſt nullâ præviâ operum prævisione homines prædeſtinare ad gloriam, & ad merita, quibus illam infallibiliter conſequantur.

LXXIV. Hoc argumentum ſibi propoſuit D. Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. cap. 8. his terminis: *Si enim vita æterna bonis operibus redditur.... quomodo gratia eſt vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur?.... An fortè vitam æternam non dixit Apoſtolus gratiam? imò verò ſic dixit.... Cùm enim dixiſſet Rom. 6.v.*23. Stipendium peccati mors, *continuò ſubjecit*: Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Cui reſpondet. *Iſta ergo quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi, niſi intelligamus, & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Et poſt multa concludit: *Itaque cariſſimi, ſi vita noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia, ſine dubio & vita æterna, quæ bona vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa etiam gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia eſt: hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro juſtitia, ut verum ſit, quoniam verum eſt*, quia reddet unicuique *Deus* ſecundùm opera ejus. Hæc Auguſtinus, quæ repetit *lib. de corrept. & gratia cap.* 13. Si ergo Deus eſt, qui præparat non ſolùm mercedem, ſed etiam op ra, quibus mercedem certò conſequamur, & utrumque in poteſtate ejus eſt; ab ipſo enim petimus non ſolùm gloriam, ſed merita; ipſi gratias agimus, non ſolùm pro gloria, ſed pro meritis, non exploravit priùs merita, antequam efficaciter decernat gloriam homini, ſed elegit eum ad gloriam, ut reddendam per merita, quæ ipſe ſuâ gratiâ daturus erat.

LXXV. Cohærenter ad hanc doctrinam S. Thomas *qu.* 6. *de veritate art.* 3. ubi quærit, an prædeſtinatio ſit certa: formans ſibi argumentum, quod eſt quartum *quòd omnis certitudo, quæ eſt cum ſuppoſitione alicujus, non eſt certitudo abſoluta ſed conditionalis, ſicut non eſt certum, ſi Sol cauſet fructum in planta, niſi cum hac conditione ſi virtus generativa in planta fuerit benè diſpoſita*. Cùmque certitudo prædeſtinationis ſupponat cauſam ſecundam; ejuſque opera, vel prædeſtinatio non habebit certitudinem, niſi

con-

conditionalem, ſicut habeo ego, quòd iſte ſalvabitur, ſi benè aget; vel ſi habet certitudinem abſolutam, hanc non habebit niſi ſuppoſitâ, & prævisâ bonâ vitâ, & cooperatione creaturæ. Cui argumento, quod eſt apud contrarios palmare, ſic reſpondet: *Ad quartum dicendum, quod cauſa ſecunda, quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubjacet: non autem eſt ita in virtutibus inferioribus reſpectu alicujus ſuperioris virtutis agentis, & ideò ordo divinæ prædeſtinationis, quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ: nihilominus tamen abſolutam habet certitudinem, etſi in exemplo inducto contrarium appareat.*

LXXVI. Secundò objiciunt, & replicant. Collatio gloriæ in tempore eſt actus externus juſtitiæ; ex Apoſtolo: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet &c. mihi Dominus in illa die juſtus judex* 2. Timoth. 4. ergo & voluntas efficax dandi eam eſt actus juſtitiæ. Conſequentia probatur. Tùm quia, cùm actus externus participet moralitatem ab actu interno, non poteſt actus externus habere honeſtatem juſtitiæ, & actus internus honeſtatem liberalitatis. Tùm etiam, nam quia collatio primæ gratiæ eſt gratuita, & ex liberalitate, etiam intentio eam conferendi debet eſſe gratuita; ergo è contra, ſi collatio gloriæ eſt ex juſtitia, etiam intentio eam conferendi erit ex juſtitia.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Ad ejus primam probationem, concedo totum: at actus internus decernens collationem gloriæ ex juſtitia, & proinde qui ſit actus volens exercere juſtitiam, non eſt illa prima intentio dandi gloriam, ſed uſus activus divinæ voluntatis movens Omnipotentiam ad conferendam gloriam propter merita. Collatio enim exterior gloriæ ſupponit in Deo duplex decretum: unum pertinens ad ordinem executivum ſupponens merita jam præviſa; aliud pertinens ad ordinem intentivum merita non ſupponens, ſed inferens: collatio igitur gloriæ honeſtatem & ſpeciem ſumit non ab actu intentivo, qui ſolùm radicaliter ad eam concurrit; ſed ab actu interno executivo, à quo immediatè imperatur. Et hoc neceſſariò dicendum eſt: quia cùm nihil poſſimus dare Deo, quod priùs ab eo gratiosè non acceperimus, *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Rom.* 11. v. 35. non poteſt erga nos exercere juſtitiam, niſi erga nos præceſſerit miſericordia; quare dum coronat merita noſtra, coronat dona ſua. Quod & ipſi adverſarii fateri tenentur, apud quos voluntas efficax dandi merita ſupponit intentionem gratuitam, ſaltem generalem, quâ vult omnes homines ſalvos fieri.

Ad ſecundam probat. nego conſequ. Nam gratia neque in intentione, neque in executione ſupponit merita; at gloria eſto in intentione merita non ſupponat, ſed inferat, in executione tamen ex meritis redditur: & propterea gloria in Scripturis dicitur gratia, & ſimul corona, ut ſuperiùs obſervatum eſt.

LXXVII. Sed contra dicta argues. Deus, ex conceſſis, de facto confert gloriam ut coronam: ſed Deus intendit dare gloriam eo modo, quo illam confert, quia nihil eſt in executione, quod priùs non fuerit in intentione; ergo eam intendit dare ut coronam, & conſequenter propter merita.

Confirmatur. Non ſtat Deum velle dare gloriam ut coronam, & eam velle dare gratis, ſeu ex liberalitate; ſicut non ſtat velle aliquid dare in pœnam, & non velle dare ex juſtitia, ſeu propter demerita.

LXXVIII. Reſpondeo, diſt. min. Eo modo, modo ſe tenente ex parte gloriæ dandæ, conc. min. modo ſe tenente ex parte Dei volentis, ſeu ex parte motivi, quo Deus vult illam dare, nego min. Deus ergo nihil exequitur in tempore, quod non fuerit ab eo ab æterno volitum, & proinde ſi in tempore dat gloriam propter me-

rita, gloria fuit ab æterno ab eo volita, ut danda propter merita: non ita tamen, ut merita, quæ ſunt motivum, ut gloria conferatur, fuerint etiam motivum, quo Deus motus fuerit ad illam primò ſic volendam. Sed bonitas ſua, quæ fuit motivum, quare his potiùs, quàm aliis voluerit dare gloriam, fuit etiam motivum, quare his potiùs, quos elegit, voluerit dare merita, quibus gloriam conſequerentur, quia & gloria, & merita ſunt ſua dona. Ad id quod additur, fateor, nil poſſe relucere in executione, quod priùs non fuerit in intentione ex parte rei volitæ, quia nihil poteſt eſſe executum, quod non fuerit præintentum; aliàs eſſet caſuale, & fortuitum, Deo autem nihil caſuale eſſe poteſt, cujus diſpoſitione omnia eveniunt: non tamen ex eodem motivo, quo res eſt executa, debet eſſe intenta. Sicut ergo Deus gloriam dat per merita, ita eam voluit dare per merita: non ita ut merita fuerint motivum volendi, ſed res ſubinde volita, non ut cauſa, ſed ut effectus. Cùm enim gloriam ut coronam non poſſit velle dare, niſi det & merita, quibus eam acquirat, ideò voluntas dandi gloriam parit voluntatem dandi merita. Sicut ſi ego mea liberalitate vellem aliquid dare amico in præmium, & ſcirem eum non habere vires ad illud acquirendum, ex hac mea gratuita voluntate oriretur in me voluntas dandi ei media, quibus illud poſſet acquirere.

LXXIX. Ad confirmat. diſtinguo. Si ly gratis cadat ſupra *dare*, concedo. Si cadat ſupra velle ſeu ſupra motivum volendi illam dare, nego. Unde cautè diſtinguendum eſt inter has duas propoſitiones: *Deus gratis vult dare gloriam: & Deus vult dare gloriam gratis*. Ex quibus prior vera eſt, quia ly *gratis* cadit ſupra motivum volendi; poſterior autem falſa, quia ly *gratis* cadit ſupra rem volitam, facitque ſenſum, quod gloria danda ſit gratis, & non propter merita. Unde Scotus ipſe in reportatis diſt. 41. qu. unic. explicans hanc propoſitionem, *Deus vult præmiare Petrum propter merita*, dicit eſſe falſam, ſi ly *propter merita* immediatè conſtruatur cum ly *vult*, veram autem ſi conſtruatur cum ly *præmiare*. Neque opponitur, Deum gratis velle dare gloriam, & velle dare eam propter merita; variatur enim appellatio, dum in uno *gratis* appellat ſupra *velle*, ly verò *propter merita* in altero appellat ſupra *dare*.

Neque eſt ſimile de pœna. Nam in tantum præmium, licèt dandum per merita, non debet ex parte Dei primò volentis illud ſupponere pro motivo merita, quia æquè ſunt effectus divinæ liberalitatis merita ipſa, quibus reddenda eſt gloria, ac ſit ipſa gloria. At cùm demerita non ſint effectus divinæ voluntatis, ſed defectus voluntatis humanæ, non poteſt à Deo intendi pœna, niſi ex parte noſtra ſupponat pro motivo demerita. Unde illud effatum: *Deus de ſuo miſericors, de noſtro juſtus*; & S. Paulus Roman. 6. v. 23. loquens de pœna peccati, ait: *Stipendia enim peccati mors*. De gloria verò, quæ eſt præmium: *gratia autem* (inquit) *Dei vita æterna*. Et S. Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 10. ait: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.... præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata... Quo circa prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi præparatio; gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus*. Si gratia eſt prædeſtinationis effectus; ergo & merita, quæ gratiam ſupponunt.

LXXX. At dices. Non poteſt ſtare, quod voluntas dandi gloriam ſit ex motivo gratuito, & quod non ſit danda ex gratia, ſed ex juſtitia: ſicut non poſſet ſtare, quod eſſet volita ex motivo juſtitiæ, & quod eſſet in executione danda gratis.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe: quia ſi gloria eſſet volita ex motivo juſtitiæ,

jam

jam merita non eſſent prædeſtinationis effectus, ſed cauſa; ideòque gloriam deberent præcedere nedum in intentione, ſed in executione. At licèt merita ſint cauſa, cur in executione gloria reddatur, in intentione tamen non ſunt cauſa, cur Deus prædeſtinet, ſed ſunt prædeſtinationis effectus: ex quo enim Deus ſuâ bonitate velit hominibus gloriam, & hanc velit illis conferre per merita, ſequitur in eo voluntas dandi gratiam, quâ ſibi merita comparare queant, & per ea gloriam conſequi.

LXXXI. Tertiò objiciunt. Gratuita prædeſtinatio ad gloriam ſtare nequit cum vera, ac ſincera voluntate ſalvandi omnes, quam ſupra ſtabilivimus contra Janſenium. Etenim ſi in eodem inſtanti, quo ſuos prædeſtinatos elegit ad gloriam, excluſit ab ea reprobos, quomodo habet voluntatem eos ſalvandi, niſi illuſoriam? ſanè eſſet illuſoria voluntas illius, qui poſtquam clauſit cubiculum non ampliùs aperiendum, foris ab eo excluſos adhuc invitaret, ut intrarent.

Secundò. Sequeretur, hâc poſitâ ſententiâ, dari prædeſtinatis occaſionem nimiæ fiduciæ, quia ſcirent, ſe electos per decretum omnino immutabile; & reprobis occaſionem omnimodæ deſperationis, quia ſcirent decreto irrevocabili ſe eſſe excluſos.

Tertiò. Non eſſe curandum de bonis operibus, neque de orationibus, & hortationibus, quia cùm prædeſtinatio ſit infallibilis, habebit effectum ſuum independenter ab illis.

LXXXII. Hæc, alia, & ſimilia oppoſita fuere Auguſtino à Semipelagianis, ut videre eſt in Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum, qui Semipelagianos ita loquentes deſcribit: *Hoc propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quòd placuit Creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis adferre, eò quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit accidere.... removeri itaque induſtriam &c.* Eadem ferè ſcribit Hilarius ad eundem Auguſtinum. Et Fauſtus Rejenſis lib. 1. de lib. arb. cap. 4. contra gratiæ defenſores, ait: *In alterutram partem ſubſidia orationis excludunt. Quid enim ultra ſperet, quem jam gratia ſuum fecit? In quo è contrario non deſperet, quem præfinitio violenta damnavit?*

LXXXIII. Retorqueri tamen poteſt contra Mediiſtas. Nonne enim Deus æquè illuderet, ſi poſtquam per ſcientiam mediam prævidiſſet, quænam gratia foret congrua, vel favorabilis, aut è contrario, quænam incongrua, & funeſta, ex puro ſuo beneplacito (ut ipſi dicunt) his gratiam congruam dare decerneret, & ſic ad gloriam eligere; illis verò gratiam incongruam, & in circumſtantiis funeſtis conferre, & eos reprobare? Quomodo quæſo cum hoc decreto ſtare poteſt voluntas ſincera ſalvandi ipſos? nonne eſſet illudere, aut non ſincerâ voluntate velle aliquos foris ſtantes cubiculum intrare clauſum; ſi poſtquam vidit, quænam clavis eſſet congrua ad aperiendum, quænam non, eis non projiceret, niſi clavem, quam ſcivit eſſe ad aperiendum incongruam?

Hanc retorſionem vidit, eâque uſus eſt Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 15. ubi relatis iis, quæ à Proſpero, & Hilario audierat dicta à Semipelagianis, qui, rejecto Auguſtiniano decreto, ad præſcientiam recurrebant: *Iſta* (inquit) *cum dicuntur, ita nos à confitenda vera Dei gratia, ideſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitenda ſecundùm eam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent, ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, ut dicat:* ſive nunc rectè vi-

vatis, ſive non rectè, tales eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit; vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos. *Numquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia Dei falſum erit, quod dictum eſt? Nonne ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſcivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate verſentur, ſi autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in noſtro Monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, reſpondebat: Qualiſcumque nunc ſim, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſcivit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: ſed uſque adeò profecit in malum, ut deſertâ Monaſterii Societate, fieret canis reverſus ad ſuum vomitum: & tamen adhuc qualis ſit futurus, incertum eſt. Numquid ergo propter hujuſmodi animas, ea quæ de præſcientia Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda; tunc ſcilicet, quando ſi non dicantur, in alios itur errores?* Hæc Auguſtinus. Quæ in hac materia præ oculis habere debet ſtudioſus.

LXXXIV. Reſpondeo igitur in omnium Catholicorum ſententia ad primum; Deum efficaciter quidem ſuis, ac ſolis prædeſtinatis Januam Regni Cœlorum aperire, ſed tamen reprobis non clauſiſſe; imò eis ſemper aperire ſufficienter, & aperiret efficaciter etiam, niſi ipſi impedimentum ponerent. Ita enim docuit D. Thomas, tùm ſuper *cap. 17. Joann. lect. 2.* ubi de Chriſti oratione loquens ait: *Chriſtus quantùm eſt de ſe pro omnibus oravit, quia oratio ſua quantùm eſt de ſe efficax eſt, ut valeat toti mundo. Sed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum.* Tum etiam 1. ad Timoth. 2. lect. 1. ubi ſuper illud 1. Joann. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris:* (dicit) *pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter, quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, ſed non habet efficaciam, niſi in electis propter impedimentum.* Videnda ſuperiùs dicta Tractatu de Voluntate; & præcipuè, quod auxilium ſufficiens omnibus à Deo collatum ad ſalutem conjungi petit cum efficaci, & de facto conjungeretur, ſi homo obſtaculum ad illud non poneret: ideòque Deus veriſſimam, ac ſinceriſſimam habet voluntatem de omnium etiam reproborum ſalute, neque ulli claudit regnum, ſed homines ſibimet claudunt; ſicut non diceretur excludere foris ſtantes à cubiculo ille, qui eis daret clavem ſufficientem, paratus etiam dare efficacem ad aperiendum, ſi eâ benè uti vellent.

LXXXV. Hinc reſpondetur ad duas alias ſubjunctas inſtantias, quæ cum S. Auguſtino nuper laudato retorqueri poſſunt contra præſcientiam quovis modo explicatam. Similes enim difficultates non proveniunt ex hoc, quòd prædeſtinatio ſit ante, vel poſt prævisa merita; ſed ex eo quòd eſt infallibile, quòd Prædeſtinatus ſalvabitur, & quòd Reprobus damnabitur, undecumque hæc infallibilitas proveniat, ſive à præſcientia, ſive à decreto. Quâ infallibilitate ſuppoſitâ ſemper opponi poteſt, quòd in prædeſtinatis foret nimia fiducia, in reprobis verò occaſio deſperationis, nec daretur amplius locus orationibus, exhortationibus &c. Quibus in omni ſententia reſpondendum eſt, quod licèt prædeſtinatus infallibiliter ſit ſalvandus, erit tamen ſalvandus per merita, quia iſta etiam ſub prædeſtinatione cadunt, & adhuc poteſt non ſalvari: & reprobus licèt infallibiliter ſit damnandus, erit tamen damnandus ob ſua demerita, & hoc non obſtante poteſt adhuc ſalvari potentiâ, non quidem poſitionis, & conſequente, ſed poſſibilitatis, & antecedente.

LXXXVI. Hiſce difficultatibus impli-

pli-

Digitized by Google

plicatus Cicero (apud D. Auguſt. *lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 9) Negabat Deo præſcientiam , ne omnia Fato evenirent : ajebat enim : *Si præſcita ſunt omnia futura , hoc ordine venient , quo ventura eſſe præſcita ſunt : & ſi hoc ordine venient , certus eſt ordo rerum præſcienti Deo : & ſi certus eſt ordo rerum , certus eſt ordo cauſarum : non enim aliquid fieri poteſt , quod non aliqua efficiens cauſa præceſſerit : ſi autem certus eſt ordo cauſarum , quo fit omne , quod fit ; Fato fiunt omnia quæ fiunt . Quod ſi ita eſt , nihil eſt in noſtra poteſtate , nullumque eſt arbitrium voluntatis .* Ita Cicero , cui S. Auguſtinus reſpondet : *Ordinem cauſarum , ubi voluntas Dei plurimum poteſt , neque negamus , neque Fati vocabulo nuncupamus .* Concedit , quod id , quod *ſemel locutus eſt Deus , intelligitur immobiliter : hoc eſt , incommutabiliter eſt locutus , ſicut novit incommutabiliter omnia , quæ futura ſunt , & quæ ipſe facturus eſt .* Et hac ratione *poſſemus à fando Fatum appellare ... Non eſt autem* (inquit) *conſequens , ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum , ideò nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio . Et ipſæ quippè noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt , qui certus eſt Deo , ejuſque præſcientiâ continetur , quoniam & humanæ voluntates in ordine cauſarum ſunt . Atque ita qui omnes rerum cauſas præſcivit , profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit , quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit .*

Ne autem Adverſarii exiſtimarent S. Doctorem loqui de præſcientia antecedente ſuum decretum , circa finem citati capitis ait : *Quapropter voluntates noſtræ tantum valent , quantum Deus eas valere voluit , atque præſcivit* (ecce præſcientiam voluntati innixam) *& ideò quidquid valent , certiſſimè valent ; & quod facturæ ſunt , ipſæ omninò facturæ ſunt , quia valituræ , atque facturas ille præſcivit , cujus præſcientia falli non poteſt .*

LXXXVII. Præterire tamen non poſſum , minorem dari occaſionem deſperationis , imò majorem occaſionem ſpei in noſtra , quàm in adverſa ſententia . Si enim Deus alicui diceret : do tibi optionem , ut tuæ ſalutis negotium , vel mihi committas , vel illius tu ipſe curam ſuſcipias , & proteſtor tibi , quod nulla tibi denegabo auxilia ad hoc neceſſaria : ſed vel dabo efficacia , vel ſaltem ſufficientia , cum quibus conjungentur efficacia , ſi obicem non poſueris . Quis , niſi omni ratione , ſenſuque carens magis vellet fidere ſibi ipſi , quàm Deo ? Diſcurſus iſte eſt D. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 11. his verbis : *ſanè cùm Apoſtolus dicat .* Ideo ex fide ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio : *miror , homines infirmitati ſuæ ſe malle committere , quàm firmitati promiſſionis Dei .* Sed incerta eſt mihi , *inquis* , de me ipſo voluntas Dei . *Quid ergo ? tua ne tibi voluntas de te ipſo certa eſt ? nec times :* Qui videtur ſtare , videat ne cadat ? *Cùm igitur utraque incerta ſit , cur non homo firmiori , quàm infirmiori fidem ſuam , ſpem , caritatemque committit ?* Et lib. de dono perſever. cap. 22. *An verò* (inquit) *timendum eſt , ne tunc de ſe homo deſperet , quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo , non autem deſperaret , ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus , & infeliciſſimus poneret ?* & demum ibidem cap. 6. ait : *Tutiores igitur vivimus , ſi totum Deo damus , non autem nos illi ex parte , & nobis ex parte committimus .*

LXXXVIII. Quartò objiciunt , varia ſecutura inconvenientia ex noſtra poſitione . Primò quia ſententia de Prædeſtinatione gratuita convenit cum hæreſi Prædeſtinatiana , de qua Gennadius *in Catal. de hæreſibus* Hincmarus Remenſis *Epiſt. ad Nicolaum Papam* . Sigebertus *in Chronico ad ann.* 415. & Fauſtus Rejenſis aſſerens , eam fuiſſe damnatam in duobus Conciliis Arelatenſi primo & Lugdunenſi .

Secundò . Sententia de Prædeſtinatione gratuitâ eadem omnino eſt cum erro-

errore Calvini. Hoc enim quod dicimus nos, nempe unicam, & adæquatam prædeſtinationis cauſam debere repeti ex ſola Dei voluntate, Calvinus quoque dicit.

Tertiò. Gratuitæ prædeſtinationis doctrina humanam libertatem evertit: hoc autem error eſt. Ant. prob. eſt enim ſuppoſitio antecedens independens à noſtro conſenſu, inferens infallibiliter merita noſtra, quod cum libertate cohærere non poteſt, quæ neceſſariò indifferentiam exigit, quâ poſſit agere, & non agere.

LXXXIX. Reſpondeo, nullum ex prællatis inconvenientibus ſequi. Ad primum de Prædeſtinatiana hæreſi, an revera fuerit, an verò hoc nomine per calumniam, aut inſcitiam traducti fuerint S. Auguſtini diſcipuli, quæritur adhuc ab Eruditis, quibuſdam eam reverà fuiſſe contendentibus, quibuſdam negantibus. Nos rem in medio reliquimus ſuperiùs qu. 2. dub. 1. §. 2. num. 5.

Verùm admiſſo, Prædeſtinatianam hæreſim extitiſſe, nego, eam cum ſententia de gratuita prædeſtinatione convenire, aut ex hâc ſequi abſurda, quæ illa aſſerebat; Deum nempe non minùs ad malum culpæ, quàm ad malum pœnæ prædeſtinare, & prædeſtinatione induci fatalem neceſſitatem, & humanam everti libertatem, imò per eam ſtatui: cum ſub prædeſtinatione cadant etiam merita, ut liberè à creata voluntate ponenda, quod ſupra *tractatu de volunt.* dum ageremus de efficacia decretorum Dei, probatum eſt. Nos enim cum Concilio Arauſicano ſecundo, ſicut dicimus Can. 18. *Nullis meritis gratiam prævenientibus debetur merces bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Ita cum eodem Can. 25. *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.*

XC. Ad ſecundum dico, tantum diſtare ſententiam de prædeſtinatione gratuita, ut aſſeritur à nobis, ab errore Calvini, quantum, juxta Adverſarios, eorum ſententia de Prædeſtinatione poſt prævisa merita diſtat ab errore Pelagianorum, & Semipelagianorum. Calvinus enim, ut ſuperiùs qu. 2. dub. 1. §. 2. adnotavimus, docuit, prædeſtinationem imponere inevitabilem neceſſitatem prædeſtinato benè operandi, ſicut & reprobationem, malè operandi. Nos cum prædeſtinatione ſalvamus integram humanam libertatem æquè ac Adverſarii cum præſcientia. Calvinus erravit, quia dixit, Deum certos homines nullâ prævisione demeritorum, ſolâ ſuâ voluntate creaſſe ad interitum, prædeſtinaſſe ad pœnam, ad damnationem, eos ad peccatum impellere, imò neceſſitando compellere. Nos dicimus Deum non prædeſtinaſſe ad pœnam, niſi ex prævisione demeritorum, ad quæ homines in tempore ſuâ defectuosâ libertate, non à Dei impulſu, patranda moventur. Sed de his ſuperiùs egimus.

XCI. Ad tertium pariter dictum eſt in *tract. de volunt.* ubi cum efficacia Decreti Divini conciliavimus, præſertim ex doctrina D. Thomæ, humani arbitrii libertatem: unde ibi dicta videnda ſunt. Et inſuper recolendum, ſimilia objecta fuiſſe D. Auguſtino, qui nunquam recurrit ad præſcientiam, quamvis eam ex ore Semipelagianorum ſemper audiret: imò conſtanter gratiam humanas prævenientem voluntates, facientem de nolentibus volentes prædicavit. Ut *lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 19. ubi ad illa verba: *nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me traxerit eum*, inquit: *Non enim ait, duxerit, ut illic aliquomodo intelligamus*

præ-

præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? & tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant: Et *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 8. *Hæc itaque* (inquit) *gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Prophetâ prædicante promiſit. Sic quippe facit filios, & vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* En igitur ex Auguſtino divinæ voluntatis energia, & efficacia non deſtruens, ſed faciens voluntatem; facit enim, non ut nolentes veniant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.

Licèt ergo prædeſtinatio gratuita infallibiliter inferat ſalutem prædeſtinati, & merita ipſius, ea tamen infert ut liberè ab eo ponenda; quia (ut dictum eſt ſupra) efficacia hæc deſcendit in voluntatem ſecundum naturam voluntatis, & faciens, nedum ut faciat, ſed ut liberè faciat, & cum indifferentia poteſtatis ad non faciendum. Quare licèt qui prædeſtinatus eſt, infallibiliter ſit benè operaturus, & ſalvandus, ut ſubeſt prædeſtinationi; abſolutè tamen poteſt non ſalvari, potentiâ non quidem futuritionis, ſed poſſibilitatis, quod in omni ſententia dicendum eſt. Videantur ſuperius dicta. Interim ad rem hanc audiendus eſt D. Thom. qu. 6. de verit. art. 3. ad 7. *Aliquid* (inquit) *poteſt dici poſſe dupliciter. Uno modo conſiderando potentiam quæ in ipſo eſt, ſicut dicimus, quod lapis poteſt moveri deorſum. Alio modo conſiderando id, quod ex parte alterius eſt, ſicut ſi dicerem, quod lapis poteſt moveri ſurſum, nonniſi per potentiam projicientis. Cum ergo dicitur prædeſtinatus iſte poteſt in peccato mori: Si conſideretur potentia ipſius, verum eſt. Si autem loquamur de prædeſtinato ſecundùm ordinem quem habet ad aliud, ſcilicet ad Deum prædeſtinantem, ſic ordo ille non compatitur ſecum iſtum eventum, quamvis compatiatur ſecum iſtam potentiam.* Pulchra ſanè doctrina! & ad intentum. Videri poteſt etiam ibi *ad octavum*. Sed hæc ſatis.

DUBIUM IV.

De effectibus Prædeſtinationis.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Diſtinguere oportet primò ſubjectum prædeſtinationis, & effectus. Subjectum eſt Perſona, ſeu Creatura Rationalis, quę tranſmittitur ad finem Beatitudinis, & cui præparantur media, ut beatitudinem conſequatur: effectus autem ſunt omnia ea beneficia gratuita, quæ voluit, & præparavit Deus illi Perſonæ, ex fine ipſam perducendi per illa ad beatitudinem: cùm prædeſtinatio ex dictis ſit *præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.*

Ex his autem, quæ poſſunt eſſe effectus, ſeu volita à Deo ex intentione prædeſtinandi, alia prodeunt quaſi elicitivè, & immediatè tanquam effectus proprii providentiæ prædeſtinativæ. Alia eliciuntur quidem à providentia inferiori, & naturali, ſed à providentia prædeſtinativa ſunt imperata ad finem Beatitudinis. Gratia enim utitur naturâ, ut ſibi inferiori, & ſubjectâ ad finem ſuum: & ſic providentia ſupernaturalis, ſeu præparativa gratiæ imperat providentiæ naturali (ex parte objecti tamen, non actus) & facit, ut res naturales, quæ ſunt ejus objectum, fiant etiam propter finem ſupernaturalem.

Quare effectus Prædeſtinationis ad tria capita reducuntur. Primò, ad effe-

fe-

Digitized by Google

ectus ſupernaturales, qui propriè, & elicitivè ad prædeſtinationem pertinent; ſicut vocatio, juſtificatio, glorificatio. Secundò, ad effectus ordinis naturalis, qui imperantur à Providentia prædeſtinativa; ut ſunt vita prædeſtinati longior, vel brevior, ſanitas, bona indoles &c. quæ effectus quidem ſunt providentiæ naturalis, ſed providentia prædeſtinativa facit, ut deſerviant ad finem ſuum. Tertiò, ad effectus prædeſtinationis reduci poteſt ipſa peccati permiſſio, quæ in prædeſtinato utilis eſſe poteſt ad finem prædeſtinationis.

Porrò, ut aliquid ſit effectus Prædeſtinationis, ſive elicitus, ſive imperatus, duæ præcipuè conditiones requiruntur. Prima eſt, quòd ſit à Deo poſitivè volitum, & effectus ejus, & non ſolùm permiſſum. Qua ratione peccatum pro formali deformitatis, & malitiæ non poteſt eſſe effectus prædeſtinationis, quia non poteſt eſſe volitum, & cauſatum à Deo. Secundò. Quod Deus velit illud ex intentione efficaci dandi gloriam. Quare defectu hujus Incarnatio, & merita Chriſti, eſto maximè conducant ad gloriam nobis obtinendam, quia tamen non ſunt volita ex intentione dandi nobis gloriam, ſed potiùs intentio dandi nobis gloriam ex ipſo Chriſto, & meritis ejus ortum habet, ideò non ſunt effectus, ſed potiùs cauſa noſtræ prædeſtinationis. His præmiſſis

§. I I.

De ſubſtantia Prædeſtinati.

II. INter effectus prædeſtinationis multi ex Noſtris ponunt ipſam ſubſtantiam, ſeu Perſonam hominis Prædeſtinati. In quo mihi diſtinguendum videtur. Aut enim volunt, quòd ſubſtantia hominis, præſuppoſita jam per providentiam creativam pro uno priori ab æterno deſtinata ad eſſe, pro alio poſteriori fuerit per providentiam prædeſtinativam ordinata ad finem ſuum, nempe gloriam: aut volunt, quòd ſubſtantia hominis prædeſtinati quo ad ſuum primum eſſe ſit effectus imperatus prædeſtinationis; ita ut providentia prædeſtinativa imperaverit productionem ſubſtantiæ hominis, quem Deus decreverat prædeſtinare, ad finem eum prædeſtinandi. Si velint primum, non diſſentio. Quidquid enim jam à Deo volitum, & exiſtens ordinatur à Deo ad finem prædeſtinationis, dici poteſt aliquo modo cadere ſub prædeſtinatione, & eſſe effectus ejus ſaltem ordinatus, & directus: atqui ſubſtantia hominis prædeſtinati ordinatur per modum ſubjecti ad conſequendam ſuo tempore gloriam; ergo poteſt dici effectus ordinatus &c. & idem dico de aliis donis naturalibus, quoad ſui primum eſſe, quæ in prædeſtinato ſunt; ut bona indoles, ſanitas, ingenium: omnia enim hæc ordinantur ad finem ipſum glorificandi. Et hoc modo intelligo illud Pauli Roman. 8. v. 28. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*. Si verò velint ſecundum.

III. Dico. Probabilius mihi eſſe, ſubſtantiam prædeſtinati ſecundùm ſe, & quoad ſuum primum eſſe de facto non fuiſſe imperatam, & volitam à providentia prædeſtinativa, ideòque neque eſſe effectum imperatum prædeſtinationis. Quod aliis terminis explico ſic. Deus non decrevit producere ſubſtantiam prædeſtinati, ut eam prædeſtinaret, ſeu ex intentione illam glorificandi. Ita ſentire videntur Aurelius, & S. Auguſt. epiſt. 197. aliàs 95. ad Innocentium. *Etſi enim* (inquiunt) *quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus... alia eſt tamen, quâ prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur:* atqui ſi ſubſtantia prædeſtinati eſſet producta ex intentione eam glorificandi, eâdem gratiâ qua prædeſtinati ſumus, eſſemus etiam creati, quod non negabat Pelagius; ergo &c. Secun-

cundò. Docet S. Auguſtinus, hominum productionem non eſſe ex meritis Chriſti. *Epiſt.* enim *aliàs* 105. modò 194. *ad Sixtum* cap. 2. *Chriſtus* (inquit) *non pro juſtis ut homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt, ut juſtificarentur*. Si autem Deus produxiſſet homines ex fine eos prædeſtinandi, jam eorum productio eſſet ex meritis Chriſti, ſicut ex meritis ipſius eſt ipſa prædeſtinatio.

IV. Præterea. Ipſe S. Thomas poſtquam hâc *qu.* 23. ſæpe dixit Prædeſtinationem eſſe quandam rationem ordinis aliquorum in vitam æternam, poſtea *qu.* 5. *de verit. art.* 8. *ad* 2. ait, quòd ordo rei præſupponit ejus eſſe; ergo prædeſtinatio ſupponit jam decretum *eſſe* ſubſtantiæ, quam prædeſtinat, ideſt quam ordinat in vitam æternam. Idem docet in 1. *diſt.* 41. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 4. dicens: *Operationi divinæ, quâ juſtificat & glorificat, præexiſtit natura, vel in proprio eſſe, vel in divina cognitione*. Ex quo infert, quòd ea, quæ prædeſtinantur, cadunt ſub electione, non autem creatio rei: at ſi creatio rei eſſet effectus prædeſtinationis, jam creatio cadere poſſet ſub electione; ergo &c. Tum etiam: nam 3. *p. qu.* 1. *art.* 3. *ad* 4. docet, quòd prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum; ergo ſupponit præſcientiam ſubſtantiæ, quam prædeſtinat. Sed clarè *in cap.* 1. *ad Roman. lect.* 3. poſtquam dixit, quòd *cum res in ſe ipſa conſtituitur, non dirigitur ex hoc ipſo in aliud: unde prædiſpoſitio conſtitutionis rei propriè prædeſtinatio dici non poteſt*, ſubjungit: *ſed quia omnia naturalia pertinent ad conſtitutionem rei ipſius, quia vel ſunt principia, ex quibus res conſtituitur; vel ex hujuſmodi principiis conſequuntur: conſequens eſt, quod naturalia propriè ſub prædeſtinatione non cadunt*.

V. Accedit etiam, quòd ſi ſubſtantia prædeſtinati eſt effectus prædeſtinationis ejus, ita etiam ſubſtantia hominis reprobati erit effectus ejus reprobationis ſaltem negativæ: & quòd ſicut unum hominem produxit, ut eum prædeſtinaret, ita etiam alterum produxerit, ut eum reprobaret, ſeu eum perpetuò excluderet à Regno. Hoc autem eſſet incidere in errorem Calvini, qui lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 6. ait: *quùm penes ipſum* (Deum) *reſideat ſalutis, ac mortis arbitrium, conſilio, nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent*.

VI. Ratione autem probatur. Nam decretum de homine producendo prius eſt decreto ipſum prædeſtinandi, quia decretum de producendo homine prius eſt decreto permittendi illius peccatum, & conſequenter prius decreto Incarnationis, & tandem prius decreto hominem prædeſtinandi; quia decretum hominem prædeſtinandi, cùm ſupponat merita Chriſti, ſupponere debet decretum mittendi Chriſtum: hoc ſupponere debet peccatum hominis: peccatum autem hominis ſupponere debet hominem, ejuſque conditionem.

Confirmatur in ſententia S. Thomæ volentis, quòd ſi Adam non peccaſſet, Verbum non fuiſſet incarnatum. Incarnatio Verbi ſupponere debet peccatum Adami prævifum, ut futurum: atqui non poteſt ſupponi peccatum Adami prævifum, ut futurum, niſi ſupponatur Adamus ut futurus; ergo decretum Incarnationis ſupponit Adamum futurum. Cùm ergo prædeſtinatio hominum, quæ unicè ex meritis Chriſti eſt, ſupponat Incarnationem jam decretam, ſi hæc ſupponit Adami ſubſtantiam jam conditam, quare eam non ſupponit prædeſtinatio? quod ſi hæc eam ſupponit, quomodo ſubſtantia, ut primò condita, poterit eſſe effectus prædeſtinationis, niſi dicamus quod effectus præcedat cauſam?

VII. Si dicas. Quòd puer tali loco naſcatur, ex quo ſtatim ſit accepturus baptiſmum; quòd habeat parentes Catholicos, à quibus ei procuretur baptiſmus ante mortem, ſunt effectus à Deo

à Deo diſpoſiti, quia illum vult ſalvum, & conſequenter quia illum prædeſtinavit; ergo nativitas, & conſequenter productio ſubſtantiæ prædeſtinati cadunt ſub prædeſtinatione, ut effectus ejus.

VIII. Si diſtinguas conſequens: ergo nativitas quantùm ad ſubſtantiam, nego conſequ. quantùm ad circumſtantias, conc. conſequ. concedimus enim, aliquas circumſtantias nativitatis eſſe imperatas, & effectus providentiæ ſupernaturalis prædeſtinativæ, quales ſunt allatæ in argumento: negamus tamen, nativitatem ipſam ſecundum ſe, cùm ſit undequaque naturalis, & prior decreto prædeſtinandi, ſupponere providentiam prædeſtinativam, & ex fine ipſius imperari.

IX. Contra eſt. Decretum illud decernens circumſtantias nativitatis pertinet ad decretum de generatione hominis; ergo prius eſt decreto prædeſtinativo; ergo ſi hoc non obſtante circumſtantiæ poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, cur non & ipſa generatio & nativitas?

X. Reſpondeo, diſt. antec. ſumtâ generatione inadæquatè, nego antecedens. Sumtâ adæquatè, & conſummativè, conc. antec. & nego conſeq. Nam generatio poteſt ſumi inadæquatè, pro ut tantum reſpicit ſubſtantiam rei genitæ, & ſic præcedit prædeſtinationem, nec eſt effectus ejus. Poteſt etiam ſumi adæquatè, & conſummativè, ut tangit omnia, quæ circumſtant nativitatem, ſeu ea, in quibus nativitas eſt ponenda: & ſic decretum de illis ponendis, cum ſit factum ex meritis Chriſti, ut quòd puer ſtatim moriturus naſcatur propè fontem; quòd parentes præſtò ſint, vel quiſquis alius, qui eum baptizet, ipsâ prædeſtinatione poſterius eſt. Hujus aptiſſimum exemplum habemus in Incarnatione. Decretum enim Incarnationis quoad ſubſtantiam præcedit omne meritum hominis etiam de congruo: Decretum autem de circumſtantiis Incarnationis, puta quòd carnem ſumat ex tali muliere, ſupponit merita B. V. ante præviſa; & quod carnem ſumat ex tali progenie, aut tali tempore, ſupponit merita Abrahæ, David, ac cæterorum veterum Patrum, ut traditur in Tractatu de Incarnatione.

XI. Ex dictis infertur, quòd dona omnia naturalia, ut indoles, ingenium, bona animi, & fortunæ, quæ in Prædeſtinatis ſunt, conducunt quidem, & in eis ſunt effectus ordinati ad eorum prædeſtinationem; non tamen ſunt quoad eorum primum eſſe imperata à Providentia prædeſtinativa.

§. III.

De Donis Supernaturalibus.

INter dona ſupernaturalia veniunt glorificatio, vocationes efficaces, ſanctificatio, vel continuata uſque ad mortem, vel interrupta, aut ſemel, aut pluriès per peccatum, & etiam vocationes inefficaces. De omnibus aliqua breviter dicemus.

XII. Dico primò. Quæcumque efficax vocatio, juſtificatio, & glorificatio ſunt in prædeſtinato effectus prædeſtinationis. Ita ex Apoſtolo Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Quibus ordinem, quo Deus prædeſtinatis præparavit gloriam, deſcribit Paulus.

Probatur etiam ſic: Quæ procedunt à Deo ex intentione efficaci dandi gloriam, ſunt effectus prædeſtinationis, quia orta ex voluntate prædeſtinandi: ſed hujuſmodi ſunt prædicta; ergo &c. Min. prob. Media ordinata ad finem, ſicut etiam conſecutio finis, procedunt ab agente ex intentione efficaci finis; ex voluntate enim efficaci medici, quâ vult infirmo ſanitatem, non ſolùm oritur, quod applicet remedia, quæ judicat efficacia ad ſanitatem, ſed tandem, ut per illa cauſetur ſanitas in infirmo: at vocatio efficax, & juſtificatio

catio continuata uſque ad mortem ſunt media efficacia ad conſecutionem Gloriæ, & glorificatio eſt ipſa conſecutio finis; ergo &c.

Eſto autem Prædeſtinatio, utpote, pars Providentiæ, ſit immediatè ſolùm de mediis, eſt tamen mediatè etiam de fine. Et rursùs: licèt vocatio, & Juſtificatio inveniantur aliquando in reprobis, non tamen cum ordinatione efficaci ad gloriam, & perſeverantiam finalem, ſicut ſunt in prædeſtinatis. Et demum: licèt vocatio ad gratiam non ordinet prædeſtinatos ad gloriam ultimatè & completè, ordinat tamen eos initiativè. Quibus præveniuntur ea, quæ objici poſſent.

XIII. Dico ſecundò. Gratia ſemel, vel ſepiùs per peccatum interrupta, & tandem per pœnitentiam recuperata pro ſemper, eſt formaliter prædeſtinationis effectus: cum hoc tamen diſcrimine, quòd ut recuperata, hoc habet ratione ſui; ut verò priùs collata, hoc habet ratione alterius. Ut aſſertio hæc intelligatur, ſupponendum eſt, quòd licèt per unum peccatum mortale gratia phyſicè deſtruatur, & pereat, ſicque dicatur interrumpi, ſemper tamen ſubſiſtit moraliter, & in acceptatione divina: quia gratia, & meritum per eam comparatum, ſemel ac à Deo per Jeſum Chriſtum eſt acceptatum, ſemper apud Deum moraliter perſeverat cum jure ad gradum gloriæ ſibi proportionatum, quem Deus ex ſumma ſua bonitate paratus eſt dare, dummodo tollatur per pœnitentiam obſtaculum peccati. Et hæc eſt reviviſcentia meritorum, quam docent Theologi in Tractatu de virtute Pœnitentiæ. His ſuppoſitis.

XIV. Prima pars, nempè, quòd gratia per peccatum recuperata ſit in prædeſtinato effectus ſuæ prædeſtinationis, patet. Quòd enim dederit Deus D. Petro auxilium, ut à peccato reſurgeret, & gratiam trinâ negatione amiſſam recuperaret, & non potiùs ſineret eum in peccato mori, ut fecit erga Judam, ex eo proceſſit, quia eum efficaciter volebat ſalvare, & conſequenter ex voluntate, quâ D. Petrum præ Juda prædeſtinaverat.

Quod verò etiam gratia non ſolùm ut recuperata, ſed etiam ut primò collata prædeſtinato, ſit in eo aliquo modo effectus prædeſtinationis, quæ eſt ſecunda pars, probatur. Quia eò ipſo quòd Deus contulit primò gratiam D. Petro cum intentione, ut eam amiſſam recuperaret per pœnitentiam, illa prima collatio gratiæ fuit à Deo volita ex animo ipſum prædeſtinandi: quia licèt phyſicè eſſet interrumpenda per peccatum, erat tamen ex una parte manſura ſemper moraliter in acceptatione divina cum jure ad gloriam; & licèt illud jus eſſet impediendum quoad effectum à peccato, tale tamen impedimentum erat auferendum; ergo dici poteſt, quòd etiam gratia, ut primò collata D. Petro, fuerit effectus prædeſtinationis ejus, non immediatè & ratione ſui, ſed ſolùm mediatè & ratione alterius, nempè pœnitentiæ futuræ; non tanquam rationis formalis, ſed tanquam puræ conditionis & removentis obſtaculum, nempè peccatum, ſine qua illud jus nunquam cum ſuo termino conjungeretur.

XV. Sed dices. Gratia primò collata Adamo in ſtatu innocentiæ non fuit effectus prædeſtinationis illius, ſed ſolùm ut recuperata per pœnitentiam; ergo neque gratia, ut primò collata aliis electis, ſi ſemel interrumpatur per peccatum.

Reſpondeo, negando conſeq. & diſparitas eſt. Gratia enim non fuit primò collata Adamo innocenti ex intentione ipſum glorificandi: Decretum enim Prædeſtinationis Adami ſupponit decretum Prædeſtinationis Chriſti, & hæc peccatum originale, & peccatum originale ſtatum innocentiæ. Unde cùm primò collata fuit Adæ, non fuit illi collata ex voluntate ipſum prædeſtinandi, neque ex vi primæ infuſionis ullum dicebat ordinem ad gloriam; ſed hunc cæpit dicere ex vi reparationis decretæ per Chriſtum; ſci-

que ſolùm ut reparata fuit effectus prædeſtinationis, & Chriſti, & Adæ. At gratia primò collata nobis cùm ſit ex meritis Chriſti, dum primò confertur prædeſtinato, ex Providentia prædeſtinativa ei confertur.

XVI. Dico tertiò. Vocationes inefficaces in electis dici poſſunt effectus prædeſtinationis illorum, non per ſe & ratione ſui, ſed occaſionaliter ſolùm, & quaſi per accidens, modo explicando. Prima pars probatur. Quia vocationes inefficaces ſive auxilia ſufficientia, quibus Deus hominem vocat, & excitat ad bonum, & quæ homo ipſe culpâ ſuâ reddit inefficacia, non habent formaliter & per ſe, quò efficaciter conferant ad prædeſtinati juſtificationem & ſalutem, ut patet: & licèt quandoque auxilia ſufficientia aliquos producant effectus, quibus peccatores prædeſtinati paulatim diſponuntur ad juſtificationem, omnes tamen hujuſmodi effectus eſſent inefficaces, niſi ſupervenirent auxilia efficacia, quibus infallibiliter converterentur. Non ergo ratione ſui, vel ſuorum effectuum vocationes inefficaces, & ſolùm ſufficientes habent, quòd ſint effectus conducentes ad finem prædeſtinationis, ſed ratione alterius, nimirum auxiliorum, & vocationum efficacium.

Secunda verò pars probatur. Quia prædeſtinati conſiderantes, quòd non conſentiendo vocationibus inefficacibus, vel eis reſiſtendo poſuerunt obſtaculum divinæ gratiæ, ſumunt ex hoc occaſionem humilitatis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum, quibus efficaciter ad gloriam perveniunt; ergo ſaltem occaſionaliter ſunt effectus prædeſtinationis.

§. IV.

De malis naturæ, pœnæ, & permiſſione peccati.

XVII. Dico primò. Mala tùm naturæ, tùm pœnæ ſunt effectus prædeſtinationis voliti à Deo prædeſtinatis ex voluntate eos ſalvandi. Prior pars de malis naturæ probatur exemplo eorum, quos Deus præmaturâ morte rapit, *ne* (ut dicitur Sap. 4. v. 11.) *malitia mutaret intellectum* eorum, *aut ne fictio deciperet animam* illorum: quod Deus fecit, quia volebat eos ſalvare.

XVIII. Altera verò pars de malis pœnæ, ſeu pœnalitatibus vitæ præſentis probatur. Etenim ea ex intentione divina ſunt effectus prædeſtinationis, quibus Deus utitur tanquam mediis, ut electos ſuos ad finem prædeſtinationis perducat; ſed ad hoc Deus ſæpe utitur malis pœnæ, cæteriſque pœnalitatibus, dicente Apoſtolo Philipp. 1. v. 28. 29. Temporales hujus vitæ pœnas eſſe in electis dona Dei, non in ſe quidem, ſed in intentione divina, quâ Deus illas præparavit, ut ex his electi purgatiores, & fortiores fiant: *In nullo* (inquit) *terreamini ab adverſariis: quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis; ſed ut etiam pro illo patiamini.* Tum etiam: quia per multas tribulationes oportet intrare in Regnum Cœlorum.

XIX. Dico ſecundò. Etiam permiſſio peccati, ſeu denegatio gratiæ efficacis in hac aut illa occaſione electis poteſt procedere ex intentione illos ſalvandi, & conſequenter eſſe effectus prædeſtinationis illorum. Probatur. Id quod Deus poſitivè vult ad bonum finale prædeſtinati, eſt volitum ad finem eum ſalvandi, & proinde effectus prædeſtinationis illius: atqui Deus ſæpe vult permittere peccatum prædeſtina-

ſtinato ad bonum finale ipſius; vult enim interdum ſubtrahere gratiam efficacem electo, ut ipſum doceat propriam miſeriam, nec eſſe in humanis viribus confidendum, ſed in ſolo Deo, qui, ut ait Apoſtolus Philipp. 2. v. 13. *Operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; & diſcant cum metu & tremore ſalutem ſuam operari, ſcientes ſine illo nihil ſe poſſe facere, & idcirco humiles fiant: ſinit quoque electos ſuos cadere, ut deinceps cautiores, & vigilantiores efficiat; ergo &c.

Hinc S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Talibus* (inquit) *Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; uſque adeò prorsùs omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Diſcunt enim in ipſa via juſta cum tremore ſe exſultare debere, non ſibi arrogando tanquam de ſua virtute fiduciam permanendi &c.* Et *de natura & gratia cap.* 28. *Deſerit* (inquit) *aliquantum Deus ut ſcias, non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe*. Et S. Gregorius *lib.* 2. *Moral. nunc cap.* 49. ait: *Unde fit, ut aliquando ſe hac eadem gratia utiliter ſubtrahat, & præſumenti menti, quantum in ſe infirmatur, oſtendat. Tunc enim verè cognoſcimus bona noſtra unde ſunt, quando hæc quaſi amittendo, ſentimus, quia à nobis ſervari non poſſunt*. Idem ait lib. 8. cap. 29.

XX. Sed dices primò. Omnis effectus prædeſtinationis eſt beneficium Dei; eſt ex meritis Chriſti; & poteſt à nobis poſtulari à Deo: ſed permiſſio peccati non eſt beneficium, ſed negatio beneficii; non eſt ex meritis Chriſti, quia Chriſtus meruit nobis gratiam, non gratiæ denegationem; neque poteſt à nobis poſtulari: quis enim à Deo poſtularet, ut ſinat, ſe in peccatum labi? ergo &c.

Reſpondeo, quòd licèt denegatio gratiæ abſolutè, & in ſe non ſit beneficium, ſed negatio beneficii, neque ſit ex meritis Chriſti; ut tamen ex divina pietate ordinatur ad majus bonum noſtrum, nempe ad majorem cautelam, humilitatem, firmiorem perſeverantiam, & etiam gratiæ incrementum, ſic eſt maximum Dei beneficium. Sicut inflictio vulneris abſolutè non eſt beneficium, ut tamen facta à medico ex intentione longioris ſanitatis, beneficium eſt. Et licèt gratia præſens ſit majus beneficium, quàm ejus denegatio, ut tamen includens majorem profectum, ac ſtabiliorem permanentiam in gratia majus beneficium eſt. Et ſic Chriſtus non meruit nobis abſolutè denegationem gratiæ: ſed gratiæ denegatio nunc, ut ordinata ad firmiorem perſeverantiam, volita eſt ex meritis Chriſti.

Quòd autem nos non poſſimus à Deo abſolutè petere ut ſinat nos in peccatum labi, inde provenit, quia voluntas noſtra non poteſt velle permiſſionem peccati, quin, utpote particulare volens, velit etiam, & ſibi complaceat in peccato. Cæterum ſub conditione, quòd denegatio gratiæ conduceret ad majorem noſtram utilitatem, & ab ipſo ita eſſet diſpoſitum, non exiſtimarem abſonum, poſſe à Deo humiliter peti, ut de nobis faciat quidquid nobis ad æternam ſalutem expediens decreverit. Sicque etiam ut nos ſuâ gratiâ privet ad tempus, quando ab eo ita diſpoſitum foret.

XXI. Replicabis tamen. Si quia permiſſio peccati eſt occaſio majoris boni in prædeſtinato poni debet inter effectus prædeſtinationis, cur non etiam peccatum ipſum poterit poni inter effectus ejuſdem, cum etiam peccatum in electo ſit occaſio majoris, & firmioris humilitatis?

Reſpondeo, permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis in electis, non quia præcisè eſt occaſio majoris boni in prædeſtinato, ſed quia eſt à Deo volita ad talem finem, ad quem ab ipſo eligitur tanquam medium; ſicut à medico eligitur inflictio vulneris, ut medium ad firmiorem ſanitatem.

Ve-

Digitized by Google

Verùm peccatum nec poteſt eſſe volitum à Deo, ſed ſolùm permiſſum, nec poteſt conducere ut medium ad majorem virtutem. Nam medium influit ad conſecutionem finis, peccatum autem potiùs revocat; & ſolùm eſſe poteſt mera occaſio, ex qua peccator gratiâ Dei ob oculos ejus peccati fæditatem ponentis adiutus, humilior fit. Quare utilitas, quæ advenit peccatori, non ex peccato eſt, ſed ex gratia Dei. Neque ſequitur, Deum volendo permiſſionem peccati, velle etiam peccatum, quod ex ipſa ſequitur. Nam peccatum licèt ſequatur poſitâ ejus permiſſione ſeu denegatione gratiæ, ſequitur ſolùm ſequelâ logicâ, non phyſicâ: unde non ſequitur, Deum volentem denegare gratiam, velle etiam peccatum; hoc enim ex ſola prava hominis voluntate ponitur, Deo ſolùm permittente.

XXII. Dices ſecundò. Non eſt prudentis proviſoris permittere majus malum ex intentione minoris boni: ſed peccatum eſt malum majus, quàm ſit bonum humilitas peccatoris, imò ipſa beatitudo; quia peccatum, utpote offenſa Dei, eſt infinitè malum, humilitas autem, & ipſa beatitudo formalis, ſunt bonum finitum; ergo &c.

Reſpondeo, quòd licèt non ſit prudentis proviſoris permittere majus malum ex intentione minoris boni, quod ſub omni ratione ſit minus, ſecùs tamen ſi illud minus bonum ut volitum à proviſore induat rationem majoris boni. In caſu ergo, eſto peccatum in ratione malitiæ, & offenſę ſit majus malum, quàm ſit bonum humilitas, & beatitudo hominis ſecundùm ſe, ſecùs tamen ut hæc ſunt volita à Deo; quia ea vult, quatenus ad bonum Univerſi conducunt. Bonum autem univerſi, quod eſt bonum divinum, majus eſt ac ſuperexcedens gravitatem offenſę. Et hac eâdem ratione etiam in naturalibus intenditur deſtructio nobilioris formæ, ut alia imperfectior inducatur, bono Univerſi ita exigente. Bonum verò quod in Univerſo conſurgit, eſt oſtenſio miſericordiæ divinæ erigentis Electum ſuum à lapſu.

XXIII. Quæres, an peccatum permitti poſſit à Deo ex præintenta pœnitentia?

Videtur quod non. Quia intentio pœnitentiæ neceſſariò ſupponit peccatum præviſum ut futurum; cùm enim eſſentialiter ſit deſtructiva peccati, non poteſt amari, niſi ſuppoſitâ præviſione peccati: ſicut quia Redemtio eſt à peccato, non potuit Deus velle redemtionem, niſi ſuppoſitâ præviſione peccati. Si autem peccati permiſſio ſupponitur præviſa ante voluntatem pœnitentiæ; ergo non poteſt eligi permiſſio peccati ex amore pœnitentiæ, & ut medium ad illam, quia media non poſſunt præviderì futura ante volitionem finis.

Rurſus. Innocentia eſt majus bonum, quàm pœnitentia; ergo Deus non potuit permittere peccatum ob pœnitentiam, ſi ob illam permiſſionem deperditur majus bonum.

XXIV. Attamen ſententiam affirmativam probabiliorem exiſtimo, ſupponendo, pœnitentiam poſſe tripliciter conſiderari. Primò. Ut virtus eſt per ſe deſtructiva peccati. Secundò. Ut eſt virtus manifeſtativa omnipotentiæ Dei, quæ parcendo, & miſerando maximè manifeſtatur. Tertiò. Ut eſt utilis ad uberiorem gratiæ conſecutionem, & finalem perſeverantiam. Licèt ergo pœnitentia ſi intendatur præcisè, ut deſtructiva peccati, debeat ſupponere peccatum præviſum, quia ſic ſolum amatur, ut bonum occaſionatum ex illo, ſecùs tamen ſi intendatur ſecundùm aliquam ex aliis duabus conſiderationibus. Cùm ergo Deus velit pœnitentiam electorum prout eſt manifeſtativa ſuæ Omnipotentiæ, & utilis ad uberiorem gratiam, & perſeverantiam ipſorum, ideo non eſt neceſſe, ut ſupponat ex parte Dei peccatum præviſum; quia licèt ſpecificativè ſumta ſit occaſionata ex peccato, reduplicativè tamen ut volita à Deo prædeſtinatis non expli-

plicat hoc munus. Et hinc patet diſparitas ad exemplum de Redemtione: Deus enim voluit Redemtionem reduplicativè, ut ſatisfactivam pro peccato, & ideò debuit ſupponere prævifionem peccati.

XXV. Ad id quod additur reſpondeo cum D. Thoma 1. part. qu. 20. art. 4. ad 4. *Quod pœnitentes, & innocentes ſe habent, ſicut excedentia, & exceſſa. Nam ſive ſint innocentes, ſive pœnitentes, illi ſunt meliores, & magis dilecti, qui plus habent de gratia; cæteris tamen paribus innocentia dignior eſt, & magis dilecta. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente, quàm de innocente, quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & ferventiores reſurgunt. Undè Gregorius dicit* (*homil.* 34. *in Evangel.*) Quod Dux in prælio eum militem plus diligit, qui poſt fugam converſus fortiter hoſtem premit, quàm qui nunquam fugit, nec unquam fortiter fecit.

Vel aliâ ratione; quia æquale donum gratiæ plus eſt comparatum pœnitenti, qui meruit pœnam, quàm innocenti, qui non meruit: ſicut centum marcha, majus donum eſt, ſi dentur pauperi, quàm ſi dentur Regi. Hæc D. Thomas.

QUÆSTIO IV.

De Reprobatione.

Reprobatio Prædeſtinationi opponitur. Quia verò oppoſitorum eadem ratio eſt, ac diſciplina, ideo ſicut Prædeſtinatio eſſentialiter ſumta nominat actum intellectus includentem actum Divinæ Voluntatis, quo vult aliquos ad gloriam admittere, eiſque media præparare; ita Reprobatio eſſentialiter in actu intellectus collocari debet, ſupponente tamen actum voluntatis, quo vult Deus aliquos à gloria rejicere modo inferiùs explicando. De hac ergo pro complemento hujus Tractatus in præſenti agemus: quærentes, an ſit, quid ſit, cauſas ejus, & demum effectus.

DUBIUM I.

An ſit Reprobatio, & quid ſit?

§. I.

Deus aliquos reprobat.

I. Veritatem hanc docent Scripturæ. *Roman.* enim *cap.* 2. *à v.* 6. de Deo loquens Paulus: *Qui reddet* (inquit) *unicuique ſecundùm opera ejus. Iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Et *cap.* 9. *v.* 22. & 23. ait: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quod aliis multis in locis teſtatur Paulus.

II. Aliquos a Deo reprobari oſtendit D. Thom. hac *qu.* 23. *art.* 3. ità diſcurrens. Deus eſt ſupremus, & univerſalis Proviſor: ad univerſalem autem Proviſorem pertinet aliquem defectum in rebus à ſe proviſis, & ſibi ſubjectis permittere, & non omnes ſuum aſſequi finem, ut videre eſt in his, quæ naturaliter contingunt: ſic enim exigit univerſitas creaturarum, ut ex illis aliquæ bonæ ſint, & dignæ præmio; aliæ pravæ, & dignæ ſupplicio, dicente Paulo 2. ad Timoth. 2. v. 20. *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Super quæ idem D. Thomas *lect.* 3. *In domo* (inquit) *una eſt una feneſtra alterâ pulchrior. Si quis ergo quærat, quare non tota domus eſt feneſtra? Ratio eſt, quia tota domus eſſet imperfecta. Similiter dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 12. Si totum corpus

pus eſſet oculus, ubi auditus? *Sic ergo dicit Apoſtolus in effectu gratiæ, quia oportuit, quod Deus manifeſtaret juſtitiam, & miſericordiam. Si enim omnes ſalvaret, eſſet ſolùm ejus miſericordia. Si omnes damnaret eſſet ſolùm juſtitia.* Et ideò volens Deus manifeſtare iram, *ideſt juſtitiam &c.*

III. Altera hinc oritur ratio, quam idem S. Doctor tradit *in 1. ad Annibald. diſt. 40. qu. un. art. 3.* his verbis: *Ordinavit ergo divina providentia ab æterno humanam naturam ad beatitudinis conſequutionem per liberum arbitrium. Quod quia deficere poteſt per ſe ipſum, à ſolo autem Deo indeficientiam habet, ideò ab æterno propoſuit, quod quoſdam permitteret deficere, quibuſdam verò auxilia apponeret, ne deficerent, ut in utriſque manifeſtaretur virtus gratiæ, & defectus naturæ.* Ex quibus concludit: *Sic ergo ab æterno fuit propoſitum Dei & reſpectu culpæ permittendæ, & reſpectu pœnæ infligendæ, & hæc dicitur reprobatio.* Ergo ſicut ad manifeſtandam virtutem gratiæ oportebat aliquos prædeſtinari; ita ad oſtendendam defectibilitatem liberi arbitrii creati, conveniens fuit aliquos reprobari.

IV. Sed dices primò. Deus habet providentiam naturalem ſupra Angelos, & tamen non tenetur in eis aliquem defectum in eſſe permittere, cum Angeli non deficiant in ſuo eſſe; ergo ratio allata non evincit.

Reſpondeo, negando conſeq. Ad providentiam enim pertinet quidem permittere aliquem defectum in rebus proviſis, ſed in eo, in quo ſunt defectibiles. Angeli autem ſecundùm ſuam naturam ſunt indefectibiles in eſſe; & ideò non tenetur Proviſor permittere, ut aliquis eorum in eſſe deficiat. At homines, habent liberum arbitrium ſuaptè naturâ moraliter defectibile, & circa finem, & circa media; & proptereà Deus ut Univerſalis Proviſor tenetur in aliquibus talem defectum permittere, & circa media eis denegando gratiam, & permittendo ut peccent; & circa finem diſponendo, ut aliqui à ſuo fine deficiant. Imò retorquetur inſtantia. Quia enim Angeli ſint indefectibiles in eſſe naturali, defectibiles tamen ſunt in operando moraliter circa finem ſupernaturalem, ideo permiſit Deus, ut aliqui Angelorum peccando deficerent, & ſic à ſuo fine ſupernaturali deciderent.

V. Dices ſecundò. De Deo Sap. 11. v. 25. dicitur: *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti;* ergo Deus nullum hominem, quem creavit odit; ergo nullum reprobat.

Reſpondet D. Thom. hâc qu. 23. art. 3. ad 1. *quod Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, in quantùm omnibus vult aliquod bonum; non tamen quodcumque bonum vult omnibus. In quantùm igitur quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.*

VI. Replicabis. Ex Apoſt. 1. ad Timotheum 2. v. 4. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri.* Et 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire ſed omnes ad pœnitentiam reverti;* ergo omnibus vult hoc bonum, quod eſt vita æterna.

Secundò. Nullus prudens excludit à conſecutione finis id, quod producit ob conſecutionem dicti finis; ſed Deus produxit omnes homines ob vitam æternam conſequendam; ergo &c.

Reſpondeo, ad primam replicam ſuperiùs in Tractatu de Voluntate Dei fusè dictum eſſe, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & nolle aliquos perire voluntate generali, & antecedente, quâ omnibus dat auxilia ſufficientia, quibus, ſi non obſtent, poſſint bene uti, & ſalvari. Non tamen omnes velle ſalvos fieri, & neminem perire voluntate efficaci & conſequente, aliàs omnes de facto ſalvarentur.

Ad ſecundam replicam dico, non eſſe contra munus ſapientis, & prudentis Proviſoris, qui ſpeciem aliquam producit ob aliquem finem, quòd aliquos à conſecutione finis excludat,

quan-

quando natura tendit defectibiliter ad illum.

VII. Dices tertiò. Deus non eſt cauſa perditionis hominum juxta illud Oſeæ 13. v. 9. *perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum;* ergo Deus neminem reprobat; aliàs ſicut dum aliquos prædeſtinat, dicitur eſſe cauſa ſalutis eorum, ſic ſi alios reprobaret, diceretur cauſa perditionis illorum.

Reſpondeo, negando abſolutè conſequ. Nam Deus prædeſtinans, cauſat non ſolùm gloriam, quæ habebitur in futuro, ſed etiam media, quæ prædeſtinato conferuntur in præſenti, & quibus ad ſalutem pervenit, nempe merita; & ideò dicit Oſeas: *ex me auxilium tuum.* At Deus reprobans, non cauſat media, quibus tendit homo ad perditionem, ſed ſolùm ea permittit. Peccata enim ſunt non à Deo, ſed à libera voluntate humana ſe ſubtrahente à Divina cauſalitate: unde homo eſt cauſa ſuæ perditionis, & ideò dicit Propheta: *perditio tua.* Eſt quidem Deus cauſa pœnæ, quam homines per peccata meruerunt in futura vita, non tamen culpæ, quâ meruerunt talem pœnam. Vide S. Tho. hac qu. 23. art. 3. ad 2.

VIII. Inſtabis. Nulli debet imputari, quod vitare non poteſt: ſed ſi Deus hominem reprobat, non poteſt iſte vitare culpam, quâ pereat, quia non poteſt gratiam adipiſci, quâ non peccet; ergo &c.

Reſpondetur ex D. Thom. laudato loco ad tertium: *Quod reprobatio Dei non ſubtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cum dicitur, quod reprobatus non poteſt gratiam adipiſci, non eſt hoc intelligendum ſecundùm impoſſibilitatem abſolutam, ſed ſecundùm impoſſibilitatem conditionatam, ſicut ſupra dictum eſt* (qu. 19. art. 3.) *quod prædeſtinatum neceſſe eſt ſalvari neceſſitate conditionatâ, quæ non tollit libertatem arbitrii. Unde licèt aliquis non poſſit gratiam adipiſci, qui reprobatur à Deo; tamen, quòd in hoc peccatum, vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit. Unde & meritò ſibi imputatur in culpam.*

IX. Dices quartò. Si in Deo daretur Reprobatio aliquorum, exiſteret in eo liber Mortis; ſicut quia datur in eo prædeſtinatio, datur in eo liber Vitæ: at hoc eſt contra D. Thom. 1. p. qu. 24. art. 1. ad 3. ergo &c.

Confirmatur. Poſitâ in Deo reprobatione poni debet, Deum prædeſtinare ad malum: hoc autem damnatum fuit à Conc. Arauſic. 2. Can. 25. & à Trident. ſeſſ. 6. Can. 17. ergo &c.

Reſpondeo, negando maj. ex eodem D Thom. citato: *Quod non eſt conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur, ſed eos, qui eliguntur. Unde reprobationi non reſpondet liber Mortis, ſicut prædeſtinationi liber Vitæ;* Quòd verò conſuetum ſit conſcribere eos, qui ad aliquid eliguntur, probat D. Thom. ibi in corpore exemplo militum, & conſiliariorum, qui olim dicebantur Patres Conſcripti.

Ad confirmationem dico, poſitâ reprobatione ſequi ſolùm, Deum prædeſtinare ad malum pœnæ, non tamen ad malum culpæ, ut ajebant Prædeſtinatiani, & poſt eos Calvinus. Et hoc damnant Arauſicani, & Tridentini Patres.

§. II.

Quid ſit reprobatio.

X. Reprobatio dividitur in negativam, & poſitivam. Negativa, ſecundum aliquos, eſt mera non electio ad gloriam. Secundum alios verò eſt actus poſitivus, quo Deus aliquos, non ſolùm non eligit, ſed actu poſitivo excludit à Gloria. Poſitiva autem eſt actus, quo aliquibus præparatur pœna, tùm damni, tùm ſenſus.

XI. Reprobationem negativam negant multi, & ii præſertim, qui volunt, Deum non prædeſtinare, niſi ex

ex prævisis meritis; ex quo conſequens eſt, nec niſi prævisis demeritis reprobare; addentes, Reprobationem negativam præſcindentem à demeritis prævisis, Patribus, & Theologis antiquis fuiſſe ignotam; & inſuper quòd, eâ positâ, ſequatur, non electos nullâ viâ poſſe ſalvari, & proinde neceſſariò damnari.

Sed immeritò. Reprobationem enim negativam indicavit ſæpè S. Auguſtinus, dum ait, aliquos in maſſa perditionis relinqui, alios ab ea erui, alios liberari, alios non; & ad Dei beneplacitum unicè referendum eſſe: ut *lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 7. lib. de prædeſt. SS. cap. 9.* & alibi. Poſt ipſum S. Thomas *hâc qu. 23. art. 3. ad 1.* ubi ait: *In quantùm Deus quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Hac autem poſitâ ſequitur ſolùm, eos, qui non liberantur, neceſſariò damnandos neceſſitate conditionatâ, non abſolutâ, ut nuper cum D. Thom. dicebamus.

An verò reprobatio negativa nullum ex parte Dei actum importet, ſed puram omiſſionem electionis ad Gloriam; an potius actum poſitivum dicat, quo Deus voluerit eos excludere, à Gloria, utrumque probabile judico. Nos tamen, qui ſuperiùs diximus, voluntatem Dei non potuiſſe circa aliquid manere ſuſpenſam, cogimur reprobationem negativam in aliquo actu poſitivo collocare; nempe in actu, quo Deus noluit aliquos à communi maſſâ perditionis liberare, ſeu voluit eos in ea relinquere.

Patet etiam, eandem reprobationem negativam à poſitiva differre; quòd iſta duplicem terminum poſitivum includat, nempe *à quo*, ideſt Regnum Cœlorum, à quo Reprobus excluditur; & *ad quem*, nempe pœnam, tum damni, tum ſenſus, quæ Reprobo præparatur. Illa verò è contra dicit ſolum terminum *à quo*, nempe Regnum Cœlorum, à quo Reprobi excluduntur, aut maſſam perditionis, à qua Deus non vult eos liberare, præſcindendo à termino *ad quem* deſtinandi ſunt. Colligitur hoc ex D. Thom. in 1. ad Annibald. diſt. 41. qu. un. art. 3. ubi hæc habet: *Voluntati divinæ de ſalute hominum duplex voluntas opponi videtur, ſcilicet voluntas de contradictorio, ſecundùm quòd vult aliquem non ſalvare: & voluntas de contrario, ſecundùm quòd vult damnari aliquem. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm ſalus gloriæ non ſit debitum humanæ naturæ. Non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo.*

DUBIUM II.

An Deus Reprobet ante, vel poſt prævisionem demeritorum.

§. I.

Error Calvini rejicitur.

I. Joannes Calvinus inter alios ſuæ Sectę errores docuit primò. Unicam, & adæquatam, tùm negativæ, tùm poſitivæ reprobationis cauſam, eſſe ſolam Dei voluntatem. Cenſuit enim, Deum independenter à prævisione cujuslibet peccati, ſive originalis, ſive actualis quoſdam Homines, & quoſdam Angelos ab æterno excluſiſſe à Regno Cœleſti, illiſque præparaſſe pœnam, tùm damni, tùm ſenſus. Docuit ſecundò. Nec Angelos, nec Homines reprobos fuiſſe creatos ad Cœleſtem beatitudinem, ſed ad æternam damnationem. Docuit tertiò. Deum, ut latum à ſe decretum exequatur, imponere eis neceſſitatem, ut peccent; imò eos poſitivè, ut peccent impellere. Totum hoc apparet ex iis, quæ habet tùm in 3. *Inſtit. cap. 23. §. 6.* ubi aſſerit, quòd Deus *conſilio, nutuque ſuo ita ordinat, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.* Tum *cap. 22. §. 6.* ubi apertè negat, Deum ex otioſa

ſa ſpecula ſpeculari merita, vel demerita. Tum in *cap. 9. ad Rom.* ubi poſtquam dixit, Deum *pro arbitrio ſuo quem viſum illi fuerit miſericordiâ dignari, in quemcumque libuerit judicii ſeveritatem ſtringere. Indurandi verbum, quum Deo in Scripturis tribuitur, non ſolùm permiſſionem, ſed divinæ quoque iræ actionem ſignificare. Quod Satan ipſe, qui intùs efficaciter agit, ita eſt ejus miniſter, ut nonniſi ejus imperio agat*. Concludit: *Corruit ergo frivolum illud effugium, quod de præſcientia Scholaſtici habent. Neque enim prævideri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, ſed ejus conſilio, & voluntate ordinari: quemadmodum & Salomon docet, non modò præcognitum fuiſſe impiorum interitum, ſed impios ipſos fuiſſe deſtinatò creatos ut perirent* (Proverb. 16. v. 4.) Idem docuerat in *cap. 1.* ejuſdem *epiſt. ad Rom.* dicens: *de modo, quo Deus hominem in vitium tradit... Certum quidem eſt, non ſinendo tantùm, & connivendo illum permittere homines prolabi, ſed juſto judicio ſic ordinare, ut tum à propria concupiſcentia, tum à Diabolo in ejuſmodi rabiem agantur, & ferantur*. Hæc Calvinus.

II. Verùm nedùm falſa, ſed impia eſt hæc doctrina. Primò. Quia evertit ordinem divinæ rectitudinis, & juſtitiæ, quæ petit, ne pœna præcedat culpam, ne pœnæ præparatio antecedat præviſionem culpæ; & ne creatura deſtinetur ad pœnam, antequam prævideatur alicujus criminis conſcia. Secundò. Quia de Deo facit crudelem tyrannum, dum ponit, Deum, ut exequatur ſuum decretum de homine perdendo, eum creaſſe ad exitium, imponendo illi neceſſitatem peccandi; eumque non permiſſivo tantùm, ſed poſitivo, & abſoluto decreto ordinare in reprobis peccatum, eos ad peccandum impellere; & hoc modo Deum ſummè ſanctum fieri auctorem peccati: quod olim Eccleſia execrata fuit in Marcionitis, Manichæis, Priſcillianiſtis, qui idipſum auſi fuerant effutire: quodque Arauſicana Secunda Synodus Can. 25. his verbis proſcripſit: *Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus: ſed ſi qui ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus*. Quod etiam abominata eſt Tridentina Synodus ſeſſ. 6. can. 17. *Si quis... dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit*. Tertiò. Tandem divinæ miſericordiæ injurioſa, quæ omnes ad pœnitentiam expectat, quæ nullum perire vult; imò omnes ſalvos fieri, ut ſuperius oſtendimus. Injurioſa etiam Chriſto, qui pro omnibus mortuus eſt, qui ſe dedit redemtionem pro omnibus, ut fuse *Tract. de Voluntate* probavimus.

III. Dices tamen primò. D. Petrus act. 2. v. 23. de Chriſto: *Hunc* (inquit) *definito Dei conſilio, & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis*; Ergo Deus definito conſilio Judæos reprobos impulit ad Deicidium. Rursùs: Deus dicitur excæcare Joann. 12. v. 39. & 40. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos*. Item: Exodi cap. 7. v. 3. de Pharaone dicit Deus: *Sed ego indurabo cor ejus... & non audiet vos*. Quid autem eſt excæcare mentem, quid indurare cor, niſi ſtatuto conſilio prædeſtinare ad malum?

IV. Reſpondetur ad primum, exponendo Petri dictum: *Definito Dei conſilio* de Redemtione, concedo. De Deicidio, nego. Vox autem illa *traditum*, non refertur ad Judæos, ſeu *iniquos*; itaut ſenſus ſit, iniquos definito Dei conſilio Chriſtum intereniſſe; ſed refertur ad Deum Patrem, qui *definito conſilio* tradidit Filium ſuum pro humani generis Redemtione, quamvis permiſerit iniquitatem Judæorum, ut ſtatum ab æterno de Filii

morte decretum exequeretur. *Eadem actio* (inquit D. Thom. 3. par. qu. 47. art. 3. ad 3.) *diverſimodè judicatur in bono, vel in malo, ſecundùm quod ex diverſa radice procedit. Pater enim tradidit Chriſtum, & ipſe ſemetipſum ex charitate: & ideò laudantur. Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæſarem: & ideò ipſi vituperantur.*

V. Ad ſecundum, diſt. ant. Dicitur excæcare, obdurare, infundendo malitiam, vel impellendo ad peccatum, nego ant. Subtrahendo, & non largiendo gratiam, conc. ant. Deus reprobos excæcat, indurat, non infundendo, aut cauſando malitiam, vel illos ad peccandum poſitivè impellendo; ſed excæcatio, & induratio in hoc poſita eſt: Primò. Quòd Deus non velit reproborum miſereri, *ut obduratio Dei ſit nolle miſereri: ut non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior; ſed tantùm quo ſit melior non erogetur*. Ita S. Auguſt. *lib. 1. de div. quæſt. ad Simplician. qu. 2.* Secundò. Quòd eos deſerat: ita idem S. Doct. tract. 53. in Joann. *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Quia excæcationem, & obdurationem eorum pravas voluntates meruiſſe ibidem docet. De his autem, qui ſic ſuâ culpâ deſerti non adjuvantur, dicitur, quòd non poſſunt credere, ſed potentiâ tantum futuritionis, non poſſibilitatis, ut ſuperiùs *Tract. de Volunt.* oſtenſum eſt.

VI. Sed inſtabis. S. Auguſtinus *lib. de gratia, & lib. arb. cap. 20.* apertè dicit: Malorum hominum voluntates à Deo ad malum inclinari, & demonſtrat exemplo Pharaonis: *Sicut eſt* (inquit) *induratio Pharaonis, cujus & cauſa dicitur, ad oſtendendam in illo virtutem Dei.* Quare dixerat ante, quòd *Scriptura divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verùm etiam illas, quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quò voluerit, quandò voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas &c.*

VII. Reſpondeo, D. Auguſtinum non velle, Deum malas hominum voluntates inclinare ad malum, ſed ſuâ poteſtate uti malo, quòd in ipſis permittit; vel ad eorum pœnam, *nam* (inquit) *invenimus aliqua peccata etiam pœnas eſſe aliorum peccatorum*, ut conſtat in Pharaone; vel etiam in beneficium aliorum: unde poſt multa, ait: *Ecce quo modo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic uſus eſt Judâ tradente Chriſtum: ſic uſus eſt Judæis crucifigentibus Chriſtum. Et quanta inde bona præſtitit Populis credituris? Qui & ipſo Diabolo utitur peſſimo, ſed optimè, ad exercendam, & probandam fidem, ac pietatem bonorum &c.* Quare Deus non inclinat ad malum, ſed voluntate malâ utitur ad bonum.

VIII. Dices ſecundò. Reprobi neceſſariò damnantur: ſi enim poſſent ſalvari, latum de eorum reprobatione decretum fruſtrari poſſet ſuo effectu.

Si reſpondeas ex ſæpè dictis, quòd reprobatus neceſſariò quidem damnabitur neceſſitate conſequentiæ, cum infallibilis ſit hæc conſequentia: Judas ab æterno reprobatus eſt; ergo damnabitur. Non tamen neceſſitate conſequentis, quia verum non eſt dicere: Judas ab æterno reprobatus eſt; ergo neceſſariò damnabitur; damnabitur enim liberè, quia nempè liberè peccando volet damnari: poterit enim converti ad Deum, poterit ſtare in juſtitia, quamvis, aut de facto non ſit convertendus, aut non perſeveraturus uſque in finem, ſi convertatur: quod benè ſalvat decretum Dei de ejus reprobatione non eſſe fruſtrandum ſuo effectu, & hominem adhuc non neceſſariò, ſed liberè damnari.

IX.

IX. Replicabis. Ille neceſſariò damnatur, pro cujus ſalute non poſſem orare, ſi latum de ejus reprobatione decretum mihi, Deo revelante, fieret notum: atqui revera non liceret mihi orare pro ſalute alicujus reprobi, ſi mihi revelatum eſſet decretum de ejus reprobatione; ergo &c. Maj. patet. Ideò enim in illo caſu non liceret orare pro ſalute illius reprobi, quia certò ſcirem, eum non poſſe ſalvari. Min. vero eſt Auguſt. qui lib. 21. de civit. Dei cap. 24. ſic ait: *Si de aliquibus ita certa eſſet* (Eccleſia) *ut qui ſint illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo; tàm pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus &c.*

X. Reſpondeo tamen, neg. maj. ad prob. nego iterum ant. non enim in illo caſu non liceret mihi orare pro ſalute illius reprobi, quòd ille non poſſet abſolutè conſequi ſalutem; ſed quòd illâ revelatione tolleretur à me ſpes obtinendi à Deo pro illo media efficacia ad ſalutem, nempè, aut actualem ejus converſionem, aut finalem perſeverantiam. Objectum enim ſpei (ut in Tract. de Spe) eſt bonum futurum, non merè poſſibile.

Addo, quòd licita in eo caſu non eſſet oratio, quia qui tunc pro illo oratione particulari oraret, videretur, Deum velle facere mendacem. Nam Deus diceret: Petrus actu damnabitur; orans verò pro ejus ſalute Deo diceret: fac ne Petrus actu damnetur, hoc eſt, falſum redde, quod à te revelatum eſt.

§ II.

Recenſentur Opiniones.

XI. Rejecto Calvini errore, referendæ ſuperſunt, quæ inter Catholicos circumferuntur opiniones. Eſtius, ac Sylvius damnant quidem Calvinum ponentem, reprobationem poſitivam antecedere præviſa demerita: ſed contendunt, reprobationem negativam, tùm in Angelis, tùm in Hominibus antecedere omnem demeritorum præviſionem. Huic ſententiæ adſtipulantur plures ex Thomiſtis diſtinguentes inter reprobationem negativam, quæ eſt excluſio à Gloria, ut à beneficio indebito, & reprobationem poſitivam, quam dicunt eſſe voluntatem infligendi pœnam, & damni, & etiam ſenſus. Hinc ſecundam ponunt dependenter à præviſis demeritis. Primam dicunt factam antecedenter ad omnem demeritorum præviſionem. Cui opinioni favere videtur D. Thomas ſupra relatus *in 1. ad Annib. diſt. 41. qu. un. art. 3. & qu. 6. de verit. art. 2. ad 9.* ubi oſtendit diſcretionem Reproborum ab Electis eſſe rationabilem: nam *per hoc ipſum, quod eſt non habere debitum ad hoc, quod eis gratia conferatur, rationabiliter poſſum velle denegare, aliquid alicui, quod ſibi non debetur.*

XII. Ludovici verò Molinæ Sectatores, omneſque qui contendunt, electionem ad Gloriam non eſſe factam, niſi poſt merita præviſa, conſequenter etiam dicunt, reprobationem ſive negativam, ſive poſitivam factam eſſe dependenter à præviſione demeritorum. Concipiunt enim, Deum in reprobando, tum aliquos ex Angelis, tum ex hominibus hunc ordinem ſervaſſe. Primò Deus (inquiunt) Angelos, & homines decrevit in ſtatu gratiæ condere cum ordinatione ad Regnum Cœleſte. Secundò ſtatuit utriſque conferre gratiam actualem, cujus uſus penderet ab eorum libera acceptatione. Tertiò. Prævidit, Angelos apoſtatas eâ gratiâ benè uſuros non eſſe, & proinde caſuros. Quartò. In pœnam hujus lapſus ſtatuit eos excludere à Regno Cœleſti, & detrudere ad tartara cruciandos.

Circa homines verò dicunt, Deum poſt hominem conditum in juſtitia originali, & gratiâ illius ſtatus, prævidiſſe ejus lapſum; quo præviſo ſtatuiſ-

tuiſſe illi & ejus poſteris dare Redemtorem, & ex ejus meritis auxilium verſatile, ſufficiens tamen ad recuperandum amiſſæ juſtitiæ ſtatum, & perſeverandum uſque in finem. Cùmque prævidiſſet, ab aliquibus tale auxilium non acceptandum, hos eâdem ratione, quâ Angelos Apoſtatas, à Regno Cœleſti excluſiſſe, illiſque in pœnam peccatorum, in quibus prævisi ſunt morituri, præparaſſe perpetuam tùm damni, tùm ſenſus pœnam. Porrò quænam ex duabus recenſitis opinionibus nobis magis arrideat, in ſequentibus exponemus.

§. III.

Reſolutio de Reprobatione poſitiva.

XIII. Dico primo. Reprobatio poſitiva, pro ut eſt ſtatutum Dei infligendi pœnam æternam, tùm damni, tùm ſenſus reprobo, ſupponit prævisionem demeritorum. Ita omnes Catholici contra Calvinum ſupra rejectum; alioquin fieret Deus nimis crudelis, ſi vellet homines ad pœnam deſtinatos, abſque prævia eorum demeritorum prævisione; fieretque inſuper cauſa poſitiva influens, & volens eorum peccata; quod eſto Calvinus non renuat, nos tamen horremus vel cogitare.

Ratio inſuper eſt; quia voluntas puniendi ſupponit culpam, ut motivum: eſt enim voluntas exercendi juſtitiam punitivam, quæ ſupponere debet debitum puniendi, hoc autem fundatur in culpa, ideòque debet culpam ſupponere. Cùm ergo reprobatio poſitiva ſit voluntas infligendi pœnam, eſt voluntas exercendi juſtitiam punitivam, & conſequenter debet ſupponere culpam.

XIV. Hinc patet differentia inter damnationem, & Gloriam; cur Gloria, eſto danda ut præmium, intendatur ante merita prævisa; damnatio autem quatenus infligenda ut pœna, non poſſit intendi niſi ex prævisis demeritis. Nam primò. Gloria eſt maximum beneficium, ideòque eis non fit injuria, etſi præparetur ante prævisa merita: at pœna reprobo eſt maximum malum, quod ſine injuria nequit præparari abſque demerito. Secundò. Gloria eſt per ſe bona, & per ſe à Deo volibilis: at pœna eſt bonum occaſionatum ex malo, nempe ex culpa, ideòque non eſt volibilis, niſi ob culpam. Tertiò. Deus qui dat Gloriam, dat etiam merita; imò ex volitione dandi Gloriam oritur volitio meritorum; At Deus qui dat pœnam, non dat culpam, cui debetur pœna; unde voluntas pœnæ debet ſupponere prævisam culpam ab homine ponendam.

XV. Colligitur hæc veritas ex Concilio Arauſicano Secundo cap. 13. ubi dicitur: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem. In electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione verò periturorum meritum malum præcedere juſtum judicium Dei.* Quod dixerat S. Auguſt. lib. 3. contra Julian. cap. 18. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus. Poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt. Non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Unde D. Thom. in cap. 9. *ad Roman. lect.* 2. in fine aſſignans differentiam reprobationis à prædeſtinatione: *Prædeſtinatio* (inquit) *importat præparationem meritorum, quibus pervenitur ad Gloriam: ſed reprobatio non importat præparationem peccatorum, quibus pervenitur ad pœnam. Et ideò præſcientia meritorum non poteſt eſſe aliqua ratio prædeſtinationis, quia merita præſcita cadunt ſub prædeſtinatione: ſed præſcientia peccatorum poteſt eſſe aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis; inquantùm ſcilicet Deus proponit, ſe puniturum malos propter peccata, quæ à ſeipſis habent, non à Deo. Juſtos autem proponit ſe præmiaturum propter merita, quæ à ſeipſis non habent. Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantùm in me auxilium tuum. Hæc D. Thomas.

Digitized by Google

§. IV.

De Reprobatione negativa.

XVI. DE hac major difficultas eſt, an habuerit pro motivo, ſi non culpam actualem, & perſonalem, ſaltem culpam originalem: & hanc non ſolùm in iis, qui moriuntur cum culpa originali, quia ſine baptiſmo; ſed etiam in iis, qui per baptiſmum renati, & ab originali liberati, per peccata ſubſequentia damnantur; an verò reprobatio negativa fuerit pura denegatio Gloriæ, & excluſio à Regno, ut à beneficio indebito, ante quamcumque demeritorum prævisionem. Quia in re diviſos reperio Noſtrates, ideòque officium potiùs Diſcipuli audiendo, quàm Magiſtri ſtatuendo implere vellem. Attamen ut in re adeò aſpera aliquid dicam.

XVII. Suppono, peccatum originale, ſicut fuit ſufficiens motivum, cur Deus totum genus humanum à Regno excluderet, ita fuiſſe motivum ſufficiens, ut ſuppoſitâ miſericordi aliquorum liberatione, & electione ad Gloriam per Chriſtum, aliquos in maſſa perditionis relinqueret, eoſque à Cœleſti Regno excluderet. Probatur. Quia peccatum originale reddidit hominem peccatorem privatum gratiâ, odio dignum, & à Regno excluſum; ergo cum aliàs reprobatio hominum, utpote facta poſt electionem Chriſti Redemtoris, ſuppoſuerit peccatum originale jam prævisum, fuit ſufficiens ratio, quâ Deus in pœnam illius aliquos homines à Gloria excluderet. Ex vi namque præfati peccati facti fuerant omnes homines debitores æternæ mortis. Quòd ſi non omnes voluit punire, ſed aliquos miſericordi dignatione liberare, gratia fuit Mediatoris; cum quo ſtat, quòd alios non liberare injuſtitia non ſit: quia ex pluribus debitoribus poteſt creditor uni gratiosè condonare debitum, & ab alio ex juſtitia exigere integram debiti ſolutionem.

XVIII. Suppono etiam, motivum reprobandi parvulos, qui moriuntur ſine baptiſmo, de facto fuiſſe ſolum peccatum originale. Labor eſt in reſolvendo, an etiam in iis, qui damnantur non ſolùm ob originale, ſed etiam ob actualia, & perſonalia peccata, ratio & radix, nedum ſufficiens, ſed actualis, efficax, & adæquata illos reprobandi, & excludendi à Gloria fuerit peccatum originale: & hoc tam in adultis, qui moriuntur, & damnantur ſine baptiſmo, quàm in iis, qui poſt baptiſmum ſuſceptum alia peccata patrarunt, & damnantur.

XIX. Noto tamen pro pleniori hujus intelligentia, quòd electio ad Gloriam, & excluſio à Gloria dupliciter conſiderari poſſunt. Vel abſolutè, & in generali, quatenus aliqui ex hominibus ſunt ad Gloriam electi, aliqui ſunt ab ea excluſi. Vel comparativè, & in particulari, quatenus comparando in particulari homines ad invicem, unus potius, quàm alius ad Gloriam eligitur, vel à Gloria excluditur. Hanc diſtinctionem accipimus à Divo Thoma in *cap. 6. Joann. lect. 5.* ubi exponens dictum Chriſti *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, ait: *Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat; ſed ei, qui non accipit. Quare autem non omnes a averſos trahit, ſed aliquos, licèt ſint omnes æqualiter averſi, ratio quidem in generali poteſt adſignari: ut ſcilicet in iis, qui non trahuntur appareat, & refulgeat ordo divinæ juſtitiæ, in illis autem, qui trahuntur, immenſitas divinæ miſericordiæ. Quare autem in ſpeciali trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis divinæ. Unde dicit Auguſt. Quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, nolì velle judicare, ſi non vis errare.* His à noſtro Doctore Angelico acceptis, & ſuppoſitis.

XX. Dico primò. Ratio, quæ movit

vit Deum ad aliquos abſolutè excludendos à Gloria, ſeu reprobandos negativè fuit peccatum originale. Probatur ex Script. *Roman.* 9. ubi reprobatio exprimitur ab Apoſtolo nomine *Odii*: reprobi inſuper vocantur *vaſa iræ apta in interitum*. In reprobato autem, quid invenit, quod odiſſet Deus? Certè non naturam hanc enim Deus ipſe fecit: nam Sapientiæ 11. v. 25. de Deo dicitur: *nihil odiſti eorum quæ feciſti*. Neque etiam propter naturam potuit reprobus eſſe vas, ſeu objectum iræ Dei. Remanet ergo, quod fuerit objectum odii, & iræ Dei propter peccatum, non quidem actuale, quia ab Apoſtolo deſcribitur Eſau reprobatus, antequam quidquam mali præviſus fuiſſet acturus; ergo propter peccatum originale, quo tota natura humana vitiata facta fuit objectum odii, & iræ Dei. Quare Auguſt. Epiſt. 194. aliàs 105. ad Sixtum cap. 6. *Si* (inquit) *Vaſa ſunt iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem, quę illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò, juſtèque damnavit. Si autem vaſa ſunt miſericordiæ, quibus ex eadem maſſa factis ſupplicium debitum reddere noluit, non ſe inflent, ſed ipſum glorificent, qui eis miſericordiam non debitam præſtitit.* Et cap. 8. *Quid enim* (ait) *diligebat in Jacob antequam natus feciſſet aliquid boni; niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau antequam natus feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret juſtitiam, quam nullam ille fecerat: neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe fecerat.*

XXI. Hoc idem confirmat S. Doctor. *lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagianorum ad Bonifacium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum cap. 7.* dicens: *Ubi autem dicitur; ergo cui vult miſeretur, & quem vult obdurat; qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: bonum quidem immeritò, & gratis datur, quia ex eadem maſſa eſt, cui non datur; malum verò merito, & debitum redditur, quia in maſſa perditionis malum malo non malè redditur; & ei cui redditur, malum eſt, quia ſupplicium ejus eſt; ei verò à quo redditur, bonum eſt, quia rectè factum ejus eſt. Nec ulla eſt acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur.* Et adducto exemplo duorum parvulorum, quorum unus baptizatur antequam moriatur, alter non: *Quid* (inquit) *reſtat quantùm ad baptizatum adtinet, niſi gratia Dei, quæ vaſis factis in honorem gratis datur; quantùm autem ad non baptizatum, ira Dei, quæ vaſis factis in contumeliam pro ipſius maſſæ meritis redditur?* Inde ad Pelagianos converſus: *vos* (inquit) *videritis, qui non vultis eſſe originale delictum.* Videndus eſt S. Doctor *lib. de corrept. & gratia cap. 7. de dono perſever. cap.* 8. nimis enim in longum iremus, ſi omnes Auguſtini textus in materia, in qua perpetuus eſt, huc adducere vellemus.

XXII. S. Auguſtino ſubſcribit Sanctus Thomas, tum in *cap. 9. ad Rom. lect.* 3. dicens: *Si aliquis duobus æquè ipſum offendentibus uni dimittat offenſam, & non alteri, eſt miſericors uni, & juſtus ad alterum, neutri verò iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi naſcantur obnoxii, quos Deus per ſuam gratiam liberat, ſolâ miſericordiâ liberat: & ſic quibuſdam eſt miſericors, quos liberat, quibuſdam autem juſtus, quos non liberat, neutris autem iniquus.*

Tùm 1. *part. qu. 23. art. 5. ad 3.* ubi docet, manifeſtationem duplicis attributi miſericordiæ, & juſtitiæ eſſe cauſam, cur licèt omnes homines ſint æquales, & ſecundùm naturam, & ſecundùm peccatum originale (ut in argumento opponebatur) unum tamen Deus prædeſtinet, alterum reprobet, dicens: *Voluit igitur Deus in hominibus quantùm ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ, parcendo & quan-*

& quantùm ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat. Et hanc cauſam aſſignat Apoſtolus ad Rom. 9. dicens: Volens Deus oſtendere iram, *ideſt vindictam juſtitiæ;* & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, *ideſt permiſit* in multa patientia vaſa iræ apta in interitum... & 2. *Timoth.* 2. In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea; ſed etiam lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Hæc D. Thomas.

XXIII. Ex quibus ſic diſcurro. Prædeſtinatio ad Gloriam facta eſt per modum miſericordiæ parcendo; rejectio verò à Gloria, quæ eſt reprobatio negativa, facta eſt per modum juſtitiæ puniendo, &, ut ait Apoſtolus, iram, & vindictam manifeſtando: ſed in eo inſtanti, & ſigno, quo facta eſt prædeſtinatio, & reprobatio, ſeu diſcretio electorum à reprobis, nihil erat, ob quod Deus poſſet parcere, vel punire, niſi originale peccatum: Cùm enim in eodem ſigno, quo facta eſt prædeſtinatio aliquorum, facta fuerit reprobatio aliorum, prædeſtinatio autem facta ſit ante merita, vel demerita perſonalia prævisa, & ſi parcendo facta eſt, hoc eſſe non potuit niſi peccatum originale condonando: ita reprobatio ante peccata perſonalia facta fuit, & ſi puniendo facta eſt, hoc eſſe non potuit, niſi puniendo peccatum originale.

XXIV. Dico ſecundò. Reprobatio in particulari, ſeu comparativa, nempè unius præ alio, non habuit aliam cauſam, quàm divinum beneplacitum. Ita S. Thomas loco ſupra citato ex *cap. 6. Joann. lect. 5.* ubi poſtquam dixit poſſe quidem aſſignari rationem, cur aliquos Deus reprobet, non autem cur reprobet hos præ illis, ſubjungit exemplum artificis, dicens: *Nam aſſignari poteſt ratio, quare ponit aliquos lapides inferiùs, & aliquos ſuperiùs, & aliquos ex lateribus, ex diſpoſitione domus, cujus complementum hoc exigit. Sed quare hos lapides hìc ponat, & hos ibi, dependet à ſua ſimplici voluntate. Et inde eſt, quod prima ratio diſpoſitionis refertur ad voluntatem artificis.* Et rurſus 1. *part. qu.* 23. *art.* 5. *ad* 3. poſt verba ſuperiùs laudata proſequitur: *Sed quare hos elegit in Gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem, unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem (tract. 26.)* Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. *Sicut etiam in rebus naturalibus poteſt aſſignari ratio, cùm prima materia tota ſit in ſe uniformis, quare una pars ejus eſt ſub forma ignis, & alia ſub forma terræ à Deo in principio condita, ut ſic ſit diverſitas ſpecierum in rebus naturalibus. Sed quare hęc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & illa ſub alia, dependet ex ſimplici divina voluntate; ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia, quamvis ratio artis habeat, quòd aliqui ſint in hac, & aliqui ſint in illa. Neque tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inęqualibus præparat. Hoc enim eſſet contra juſtitiæ rationem, ſi prędeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus, vel minus, dummodò nulli ſubtrahat debitum, abſque præjudicio juſtitiæ. Et hoc eſt, quod dicit Pater familias Matth. 20 Tolle, quod tuum eſt, & vade, an non licet mihi quod volo facere?* Quibus S. Magiſtri verbis, nedùm apparet, noſtram aſſertionem ejus mentem germanè aſſequi; verùm etiam ab eodem ratione, exemplíſque abundè probatam eſſe.

§. V.

Objecta contra dicta.

XXV. CONtra primam aſſertionem obſtat primò D. Paulus, qui *Rom.* 9. Non minus excludit demerita à reprobatione, quàm merita à prædeſtinatione: *Cùm* (inquit) *nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali... non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*; Ergo ſicut electio ad Regnum eſt ante præviſa merita, ita rejectio à Regno erit ante præviſa demerita.

XXVI. Confirmatur. Paulus reprobationem negativam reducit in ſolam Dei voluntatem. Cùm enim contra ſe objeciſſet v. 14. *Nunquid iniquitas apud Deum?* non reſpondet, non eſſe apud Deum iniquitatem, quia reprobat ſecundùm demerita ſaltem originis, ut reſpondere debuiſſet; ſed confugiens ad ſupremam Dei voluntatem, & dominium: *Miſerebor* (inquit v. 15.) *cujus miſerebor*: & concludit v. 16. *igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis, eſt Dei.* Quod confirmat exemplo Pharaonis v. 17. *dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.* Quaſi diceret: ſicut calamitatum, quibus afflictus eſt Pharao, non eſt quærenda alia cauſa, quàm manifeſtatio ſuæ virtutis, & ſui nominis Gloria; ita reprobationis quorumdam, alia cauſa quærenda non eſt. Quia verò reſpondere adhuc quis poterat: ſi Deus ſolâ ſuâ voluntate homines reprobat, cur conqueritur de reprobis, ſi propriæ ſaluti operam dare negligunt? *Dicis itaque mihi* (v. 19.) *Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Indignatus, ſic loquentem increpat. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quare me feciſti ſic?* Et in exemplo Figuli ſiſtens proſequitur: *An non habet poteſtatem Figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Sicut ergo Figulus ex mera ſua voluntate facit ex eadem maſſa aliud vas in uſus honorabiles, aliud in uſus viles; ita Deus *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ preparavit in Gloriam.*

XXVII. Reſpondeo, S. Paulum, tàm in argumento, quàm in confirmatione non contradicere noſtræ primæ aſſertioni, ſed potiùs confirmare ſecundam, toto enim illo capite nono agit de electione, & reprobatione comparativâ. Quærit enim, cur Eſau potius, quàm Jacob, qui æqualiter erat reus, fuerit reprobatus; ſicut cur Judæi potius fuerint reprobati, quàm Gentes. Hanc autem reprobationem comparativam, non aliam habere cauſam, quàm divinam voluntatem, quæ ex duobus æqualiter origine reis, unum ſuâ dilectione liberavit, alium juſto odio proſecutus fuit, in ſecunda aſſertione diximus. Cum quo tamen ſtat, quòd cauſa radicalis, quare ex illis duobus unum reprobavit, fuerit peccatum originis. *Circa enim electionem bonorum, & reprobationem malorum duplex quæſtio poteſt moveri* (ait D. Thom. in dictum cap. 9. ad Roman. lect. 4.) *una quidem in generali, quare Deus velit quoſdam indurare, & quorumdam miſereri. Alia verò in ſpeciali, quare velit hujus miſereri, & hunc, vel illum indurare. Et poteſt quidem ratio hujus quæſtionis aſſignari. Secunda autem quæſtionis non poteſt aſſignari, niſi ſimplex Dei voluntas. Cujus exemplum patet in rebus humanis. Si enim aliquis ædificare volens haberet multos lapides ſimiles, & æquales congregatos, poſſet ratio aſſignari, quare quoſdam ponat in ſummo, & quoſdam in imo ex, parte finis; quia*

ad

ad perfectionem domus, quam facere intendit, requiritur, & fundamentum quod habet lapides in imo, & cacumen parietis, quod habet lapides in ſummo. Sed quare ponat hos lapides in ſummo, & hos in imo, non habet aliquam rationem, niſi quia artifex voluit.

XXVIII. Inferiùs autem ad exemplum Figuli, & Vaſorum, quo utitur Apoſtolus: *Conſiderandum eſt* (inquit) *quod ſi aliquis artifex ex materia vili faciat vas pulchrum, & nobilibus actibus accomodatum, totum adſcribitur bonitati artificis, puta ſi ex luto faciat ſcutellas, & urceos ad nobilem menſam decentes. Si verò ex vili materia puta ex luto faciat vas accommodatum vilibus uſibus, puta coquina, vel hujuſmodi officiis, non poſſet vas conqueri, ſi rationem haberet. Poſſet enim conqueri, ſi ex materia pretioſa, quæ prajacet artificis operationi, puta ex auro, & lapidibus pretioſis faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex ſua materia, quia, ut dicitur Geneſ.* 2. fecit Deus hominem de limo terræ. *Sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intravit. Et ideò homo luto meritò comparatur, Job.* 30. comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum favillæ & cineri. *Unde quidquid habet homo debet bonitati divinæ quaſi peritiæ Figuli adſcribere Iſaiæ* 64. Nunc Domine Pater es tu, nos verò lutum, & fictor noſter tu, & opus manuum tuarum omnes nos. *Si verò Deus hominem ad meliora non promoveat, ſed in ſua infirmitate eum dimittens, deputat eum ad infimum uſum, nullam ei facit injuriam, ut poſſit juſtè de Deo conqueri.*

Rursùs ad illa verba: *An non habet poteſtatem &c.* ait: *Figmentum ideſt vas fictile non poſſet dicere Fictori, quid me feciſti ſic: quia Figulus liberam poteſtatem habet ex materia luti facere quodcumque ſibi placuerit. Unde dicit:* An non habet poteſtatem, *ſcilicet liberam, Figulus luti, qui ſcilicet operatur in vili materia, ex eadem maſſa, ſcilicet vilis materiæ facere abſque alicujus injuria,* aliud quidem vas in honorem, *ideſt in honorabiles uſus,* aliud verò in contumeliam, *ideſt in uſus viliores .... & ſimiliter Deus liberam poteſtatem habet facere ex eadem corrupta materia humani generis, ſicut ex quodam luto nulli faciendo injuriam, quoſdam homines præparatos in Gloriam, quoſdam autem in miſeria derelictos.* Hucuſque D. Thomas adeò clarè noſtram ſententiam expreſſit, ut aliud addere ſupervacaneum ſit.

XXIX. Hâc doctrinâ & diſtinctione nimirùm reprobationis abſolutæ, & in generali, & reprobationis comparativæ, & in ſpeciali ſolui poſſunt omnes inſtantiæ, quæ ex DD. Auguſt. & Thomâ contra noſtram primam aſſertionem produci ſolent. Cum enim hi Sancti Doctores docent, reprobationis non eſſe quærendam cauſam, ſed recurrendum ad inſcrutabilia Dei judicia, ad Dei voluntatem, & ſupremum dominium, dicendum eſt, eos loqui de reprobatione comparativa, & in ſpeciali, quâ hic præ alio reprobatus eſt. Hujus enim alia ratio reddi non poteſt, quàm divina voluntas. Licèt enim ad interrogationem, cur Petrus, cur Joannes ſint reprobi, reddi poſſit ratio, nimirum originale peccatum, quo uterque eſt infectus, ac uterque reprobari demeruit; Ad interrogationem tamen, cur Petrus, & Joannes fuerint reprobati, & Paulus, & Jacobus fuerint prædeſtinati, licèt non minùs rei in origine, quam illi, recurrunt Auguſtinus, & Thomas cum D. Paulo ad inſcrutabilia Dei judicia, cui placuit his miſereri, & condonare culpam, non illis.

XXX. Contra eandem primam aſſertionem obſtat ſecundò difficilis inſtantia hoc modo. Aſſertio hæc non habet locum in iis, qui per Baptiſmum ab originali liberati ſunt; & tamen, quia reprobati, damnantur. Hi enim damnari non poſſunt ob origina-

 le,

Digitized by Google

le, quod in eis remiſſum eſt quoad culpam, dicente Apoſtolo Roman. 8. v. 1. *Nihil nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Unde Concil. Trident. *ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali* ſtatuit, quòd *in renatis nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem*; & anathemate ferit, qui diceret, Baptiſmo *non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet*. Ex quibus ſic arguunt. Vel Reprobus, qui in infantia Baptiſmate tinctus eſt, damnatur propter peccatum originale; vel non damnatur propter illud. Si primum; ergo contra Apoſtolum, & Tridentinum aliquid damnationis in renatis manet; ergo aliquid in eis odit Deus. Si verò ſecundum; ergo peccatum originale in renatis non eſt cauſa reprobationis.

XXXI. Variè huic argumento reſpondent noſtræ ſententię Patroni. Quidam dantes manus victas concedunt, peccatum originale non fuiſſe cauſam reprobationis eorum, qui ab eo mundandi erant per Baptiſmum: ſed eorum tantum, qui ſine Baptiſmo erant deceſſuri.

Sed hi à DD. Auguſtino, & Thoma recedunt, qui nullâ adhibitâ diſtinctione, ut ſuperiùs oſtendimus, cauſam reprobationis negativæ in hominibus dicunt eſſe peccatum originis. Imò D. Auguſt. *lib. de correp. & gratia cap. 7.* loquens de illis, qui poſt Baptiſmum perſeveraturi non ſunt, dicit: *Non enim ſunt à maſſa illa perditionis præſcientiâ Dei, & prædeſtinatione diſcreti .... & tamen quis neget, eos electos, cum credunt, & baptizantur, & ſecundùm Deum vivunt? Planè dicuntur electi à neſcientibus, quid futuri ſint, non ab illo, qui eos novit, non habere perſeverantiam &c.*

XXXII. Dicunt alii, duplicem infectionem diſtinguendam eſſe, nimirùm naturæ, & Perſonæ: ſublatâ autem per baptiſmum infectione perſonæ, remanere infectionem naturæ, nempe concupiſcentiam, & ob hanc damnari. Sed hi videntur admittere in renatis aliquid damnationis, aliquid eſſe, quòd in eis oderit Deus, & inſuper concupiſcentiam in renatis eſſe peccatum, quod Catholicæ refragatur doctrinæ.

XXXIII. Mediâ ergo viâ & tutiori incedens, dico: Reprobum jam baptizatum non damnari quidem immediate, & proximè propter originale, ſed propter actualia peccata; damnari tamen remotè, & radicaliter propter illud. Non, inquam, damnari proximè; quia nulla peccati originalis culpa remanet in Reprobo, qui in infantia, vel poſt baptizatus eſt, nec unquam reditura eſt culpa, quæ Baptiſmum præceſſerat. Damnari tamen remotè, & radicaliter propter peccatum originale, quatenus, eo licèt quoad culpam remiſſo, remanent tamen miſeræ ejus reliquiæ, inter quas concupiſcentia, quæ ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; eique adhuc manet indebitum ſpeciale auxilium, quod ad actu perſeverandum requiritur. Quare quòd homini baptizato denegetur ſpeciale auxilium ad perſeverandum finaliter, & ſic damnetur, eſto proximè ob peccata perſonalia contingat, in peccato tamen originali radicem habet.

XXXIV. Pro quo adverto, quòd dupliciter contingit, aliquem à maſſa perditionis originalis liberari. Uno modo perfectè, & completè; quia nedum gratiam accipit baptiſmalem, ſed etiam perſeverantiæ donum, quo Gloriam æternam adipiſcetur. Alio modo imperfectè ſolùm, & incompletè; quia etſi credat, baptizetur, recipiat gratiam, non tamen perſeverat, nec ad Gloriam pervenit. Hi ergo, qui per Baptiſmum mundati ab originali in alia peccata incidunt, & finaliter damnantur, non ſunt plenè, & perfectè à maſſa perditionis liberati, ſed ſolùm imperfectè, & ſemiplenè; quia mundati ſunt quidem à culpa originalis peccati, ſed non ſunt li-

be-

berati ab omnibus pœnalitatibus conſequentibus ipſum, & maximè ab hoc, quod donum perſeverantiæ non eis denegetur, & ſit indebitum; quæ ratio indebiti ex peccato originali radicem, ortum, aut ſaltem occaſionem habuit.

XXXV. Hoc indicavit S. Thomas *qu. 6. de veritate art. 2. ad 9.* ubi ait: *Dicendum quòd electio Dei, quâ unum eligit, & alium reprobat, rationabilis eſt, nec tamen oportet, quòd ratio electionis ſit meritum: ſed in ipſa electione ratio eſt divina bonitas. Ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum originale, ut dicit Auguſtinus, vel in futuro per hoc ipſum, quod eſt non habere debitum ad hoc, quod eis gratia conferatur: rationabiliter autem poſſum velle denegare aliquid alicui, quòd ſibi non debetur.* Quaſi diceret: reſpectu eorum, qui de præſenti ſunt originali peccato infecti, reprobatio immediatè venit in pœnam illius. Reſpectu verò eorum, qui ab eo mundati ſunt per Baptiſma, in alia tamen peccata labuntur, quibus damnabuntur, erit eorum reprobatio immediatè quidem ob peccata actualia, radicaliter tamen ob ipſum originale, ex quo factum fuit, ut collatio gratiæ ad perſeverandum eſſet eis indebita.

XXXVI. In hanc ſententiam conſpirarunt Epiſcopi in Sardinia exules, *Epiſt. Synodicâ*, ubi de Jacob, & Eſau loquentes, ſic ajunt: *Deus ergo in Jacob miſericordiam gratuitæ bonitatis, in Eſau vero judicium juſtæ ſeveritatis oſtendit; qui Sacramento quidem Circumciſionis octavo die ſecundùm tenorem divinæ conſtitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, ſed per nequitiam cordis in hominis terreni vetuſtate permanſit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis ſalvat, juſtèque damnat. In cujus Perſona ſignificati ſunt, non illi tantùm, qui fidem negant, ſed & illi, qui uſque in finem vitæ ſuæ intra Eccleſiam poſiti, in malis operibus perſeverant.... Ad eundem quippe veterem hominem pertinent, non ſolùm illi, qui ignorant Dominum, ſed etiam illi, de quibus dicit Apoſtolus: confitentur ſe noſſe Dominum, factis autem negant.*

XXXVII. Obſtare tertiò videtur S. Thomas, tùm *queſt. 23. hujus 1. p. art. 3.* ubi reprobationem aliquorum docuit eſſe actum divinæ providentiæ, ad quam pertinet *aliquos permittere à vita æterna deficere:* atqui ſi reprobatio eſſet ex peccato originali, eſſet actus juſtitiæ vindicativæ, reprobaret enim in pœnam peccati originalis; ergo &c.

Tum etiam, quia loco citato docet, voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, eſſe effectum reprobationis, ſicut voluntas conferendi gratiam eſt effectus, prædeſtinationis: *Sicut enim* (inquit) *prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpa;* ergo ſicut collatio gratiæ eſt effectus prædeſtinationis, ita permiſſio culpæ erit effectus reprobationis, & conſequenter eam non præcedet.

XXXVIII. Reſpondeo, D. Thomam aſſerere quidem, reprobationem eſſe actum providentiæ, ſed non negare eſſe quoque actum juſtitiæ: imò ſicut prædeſtinatio, etſi actus providentiæ ſit, adhuc tamen eſt actus miſericordiæ, quia quos à maſſa perditionis liberat, gratis & ex miſericordia liberat; ita quos in maſſa perditionis relinquit, nec à miſeria liberat, actus juſtitiæ eſt, juſto enim judicio reus damnationi addicitur. Eſt ergo ibi, & ratio providentiæ, quatenùs permittit, aliquos ab ipſo fine deficere: eſt etiam actus juſtitiæ, quatenùs ad id permittendum ex parte eorum juſtam habet cauſam, nempè corruptionem naturæ. Unde Auguſtinus *lib. 2. contra duas Ep. Pelagian. cap. 7.* citatus: *bonum quidem* (inquit) *immeritò, & gratis datur, quia ex eadem maſſa eſt, cui datur; malum verò meritò, & debitum redditur, quia in maſſa perditionis malum malo non*

ma-

malè redditur. Et D. Thom. laudatâ *qu.* 23. *art.* 5. *ad* 3. docet, quòd ſicut Deus dum aliquos prædeſtinat, voluit *repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ parcendo*: ita *quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo*.

Ad ſecundum, diſt. ant. cadere in culpam actualem eſſe effectum reprobationis, conc. antecedens, ut infra dicemus. In culpam originalem, nego antecedens. Voluntas enim permittendi culpam originalem præcedit voluntatem reprobativam, ut in Doctrina S. Thomæ conſtans eſt.

XXXIX. Ex omnibus hucuſque dictis conſtare poterit, quàm immeritò quidam opinionem hanc cenſurâ notare auſi fuerint: cùm ſit aperta D. Auguſtini, D. Thomæ ſententia, eamque plures ejus Diſcipuli tueantur, inter quos Gonet, qui plures ex noſtris pro ea laudat, & ex exteris Suarez *in* 1. *p. lib* 5. *de reprobat. cap.* 5. Ruiz *diſput.* 14. *de prædeſt. ſect.* 4. & ſequentibus: & omnibus aliis Societatis Jeſu Theologis defendenda proponatur à P. Claudio Aquaviva Præpoſito Generali. Hæc enim habet *pag.* 14. libri *de ratione ſtudiorum Societatis* editi Romæ anno 1585. *Reprobationis, quâ cæteri homines ab ultimo fine excidere permiſſi ſunt, cauſa fuit peccatum originale*.

Demùm ex dictis conſtare poterit, reprobationem negativam Angelorum fuiſſe ante prævifa eorum demerita. Cùm enim in eorum natura nullum vitium originis adfuerit, eodem inſtanti, quo ſuâ ſimplici voluntate aliquos eorum ad finem Gloriæ Deus tranſmiſit, alios ſimplici voluntate à fine Gloriæ decidere permiſit; ſic exigente generalis Providentiæ ordine, & ſuorum attributorum oſtenſione: quibus tamen, eſto gratiam efficacem ad perſeverandum non dederit, gratiam tamen, quâ perſeverare poſſent, non denegavit.

DUBIUM III.

De effectibus reprobationis.

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. Breviter ab hoc dubio nos expediemus, cùm ex iis, quæ diximus de effectibus prædeſtinationis, facilè ſolvi poſſit. Recolendum igitur eſt, tria requiri, ut aliquid ſit effectus reprobationis. Primò. Ut ſit à Deo volitum: Deus enim eſt qui excludit, & condemnat reprobum. Secundò. Ut ad reprobationis finem conducat. Tertiò. Ut ad eum finem conducat ex intentione Dei.

Inter reprobationis effectus recenſeri poſſunt permiſſio peccati, excæcatio, induratio, damnatio æterna, & tandem plura peccata actualia, de quibus omnibus quæremus.

Ex dictis enim ſuppono peccatum originale, ejuſque permiſſionem effectum reprobationis non eſſe. Non quidem peccatum ipſum, quia ut dicemus nullum peccatum effectus reprobationis eſſe poteſt, cùm peccatum à Deo eſſe non poſſit. Nec etiam peccati originalis permiſſio, quia quod ſupponitur ad decretum Reprobationis, & inſuper eſt ratio movens ad decretum illud formandum, non poteſt eſſe reprobationis effectus, quia effectus non poteſt eſſe prior, & cauſa ſuæ cauſæ: ſed peccatum originale eſt prius permiſſum, quàm fuerit volita aliquorum reprobatio, & inſuper fuit ratio, & cauſa motiva, ut aliquos ex hominibus Deus à Gloria excluderet, ut Dubio præcedente oſtenſum eſt; ergo non poteſt eſſe Reprobationis effectus.

* (✠) *

§. II.

§. II.

Reſolutiones Dubii.

II. Dico primò. Permiſſio peccati actualis, quòd nunquam debet remitti, eſt effectus reprobationis. Prob. Id, quod eſt à Deo volitum, id quod ad finem reprobationis ex Dei intentione conducit, eſt effectus reprobationis: ſed hujuſmodi eſt permiſſio peccati non remittendi: hoc enim Deus non vult remittere, quia ſtatuit peccatorem à Gloria excludere; ergo &c. Unde D. Thom. hâc qu. 23. art. 3. *Sicut* (inquit) *prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi, aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

III. Neque opponas. Permiſſio peccati non conducit ad finem reprobationis, niſi ratione peccati; ergo reprobatio per ſe intendi non potuit, niſi per ſe intendatur peccatum; ergo potiùs debet dici permiſſionem peccati eſſe à Providentia generali, & deinde ordinari per providentiam reprobativam ad finem reprobationis.

IV. Nam reſpondeo, permiſſionem peccati non conducere ad finem reprobationis, niſi ratione peccati ponendi tamen ab homine, non à Deo. Deus enim permittens peccatum, per ſe ſolùm intendit denegare auxilium gratiæ indebitum, & hæc eſt permiſſio, quæ per ſe à Deo volita, ponitur ut effectus reprobationis. Quòd autem ex tali gratiæ denegatione ſequatur infallibiliter ſequelâ logicâ peccatum, hoc eſt præter intentionem Dei, eſto non ſit præter ejus providentiam, ſed ex voluntate peccatoris, qui à Deo derelictus, ſpontè labitur in peccatum. Unde D. Thomas qu. 23. citatâ art. 3. ad 2. *Reprobatio* (inquit) *non eſt cauſa ejus, quod eſt in præſenti, ſcilicet culpa, ſed eſt cauſa derelictionis à Deo. Eſt tamen cauſa ejus, quòd redditur in futuro, ſcilicet pœna æterna: ſed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, & à gratia deſeritur. Et ſecundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, ſcilicet:* Perditio tua Iſrael ex te.

V. Dico ſecundò. Denegatio ſpecialis doni perſeverantiæ eſt effectus reprobationis. Prob. Reprobatio eſt cauſa, cur Deus Juſto, qui Reprobus eſt, deneget ſpeciale donum perſeverantiæ. Interroganti enim, *ex duobus piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi non donetur:* Reſpondet poſt multa S. Auguſtinus lib. de dono Perſev. cap. 9. *Quia non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur.*

VI. Dico tertiò. Excæcatio, & obduratio in Reprobo ſunt effectus reprobationis ejus. Patet, quia excæcatio, & obduratio nil aliud ſunt, quam integra hominis impii ſuæ malitiæ derelictio: atqui integra impii derelictio ſuæ malitiæ à Deo eſt ex intentione ipſum reprobandi, ut vidimus; ergo &c. Major patet ex Auguſtino epiſt. 194. *olim* 105. *ad Sixtum cap.* 3. dicente: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam.*

VII. Dico quartò. Peccata ipſa non ſunt in reprobis effectus reprobationis eorum. Eſt contra Calvinum. Peccata enim, nec ſunt, nec poſſunt eſſe à Deo, nec à Deo volita: ſed ut aliquid ſit effectus reprobationis debet eſſe à Deo reprobante, & volitum; ergo &c. Major patet; quia Deus vult quidem permittere peccata, ſeu denegare gratiam, ſed peccatum non vult facere, neque vult fieri. Quare, ut dicebamus, peccata præter intentionem Dei eveniunt, non tamen præter illius providentiam, quâ ſinit illa fieri: *Ut* (ait Auguſt. in Enchirid. cap. 100.) *miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem,*

Digitized by Google

tem, quòd etiam contra ejus ſit voluntatem. Quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens, & de malo facere poſſet benè. Et *cap.* 102. concludit: *Deus igitur omnipotens, ſive per miſericordiam cujus vult miſereatur, ſive per judicium, quem vult obduret, nec iniquè aliquid facit, nec niſi volens quidquam facit, & omnia quæcumque vult facit.*

VIII. Hinc non ſequitur, Deum volentem denegationem gratiæ, ad quam ſequitur peccatum, velle adhuc indirectè peccatum, licèt volens illud ſinat fieri. Nam tunc ſolum omiſſio gratiæ, & permiſſio peccati volita, eſſet indirecta volitio peccati ex ea ſecuti, quando aliàs gratia, & auxilium eſſent debita: tunc enim ſi tenetur, & non facit aliquid, ex quo ſequitur aliquid, imputatur ei indirectè malum, quod ſequitur. Auxilium autem ad vitandum peccatum nulli debitum eſt. Eò vel maximè, quòd ad ſubtractionem gratiæ Deus cauſam habet ex parte noſtra. *Quod* enim *gratia alicui non apponatur, non eſt cauſa ex Deo, ſed ex hoc, quòd ipſe, cui gratia apponitur, impedimentum gratiæ præſtat, in quantùm avertitur à non avertente ſe lumine.* Ita S. Thom. *qu.* 3. *de malo art.* 1. *ad* 8.

IX. Dico quintò. Æterna pœna, tùm damni, tùm ſenſus effectus reprobationis ſunt. Probatur. Quia æterna pœna parata eſt reprobis à Deo ex voluntate eos reprobandi. Matthæi 25. v. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus*, ideſt prædeſtinatus, *eſt Diabolo, & Angelis ejus*. Et S. Auguſt. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 1. Duas Civitates, hoc eſt *duas ſocietates hominum* diſtinguit: *quarum eſt una, quæ prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Chriſto, altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.*

§. III.

Aliqua pro coronide reſolvuntur.

X. Quæres primò. An numerus Prædeſtinatorum, & Reproborum ſit certus?

Reſpondet D. Thom. tùm *hâc qu.* 23. *art.* 7. tum *qu.* 6. *de verite art.* 4. Indubitatum eſſe, numerum Prædeſtinatorum, & etiam Reproborum eſſe certum, non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter; ideſt, Deum certò ſcire, non ſolùm quot ſint ſalvandi, ſed etiam, qui ſint illi: & idem dicito de Reprobis, modo tamen infra explicando. Id aſſeruit Chriſtus Jo. 10. v. 14. *Cognoſco oves meas*. Paulus 2. ad Timoth. 2. v. 19. *cognovit Dominus, qui ſunt ejus*. Unde Eccleſia in ſecreta quadam dicit: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus &c.* Numerum etiam Reproborum Deo eſſe certum, & immutabilem, conſtat ex certitudine, & immutabilitate Divinæ Præſcientiæ, Voluntatis, & Providentiæ: unde tàm ad Reprobos quàm ad Electos pertinet illud Pſalmi 138. v. 16. *In libro tuo omnes ſcribentur.*

Eſto autem Deo æquè ſit certus, & invariabilis numerus Reproborum, ſicut & Prædeſtinatorum, quia ſicut prædeſtinatus non poteſt eſſe, & fieri non prædeſtinatus, ità nec Reprobus poteſt fieri non Reprobus: Attamen certitudo numeri Prædeſtinatorum ex duplici certitudine procedit, nempe ex certitudine prædeſtinationis, & certitudine præſcientiæ (quæ eſt certitudo cognitionis) & etiam ordinationis. Certitudo autem numeri Reproborum eſt certitudo præſcientiæ, ſeu cognitionis tantum: Non enim Deus præordinat ad peccandum homines reprobos, ſicut prædeſtinatos ordinat ad merendum. Ita S. Thom. *qu.* 6. *de verit. art.* 4. citato.

XI. Ne tamen hinc inferas, numerum Reproborum nullo modo præfinitum

tum eſſe à Deo; ſed ſolùm non ità principaliter, & per ſe, ſicut præfinitus eſt numerus Electorum; quia Reprobi non propter ſe, ſed propter Electos ordinati ſunt. Ideò quamvis eorum certum, ac ſtatutum numerum penes ſe habeat Deus, quia tamen eos ſpeciali providentiâ non curat, ſed abjicit, & reprobat; ideò apud ipſum quaſi non numerati dicuntur. Ea namque in numerato quis habere dicitur, quæ diligit, & diligenter curat; & quorum ſingularem præ aliis rebus habet providentiam. Unde Apocal. 11. Jubetur Joannes metiri Templum Dei, & adorantes in eo: Atrium autem, quod eſt foris Templum, quo figurantur Reprobi, metiri prohibetur. Et hinc eſt, quòd licèt notitia Reproborum non malè diceretur *Liber mortis*, ſicut notitia Electorum dicitur *Liber vitæ*: quia tamen non ſolet haberi magna cura de rebus malis, & vilibus, neque talium numerus conſcribi; ideò (D. Thom. *qu.* 24. *hujus pr. part. art.* 1. *ad* 3. aſſerente) non dicitur eſſe aliquis Liber mortis.

XII. At dices. Si adeò certus eſt prædeſtinatorum numerus, ut variari non poſſit, quomodo Prædeſtinatio juvari poterit precibus Sanctorum? Quomodo Eccleſia in Canone Miſſæ Deum orat, ut in Electorum ſuorum jubeat nos grege numerari? quomodo illud Auguſtini: *Si non es prædeſtinatus, ora ut prædeſtineris*.

XIII. Reſpondeo ad primum cum D. Thom. *hâc qu.* 23. *art.* 8. Duo in Prædeſtinatione conſideranda eſſe, nempe divinam præordinationem, & ejus effectum. Quantùm ad illam juvari non poteſt: non enim precibus Sanctorum fit, quòd non præordinatus à Deo ad vitam æternam, fiat præordinatus. Quantùm ad iſtum tamen juvari poteſt, quia ſic Deus aliquorum ſalutem prædeſtinavit, ut etiam præordinaverit media omnia, per quæ ad illa perveniat; inter quæ poſſunt etiam eſſe orationes noſtræ, & aliorum: unde *prædeſtinatis* (ait S. D.) *conandum eſt ad benè operandum, & orandum, quia per hujuſmodi prædeſtinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur* 2. *Petri* 1. Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Providentia enim, cujus prædeſtinatio eſt pars, non ſubtrahit cauſas ſecundas, imò ſic eas diſponit, ut nonniſi per eas effectum ſuum ſortiatur.

Ad ſecundùm dico, Eccleſiam non petere, ut Deus immutet ſuum propoſitum: ſed cauſam ponens pro effectu, orat, ut Deus nobis tribuat converſionem, per quam aggregemur hìc numero Sanctorum, & tandem ad æternam beatitudinem cum eis perducamur. Quia eſto à Deo ſtatutum irrevocabiliter ſit, quinam ſint perducendi, piè credimus, ad hunc effectum multum orationes prodeſſe. Nam Deus multa quidem donat etiam non petentibus, alia tamen ſtatuit non dare, niſi per orationes. Unde Chriſtus orabat pro electis, Joann. 17. v. 9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt ... ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi*: quos tamen cap. 10. 28. dixerat ſibi non eſſe eripiendos: *Ego vitam æternam do eis, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*. Quapropter D. Auguſt. ſerm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus* (inquit) *ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*.

Ad tertium nego, dictum axioma apud D. Auguſt. inveniri, ſed hoc (*Tract.* 26. *in Joann.*) *ſi non traheris, ora ut traharis*. Dicere ergo: ſi non es prædeſtinatus, ora ut prædeſtineris, non aliud eſt, quàm dicere: Si nondum in te percipis effectus, & ſigna prædeſtinationis; ora ut ea aſſequaris.

XIV. Quæres Secundò. Quantus ſit numerus Electorum?

Reſpondet S. Thomas hâc qu. 23. art. 7. *De numero omnium prædeſtinatorum, quis ſit: dicunt quidam: quòd tot ex hominibus ſalvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam verò, quòd tot ſal-*

Digitized by Google

ſalvabuntur, quot Angeli remanſerunt. Quidam verò quòd tot ex hominibus ſalvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & inſuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quòd ſoli Deo eſt cognitus numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.

XV. Quæres tertiò. An major ſit numerus Reproborum, quàm Prædeſtinatorum?

Reſpondet D. Thom. laudato loco ad 3. *Quod bonum proportionatum communi ſtatui naturæ accidit ut in pluribus, & deficit ab hoc bono, ut in paucioribus. Sed bonum, quòd excedit communem ſtatum naturæ invenitur ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono ut in pluribus. Sicut patet, quòd plures homines ſunt qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ; pauciores autem, qui hac ſcientiâ carent, qui moriones, vel ſtulti dicuntur. Sed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum. Cùm igitur Beatitudo æterna in viſione Dei conſiſtens excedat communem ſtatum naturæ, & præcipuè ſecundùm quòd eſt gratiâ deſtituta per corruptionem originalis peccati, pauciores ſunt qui ſalvantur. Et in hoc etiam maximè miſericordia Dei apparet, quòd aliquos in illam ſalutem erigit, à qua plurimi deficiunt ſecundùm communem curſum, & inclinationem naturæ.* Hæc D. Thomas. Quare electos puſillum gregem vocat Chriſtus Lucæ 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex.* Et Matth. 20. v. 16. 22. v. 14. *Multi* (inquit) *ſunt vocati, pauci verò electi.* Et Matth. 7. v. 13. 14. *Lata* (inquit) *porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.*

Hoc quiſque conſpicere poterit, ſi hominum mores à mundi exordiis ad hæc uſque tempora conſideraverit. Noe ætate tanta fuit hominum malitia ſuper terram, ut ſolus Noe cum ſua Familia inventus fuerit juſtus, cæteri homines deleti fuerint generali Diluvio. Poſt Diluvium adeò abundavit iniquitas, ut quinque Civitates, nullo excepto, igne in pœnam abſumtæ ſint. Idololatria adeò per Orbem graſſata eſt, ut cultus veri Dei ad ſolas Patriarcharum familias reſtrictus fuerit: ex quibus etiam aliqui Reprobi exierunt, ut Eſau. Ex populo Iſraelitico, quot Idololatras, quot impios nobis demonſtrat Scriptura? Poſt Chriſti adventum minima pars eſt, quæ Chriſtum colit; adeò ut ex quatuor mundi partibus, nec unam invenias integrè Chriſtianam. Ex Chriſtianis pars non modica ſchiſmatica eſt, aut hæretica. Ex Catholicis, ſi omnium ſtatus percurreris, quot malè viventes inveniemus; quàm paucos, qui Dei Legem, ſine cujus obſervantia vita æterna non datur, exactè cuſtodiant? Hoc de ſuâ ætate expreſſit David Pſalm. 13. v. 3. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

XVI. Quæres quartò. An aliquis poſſit eſſe certus in hac vita de ſua prædeſtinatione, aut reprobatione?

Reſpondet D. Thom. *qu. 6. de verit. art. 5.* Negativè, attendendo curſum ordinarium. Imò etſi non eſſet inconveniens Deo alicui ſuam prædeſtinationem revelare; attamen ſecundùm legem communem non eſt conveniens, ut omnibus reveletur, duplici ratione. *Quarum prima* (inquit) *poteſt ſumi ex parte eorum, qui non ſunt prædeſtinati: ſi enim omnibus prædeſtinatis ſua prædeſtinatio nota eſſet, tunc omnibus non prædeſtinatis certum eſſet, ſe prædeſtinatos non eſſe, ex hoc quòd ſe prædeſtinatos neſcirent. Et hoc quodammodo eos in deſperationem induceret. Secunda ratio poteſt ſumi ex parte prædeſtinatorum. Securitas enim negligentiam parit. Si autem certi eſſent de ſua prædeſtinatione, ſecuri eſſent de ſuâ ſalute, & ideò non tantam ſolicitudinem ponerent ad vitanda peccata. Et propter hoc à Divina Providentia ſalubriter eſt ordi-*

Digitized by Google

ordinatum , ut hominet ſuam prædeſtinationem , vel reprobationem ignorent . Ita S. Thomas.

XVII. Ut igitur homines alacri animo currant ad præmium , & de eo certificentur , ſat eſt eis certitudo conditionata , hoc eſt quod pervenient , niſi ex ſeipſis deficiant ; quæ certitudo unicuique prædeſtinato per virtutem ſpei infunditur . Sicut & in pugna ſeculari , ille , qui eſt à Duce exercitus ad pugnam adſcriptus , non certificatur de præmio , niſi conditionaliter , quia non coronabitur , niſi qui legitimè certaverit : & hoc maximè in caſu præſenti : Cum enim neque per certitudinem poſſit eſſe homini notum , utrum ſit in ſtatu merendi , juxta illud Eccleſ. 9. *Nemo ſcit utrum amore , an odio dignus ſit* , ſed ſolùm ex aliquibus conjecturis poſſit probabiliter exiſtimare ; multò minus poteſt eſſe certus de præmio certitudine abſolutâ . Hæc ex D. Thom. laudato ad 2. & 3. Propterea Apoſtolus ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu* (inquit) *& tremore veſtram ſalutem operamini* . Claudit hæc omnia S. Bernardus ſerm. 1. de Septuageſima his verbis : *Quis poteſt dicere ego de electis ſum , ego prædeſtinatus ad vitam , ego de numero filiorum ? Quis hæc , inquam , dicere poteſt ? Reclamante nimirùm Scripturâ :* Neſcit homo , ſi ſit dignus amore , an odio . *Certitudinem utique non habemus ; ſed ſpei fiducia conſolatur nos , ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur . . . Hoc enim eſt , unde ſemper ſoliciti , & in timore , & tremore humiliemur neceſſe eſt ſub potenti manu Dei , quoniam quales ſumus noſſe poſſumus , vel ex parte : quales autem futuri ſumus , id noſſe penitùs nobis impoſſibile eſt . Itaque qui ſtat , videat ne cadat : & in ea forma , quæ ſalutis indicium eſt , & argumentum prędeſtinationis , perſeveret , atque proficiat .*

TRACTATUS
DE DEO TRINO,
SEU
DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO.

HOc eſt Myſteriorum myſterium, Arcanorum arcanum, adorabile potiùs quàm inveſtigabile, divina fide credendum, non humano ratiocinio penetrandum: ad quod, ſi, ut oportet, accedatur, nil Chriſtiano dignius; ſi non, ut oportet, nil infelicius. Unde S. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. *Nec periculoſiùs* (inquit) *alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur.* Ut ergo nos veritatem hanc, Chriſtianæ Religionis fundamentum fructuoſè inveniamus, Catholicam fidem conſulemus, labori in ea inveſtiganda non parcentes: ſic enim, divino affulgente Lumine, periculoſos errorum Scopulos, in quos multi impingentes naufragi fracti ſunt, evitabimus. Primò ergo exiſtentia tanti Myſterii ſtatuenda eſt.

QUÆSTIO I.

De Exiſtentia Myſterii Trinitatis.

UT Exiſtentia SS. Trinitatis aſſeratur, tria probanda ſunt. Primò. Trinitas Perſonarum in Deo. Secundò. Unitas Eſſentiæ, quia hoc myſterium in eo ſitum eſt, quod Perſonæ divinæ ſint tres realiter diſtinctæ invicem: at in omnibus una, eadem, ac indiviſa ſit Eſſentia, ſeu natura. Et tertiò. An hoc percipi, & cognoſci poſſit.

DUBIUM I.

An Trinitas Perſonarum ſit in Deo.

§. I.

Recenſentur errores.

I. TRinitatem Perſonarum in Deo pertinaciter negant Judæi, contendentes, hâc poſitâ, ſalvari non poſſe Dei unitatem, ſed Deorum pluralitatem inferri. Hunc errorem à Judæis accepere Mahometani, ſic dicti, quicumque informem, & diabolicam religionis formam ſuſcepere, quam Mahometes Pſeudopropheta, natione Arabs, profeſſione mercator viliſſimus, ſub Heraclio Imperatore, & Honorio Primo Pontif. circa annum 630. infeliciter cuderat; inter cujus Sectæ errores is adeſt, non eſſe nimirùm Trinitatem Perſonarum in Divinis.

II. Ex Chriſtianis autem primus hunc errorem ex Aſia attulit, & in Africanis, ac Romanis Provinciis docere cæpit Praxeas; qui eſto errorem ſuum, vel retractaverit, vel ſaltem per hypocriſim aliquandiù diſſimulaverit, eum tamen excuſsâ fronte poſtea reimbuit, & evulgavit. Contra hunc integrum edidit librum Tertullianus, ubi cap. 1. ait: *Iſte* (Praxeas) *primus ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romanæ humo.... Ita duo negotia diaboli Praxeas Romæ procuravit, Prophetiam expulit, & hæreſim intulit; Para-*

Paracletum fugavit, & Patrem Crucifixit. Et poſt alia exponens, quomodo in ſpeciem emendatus ſuæ reſipiſcentiæ chirographum ab Eccleſia reportaverit, ſubdit: *Ita aliquandiù per hypocriſim ſubdolâ vivacitate latitavit, & nunc denuò erupit*. Deinde cap. 2. ejus errorem deſcribens: *Itaque* (inquit) *poſt tempus Pater natus, & Pater paſſus: ipſe Deus Dominus Omnipotens Jeſus Chriſtus prædicatur*. Hunc eundem errorem deſcribens *lib. præſcript. adverſ. hæret. cap. ultimo*, ait: *ſed poſt hos omnes* (hæreticos, quos enumerat) *etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus* (quis iſte fuerit non conſtat) *corroborare curavit. Hic Deum Patrem Omnipotentem Jeſum Chriſtum eſſe dicit; hunc Crucifixum, paſſumque contendit: mortuum propterea, ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam cum prophana, & ſacrilega temeritate proponit*. Hæc Tertull. Ex quibus patet, Praxeæ errorem fuiſſe, quòd cùm unam tantùm Perſonam Deum aſſereret, hanc Patrem, hanc Jeſum, hanc mortuam, hanc ſibi ad dexteram aſſidere impiè aſſeveraret. Porrò ad ſcribendum contra Praxeam excitatum fuiſſe Tertullianum, quòd ſuum errorem in Africa etiam ſeminaſſet, credibile eſt ex Philaſtrio apud D. Auguſt. lib. de hæreſ. *cap. 41. Praxeani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui & ita ſentientes abjecti ſunt ab Eccleſia Catholica*.

III. Hunc errorem, quem deſinente ſeculo ſecundo Praxeas præformaverat, vehementiùs propugnavit Noetus origine Epheſius, ut Epiphanio, vel Smyrnæus, ut Theodoreto, placet. Prodiit iſte ſub annum Chriſti 245. Hic in tantum faſtum elatus eſt, ut diceret ſe eſſe Moyſen; Fratrem verò ſuum erroris comitem, Heliam Prophetam, ut ex Philaſtrio *hæreſ.* 53. Ambo propterea ab Eccleſia ejecti, & non multò poſt extincti, honore Sepulchri à Fidelibus meritò privati ſunt. Docebat Noetus (ut Praxeas) *Chriſtum eundem ipſum eſſe Patrem, & Spiritum Sanctum*, ut refert S. Aug. de hæreſ. cap. 36. ſeu *Patrem omnipotentem ipſum eſſe Chriſtum, & ipſum natum, & ipſum paſſum, & ipſum mortuum fuiſſe in corpore*, ut Philaſtrius relatus. Qui error ex eo procedebat, quòd putaret, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non naturâ ſolùm, ſed Perſonâ eſſe unum, ac ſingularem Deum, ſolâ actionum diſtinctione diſcretum; fretus iis Scripturæ teſtimoniis, quæ plures Deos eſſe negant. Noetum confutavit Sanctus Hippolytus Martyr libro, qui extat, tom. 2. oper. ejuſdem. Eſto autem Sanctus Epiphanius ſentire videatur, Noetum fuiſſe primum, qui Perſonarum Trinitatem negarit, exponendus eſt, eum velle ſolum, quòd fuerit primus, qui hunc errorem publicum fecit: nam, ut vidimus, illum à Praxea jam præconceptum ſuſcepit.

IV. Celebriorem tamen hæreſim hanc ſuo nomine, ac patrocinio fecit Sabellius, cui natio Lybia, Patria fuit Ptolemais, circa annum Chriſti 257. de qua Euſebius *lib. 7. Hiſt. eccl. cap. 6.* & S. Epiphan. *hæreſ.* 62. & S. Auguſtinus *lib. de hæreſ. cap.* 41. Noetianos, & Sabellianos, dicit, eſſe unius Sectæ duo nomina, & non tantùm ſimilis, ut vult Epiphanius; putans, Noetianos convenire cum Sabellianis, excepto quòd iſti *dicunt Patrem non eſſe paſſum*. Nam, inquit S. Auguſtinus: *Quomodo de Sabellianis intelligi poteſt* (quod dicant Patrem non eſſe paſſum) *cum ſic innotuerint dicere Patrem Paſſum, ut Patripaſſiani, quàm Sabelliani crebriùs nuncupentur?.... Vel quomodò poſſunt intelligi quilibet eorum Patrem paſſum fuiſſe non dicere, cùm dicant eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?*

Explicabat ergo ſuum errorem Sabellius. Tum exemplo hominis, in quo ſunt Corpus, Anima, & Spiritus: Ita ut Corporis inſtar ſit Pater, animæ Filius, & Spiritus Sanctus ad inſtar

ſtar Spiritus habeatur; ſic ut eidem hypoſtaſi tres appellationes conveniant. Tum exemplo Solis, in quo triplex eſt energia, nempe illuminandi vis, calefaciendi, & rotunda figura, ſeu corpus ipſum ſolare. Patremque dicebat totius divinæ hypoſtaſis eſſe baſim, formam, & quaſi corpus; vim illuminativam Filium; & calefactivam Spiritum Sanctum: & ſicut ſolare corpus in Cœlo manens emittit radios, & calorem; ita Patrem veluti radium in terras ſtato tempore miſiſſe Filium; Spiritum verò Sanctum identidem velut calorem in fidelium pectora illabi, ea amore ſuccendendo, vitamque Spiritualem inſtaurando. Ita referente Epiphanio *hæreſ.* 62.

V. Omnes præfati hæretici à Veteribus paſſim vocati ſunt *Patripaſſiani*; quia nimirùm ex eorum doctrina conſequens erat, Patrem, utpote eandem Perſonam, ac Filium, eſſe paſſum, & mortuum pro nobis. *Sabelliani* (inquit S. Auguſt. *tract.* 36. *in Joann.*) *ſunt quidam hæretici, qui vocantur & Patripaſſiani, qui dicunt, ipſum Patrem paſſum fuiſſe*. Et S. Athanaſius lib. de Synodis num. 7. *Illos verò* (inquit) *qui dicunt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eundem eſſe, tria hæc nomina de una, eademque re, ac Perſona impiè accipientes, meritò ab Eccleſia proſcribimus: eò quòd Patrem, qui nec comprehendi, nec pati poteſt, comprehenſioni & paſſioni per Incarnationem ſubjiciant: cujuſmodi ſunt, qui apud Latinos Patropaſſiani, apud nos Sabelliani vocantur*. Quare, ut diximus, recedendum eſt à S. Epiphanio, qui Sabellianos in hoc à Noetianis diſcrepaſſe ſcribit, quòd Patrem eſſe paſſum negarent.

VI. Hæreſim iſtam anno 1050. (teſte Euthymio in Panopl. *par.* 2. *tit.* 23.) auſus fuit evomere quidam Bogomiles, negans eſſe in Deo Trinitatem. Verùm error cum ſuo authore ab Alexio Comneno Imperatore in Theatro exuſtus fuit. Ejuſque neceineres hiſce temporibus ſupereſſent, niſi redivivum feciſſent ſeculis proximè elapſis

VII. Michael Servetus, natione Hiſpanus, Tarraconenſis patriâ. Non tulit Hiſpania monſtrum hoc, quod genuerat; alias enim, variaſque terras luſtrans Servetus, Lutetiæ Pariſiorum Medicinæ operam dedit; inde linguæ Arabicæ ſtudio in Africam trajecit. Ex Africa reverſus, Anabaptiſta primùm fuit, Baptiſmum parvulorum ſugillans. Deinde ad Sacramentarios declinavit. Mox librum edens (cui titulus de Trinitatis erroribus) ſpargere cæpit, tres illas res incorporeas in una Deitate diſtinctas non poſſe conſiſtere: omnes, qui Trinitatem ſtatuunt Tritheitas, & Atheos vocans, qui nec Deum niſi tripartitum, & aggregatum habeant. Imò (teſte Theodoro Beza *Epiſt.* 1.) Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Cerberum tricipitem, ſeu triceps monſtrum impiè appellabat. Quapropter à Calvino ipſo Senatui Genevenſi, ubi tunc Servetus moram trahebat, denunciatus; obſtinatus, ac impænitens, urgente Calvino, Senatus præfati ſententiâ vivus exuſtus fuit 23. Octobris an. 1553. Timens autem Calvinus, ne ex hoc invidia ſibi conflaretur, ſcripto defendit, juſtè à Magiſtratu mortis ſententiam in hæreticos ferri poſſe. Quo patet quàm iniuſtè malè ferant Proteſtantes moderni, quòd Hæretici impœnitentes ab Eccleſia Catholica pœnâ mortis mulctentur.

VIII. Serveto tamen Antitrinitariorum parente combuſto, combuſtus error Serveti non fuit. Poloniam enim, Hungariam, & Tranſylvaniam invaſit, illum promoventibus Valentino Gentili, Georgio Blandratâ, Alciato, Bernardino Ochino, Franciſco Davidis, ac Lælio & Fauſto Socinis; de quibus ad ſtudioſorum notitiam aliqua dicam.

IX. Valentinus Gentilis, Calaber, Conſentinus Patriâ, ex Italia profugus, ac Genevæ ſubſiſtens, mirari ſe di-

dixit, cur Calviniſtæ, ac Lutherani in rebus minoris momenti, ut in Sacramentis, Purgatorio &c. Eccleſiæ Romanæ contradicerent, in Trinitate autem, fundamentali Myſterio convenirent; terribiles ſubinde in Sacroſanctum Arcanum blaſphemias ejaculans. Quare in Carcerem detruſus, timens ſibi ſortem Serveti, ficta erroris ejuratione elapſus fuit. Ad Gribaldum Juriſconſultum ejuſdem erroris fuligine tinctum confugiens, inde in Poloniam à Georgio Blandrata, & Alciato evocatus; ſed Sigiſmundi Auguſti Regis edicto anni 1566. quo peregrini dogmatis Auctores proſcribebantur, abire compulſus fuit. Priùs tamen Regi librum voluit offerre, in cujus præfatione conquerebatur, hæc nomina *Perſona*, *Eſſentia*, *Trinitas*, omnia Divina Myſteria evertere. In hoc Libro ait, quòd confuſio trium in unum, & eundem numero ſpiritum, fundamentum, & origo omnium errorum fuit. Qui enim unum Deum in tres Perſonas diſtinguit, vel ſibi præſtigias facit; vel neceſſariò unius Dei ſubſtantiam dividit, ac diſcerpit. Symbolum S. Athanaſii aliter docens, Symbolum *Sathanaſium* potiùs eſſe, blaſphemans. Ex Polonia Bernam appulit; ubi comprehenſus, capite plexus fuit, atque in ferali pegmate poſitus jactitaſſe fertur, cæteros Martyres occubuiſſe pro Chriſto, ſe autem mori pro gloria, & eminentia Patris.

X. Georgius Blandrata, Saluciensis in Subalpinis, profeſſione Medicus, Ticinenſis Inquiſitionis ſibi imminentis metu fugiens, in Poloniam, & Tranſylvaniam ſe contulit; ubi Antitrinitarium venenum pluribus infudit. In Tranſylvania tandem à Cognato ſuo ejus bonis inhiante trucidatus, miſerè obiit.

XI. Joannes Paulus Alciatus, Mediolanenſis, profeſſione Miles, cum præfatis in Trinitatem blaſphemus, à Sigiſmundo Rege ejectus è Polonia, ad Mahometanos deficiens, infelici exitu vitam finivit.

XII. Bernardinus Ochinus, Senenſis Patriâ, Ordinis Capuccinorum aliquot annis cultor, ac moderator, deinde deſertor, Serveti peſte infectus fuit. Aſperrimam in ſuo Ordine vitam ducens, magnoque zelo conciones habens, à Valdeſio Juriſconſulto Hiſpano, qui Lutheraniſmum in Germania imbuerat, deceptus, unà cum Petro Martyre Vermilio ex Italia aufugit; publicis cum ſcorto, quòd ſecum duxerat, nuptiis celebratis. Genevam appulſus, apologiam de fuga ſua calumniis gravem ad Romanum Pontificem direxit. Quam ſectam eligeret diu meditatus, tandem Serveti errorem ſuſcepit, cui alterum junxit aſſerens, modò licitam eſſe Polygamiam. Verùm cum Genevæ, ubi Servetus flammis addictus fuerat, malè de SS. Trinitate loqui abſque vitæ periculo non poſſet, unà cum Petro Martyre Angliam petiit; ſed inde à Maria Regina Catholica pulſus, Germaniam, Poloniam, Tranſylvaniam perluſtrans, ibi ſui erroris ſemina jecit, & propagavit. Eum ante mortem errores ſuos retractaſſe, multis teſtimoniis Annales Capuccinorum probare contendunt. Alii negant.

XIII. Franciſci Davidis Patria incerta eſt. Lutheranus primò fuit, deinde Calviniſta, poſtremò Serveti impietate corruptus, eâdem plures Tranſylvanos contaminavit; ibi Sectæ Princeps aliquo tempore habitus, donec ſub Stephano Bathori Catholico Principe carceri mancipatus, tandem captus mente miſerè clauſit vitam.

XIV. Celebrius apud Antitrinitarios fuit Lælii, & Fauſti Socinorum nomen. Uterque Senenſis fuit, Lælius Patruus, Fauſtus verò Nepos. Lælius adoleſcens adhuc, errore contracto, Patriam, ubi tutus non erat, ann. 1547. ætat. 21. reliquit. Quadriennio Galliâ, Angliâ, Belgio, Germaniâ luſtratis, Tiguri in Helvetia ſedem fixit. Ibi Serveti ſortem metuens, eo combuſto, errorem adeò texit, ut eo inficere nonniſi paucos clan-

clanculum ſibi licuerit. Obiit Tiguri anno 1562. ætat. 37. Fauſtus Nepos de Lælii Patrui morte certior factus, cujus errorem jam hauſerat, ſcripta quoque procuravit; quibus ſuum pravum jungens animum, & operam, hæreſim extendere curavit per Tranſylvaniam potiſſimùm, & Poloniam: adeò ut Sectę hodie (ab ipſis) *Sociniana* vulgò nuncupetur. Nedum tamen Socini SS. Trinitatem evertere tentarunt, ſed (quod conſequens erat) Chriſto Divinitatem eripuerunt, dicentes, eum eſſe purum hominem: dici autem Verbum Dei, quia Verbum Deì annunciavit; eo modo, quo Joannes dicitur Vox. Obiit Fauſtus propè Cracoviam in Polonia anno 1604. Non objere tamen, ſed adhuc graſſantur eorum perverſa dogmata, quæ qui amplectuntur *Sociniani* vocantur.

In his parumper immorari placuit, ut Candidato meo notum ſit, quales prodierint Heroes ex Schola Lutheri, & Calvini, qui ad reformandam Eccleſiam ſe exiiſſe gloriati ſunt; atque hinc judicare poſſit, an Eccleſiæ potiùs everſores, & Fidei Chriſtianæ exterminatores, quàm Reformatores dicendi ſint.

Eccleſia verò Catholica quovis tempore Trinitatem Perſonarum, non tantùm officiorum, ac munerum in Deo agnovit; & tanquam primum Fidei Chriſtianæ fundamentum jecit.

§. II.

Trinitas ex Veteri Teſtamento.

XV. Dico primò. Trinitas Divinarum Perſonarum in Veteri Teſtamento revelata eſt. Statuitur contra Judæos: & probatur primò ex illo *Geneſ. 1. v. 26.* ubi Deus hominem formaturus, ita loquens inducitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* His enim verbis continetur inviiatio, ſeu conſultatio plurium circa hominis formationem; atqui non plurium naturâ, ut Judæi fatentur: Conſtat enim unum eſſe Deum hominis conditorem, ibi v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam;* ergo plurium in Perſonis. Videndus hic Petrus Galatinus *lib. 2. de Arcan. Cath. Verit. cap. 8.* ubi ex Hebræo ſic legit: *Et dixit Elohim, id eſt Dii: faciamus &c.* Et rurſus: *Et creavit Elohim, id eſt Dii hominem &c.* Elohim autem, juxta antiquorum Judæorum expoſitionem, intelliguntur tres Middot; per quas (dixerunt) Mundum fuiſſe creatum, nempe, tres Perſonas Divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quare per Imaginem Elohim, ideſt, Deorum, tres animæ Potentias, Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem, in queis Divina Imago conſiſtit, intelligere oportet. Sicut igitur ex memoria formatur intelligentia, ſic ex Patre in Divinis generatur Filius. Et ſicut ex memoria, & intelligentiâ extenſis, & quaſi ſpirantibus bonum, formatur voluntas; ſic ex Patre, & Filio, tanquam ex uno ſpirandi principio ſpiratur bonum, quod eſt Spiritus Sanctus. Et ſicut tres potentiæ iſtæ, Memoria, Intelligentia, & Voluntas ſunt una Anima: Ita Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unus Deus. Et hæc eſt Dei imago, ad quam Homo creatus eſt, juxta veterum Hebræorum ſententiam, inquit Galatinus laudatus.

XVI. Reſpondent primò Judæorum moderni, Deum ſecum ipſo locutum, quaſi ſe ad agendum excitantem.

Sed hoc eſt merum figmentum, ac Baſilii irriſione dignum. *Quis enim* (inquit in Hexameron homil. 9.) *faber, aut ærarius, ſolus ipſe quidem, nec alio quoque ſibi cooperante ſtipatus ... ſibi ipſi admurmurat dicens, faciamus gladium, aut compingamus aratrum?*

XVII. Reſpondent ſecundò alii cum Rabbinis, Deum more Principum, in Plurali fuiſſe locutum, nimirùm, auctoritatis ergo.

Sed hoc non valet, inquit Theodo-

retus *qu.* 19. *in Geneſ.* Nam ſi ita eſſet, ubicumque loquitur in Scriptura Deus, deberet in numero plurali loqui, cùm ſemper urgeret idem motivum auctoritatis; & præſertim cùm Judaico Populo aliquid præcipit. Hoc autem falſum eſt; perrarò enim pluraliter locutus eſt: & tunc ſolùm, cum indicare voluit numerum Perſonarum Trinitatis. *Etenim* (inquit Theodoretus) *cùm linguas confunderet, non dixit ſingulariter*, deſcendam, *ſed*: Venite deſcendentes confundamus ipſorum linguas. *Et hoc igitur loco, quoniam Deus animal ratione formabat, quod poſtea renovaturus erat poſt multas generationes, Sanctæ Trinitatis invocationibus ſacroſanctum Baptiſma, instituens, cùm fabricaturus eſſet naturam, cui hæc myſteria crederentur, obſcurè identitatem ſubſtantiæ, ac Perſonarum numerum aperuit. Dùm enim dixit*, Deus, *communionem Divinæ Naturæ indicavit. Subjungens autem illud*, faciamus, *expreſſit numerum Perſonarum*. Similiter cum *iterum in ſingulari numero dixit*, Imaginem, *eandem eſſe naturam oſtendit, non enim dixit*, ad Imagines, *ſed* ad imaginem: *Cùm autem dixit*, noſtram, *numerum hypoſtaſeon manifeſtavit* Quare D. Hilarius lib. de Synodis, ſeu de Fide Orientalium Sirmii congregatorum, inter alia capita damnata: *Si quis* (inquit) faciamus hominem, *non Patrem ad Filium dixiſſe, ſed ipſum ad ſemetipſum dicat Deum locutum: anathema ſit*.

XVIII. Reſpondet tertiò. Deum ibi non Divinas Perſonas alloqui, ſed Angelos, ut ſuam illi operam navarent; formando ſcilicet ejus Corpus, dùm ipſe hominis Animam crearet, & vitæ ſpiritum inſufflaret.

Sed contra ſtat S. Baſilius ſupra laudatus. Primò. Nam ibi Deus alloquebatur eos, quorum homo condendus futurus erat imago: futurus autem erat imago, non Angelorum, ſed ipſius Dei loquentis; unde ait *ad imaginem .... noſtram*; ergo alloquebatur Perſonas habentes cum Deo naturam communem; una enim Dei, & Angelorum imago eſſe non poteſt.

Secundò. Deus alloquebatur eos, quos ad hominis formationem excitabat: at Angeli in formatione hominis nullam habuerunt actionem adhuc miniſterii: non quantum ad Animam, ſecundum quàm eſt ad imaginem Dei; nam hæc immediatè à Deo inſpirata fuit, Geneſ. 2. v. 7. *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Nec quantum ad Corpus; quia ibidem dicitur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*.

Tertiò. Effectus fit ad imaginem, non cauſæ miniſterialis, ſed principalis; ergo dato, Angelos ad formationem hominis cooperatos fuiſſe miniſterialiter, adhuc ad ipſorum ſimilitudinem dici non poſſet formatus homo: Ergo ii, quos alloquitur Deus, dum ait: *faciamus ... ad imaginem &c.* non ſunt Angeli, aut quævis alia creatura, ſed Deus. Videantur Clemens Alexandr. lib. 5. Stromat. pag. 560. ubi hominis corpus *à præſtantiſſimo* (inquit) *effectum eſt artifice, qui ipſum eſt fabricatus, ſeipſo uſus archetypo*. Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis cap. 6. dicens: *Recogita totum illi* (homini) *Deum occupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ &c.* Et Irenæus lib. 4. contra hæreſ. cap. 37. nunc 20. *Non ergo* (inquit) *Angeli fecerunt nos, nec nos plaſmaverunt, nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec alius quis præter Verbum Domini, nec virtus longè abſiſtens à Patre Univerſorum; Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quæ ipſe apud ſe prædefinierat fieri, quaſi ipſe ſuas non haberet manus. Adeſt enim ei ſemper Verbum, & ſapientia Filius, & Spiritus; per quos, & in quibus omnia liberè, & ſpontè fecit, ad quos, & loquitur dicens:* faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Ita Irenæus ſecundo ſeculo, qui apertiùs loqui non poterat.

XIX. Tertullianus item lib. contra Praxeam cap. 12. *Si te* (inquit) *adhuc numerus ſcandalizat Trinitatis, quaſi non connexa in unitate ſimplici, interrogo, quomodo unicus, & ſingularis pluraliter loquitur:* faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, *cùm debuerit dixiſſe:* faciam hominem ad imaginem, & ſimilitudinem meam, *utpote unicus & ſingularis? Sed & in ſequentibus* (Gen. 3.) Ecce Adam factus eſt, tanquam unus ex nobis, *fallit, aut ludit, ut cùm unus, & ſolus, & ſingularis eſſet, numeroſè loqueretur. Aut nunquid Angelis loquebatur, ut Judæi interpretantur, quia nec ipſi Filium agnoſcunt: an quia ipſe erat Pater, Filius, Spiritus, ideò pluralem ſe præſtans, pluraliter ſibi loquebatur? Imò quia jam adhærebat illi Filius ſecunda Perſona ſermo ipſius, & tertia Spiritus in ſermone, ideò pluraliter pronuntiavit:* faciamus, & noſtram, & nobis. *Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem, Filio quidem, qui erat induiturus hominem, Spiritu verò, qui erat ſanctificaturus hominem, quaſi cum miniſtris & arbitris ex unitate Trinitatis loquebatur &c.* Videatur D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 19.

XX. Si autem quæras, cujus Perſonæ Divinæ ſint illa verba: *faciamus &c.* an Patris, an Filii, an Spiritus Sancti; an omnium ſimul?

Reſpondeo, in hoc diviſos eſſe Patres. Auguſtinus *lib. 1. de Trinitate cap. 7.* putat, eſſe vocem Dei Patris ad Filium, qui & magni conſilii Angelus dicitur. Idem ſentit Tertullianus *lib. de reſurrect. carnis cap. 6.* dicens: *Sic enim præfatio Patris ad Filium, faciamus &c.* Baſilius *lib. 4. contra Eunom.* vult, vocem eſſe quidem Dei Patris; attamen non ad ſolum Filium, ſed etiam ad Spiritum Sanctum: quod etiam ſentire videtur Tertullianus *lib. contra Praxeam cap. 12.* verbis ſuperiùs citatis. Cyrillus verò Alexandrinus *lib. 1. Theſauri.* Et Fulgentius *lib. 1. de fide ad Petrum cap. 1.* contendunt, verba hæc *faciamus &c.* non unius tantùm eſſe Perſonæ, ſed omnium ſimul. Utra ex iis Patrum ſententiis eligatur, ſtabit invictum argumentum, quod, pro pluralitate Perſonarum, ex illis deducitur.

XXI. Secundò. Trinitatem Perſonarum oſtendunt illa verba, Geneſ. 11. v. 7. *Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Super quæ D. Auguſt. lib. 1. quæſt. in Geneſ. qu. 22. ait: *Utrum ad Angelos Dominus hoc dixiſſe intelligitur, an ſecundùm illud accipiendum eſt, quòd in exordio libri legitur: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram?* Et reſolvens pro hâc ſecunda parte, ait: *Nam & quomodo poſtea dicitur in ſingulari numero,* quia ibi confudit Dominus labia terræ: *Sic & illic cùm dictum eſſet* faciamus ad imaginem noſtram, *in conſequentibus tamen non dictum eſt:* fecerunt, *ſed* fecit Deus. Quare ex hoc textu Trinitatem Perſonarum inferunt Nyſſenus *lib. de Trinit.* Baſilius *lib. 5. contra Eunom.* Maximè verò Chryſoſt. *ſerm. de Trinitate:* Ubi præfata verba conſiderans, ait: *Dicendo,* venite, *pares honore exhortando vocat, neque enim ſi Angelis imperaſſet, dicere debuit* venite: *ſed imperando:* ite. *Vide autem, obſecro, quomodo Patris vox Filium, & Spiritum Sanctum vocet; nam ſi ad unum ſolum hoc dictum eſſet, debebat dicere:* veni, & deſcendamus; *quia autem dixit* venite, *unius eſt vox ad duos honore æquales.*

XXII. Tertiò. Hoc idem oſtendunt verba Geneſ. 19. v. 24. *igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de Cœlo.* Dominus, inquit, à Domino, hoc eſt Filius à Patre procedens, à quo judiciariam accipit poteſtatem, pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ignem, & ſulphur, ut exponit Hilarius *lib. 4. de Trinit. num.* 29. Hoc teſtimonio adversùs Judæos uſi ſunt Juſtinus *Dialog. cum Triphone pag.* 277. & 279.

Digitized by Google

& 279. Irenæus *lib.* 3. *contra hæreſ. cap.* 6. dicens: *Filium enim hìc ſignificat, qui & Abrahæ colloquutus ſit, à Patre accepiſſe poteſtatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum*. Ita ſtatutum ab Orientalibus fuit Sirmii, referente S. Hilario lib. de Synodis: *Si quis*, pluit Dominus à Domino, *non de Filio & Patre intelligat, ſed ipſum à ſe pluiſſe dicat: anathema ſit: Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre*. Huc ſpectant quoque verba *Geneſis* 18. ubi v. 1. dicitur quòd Abrahæ *apparuit Dominus*, verſu autem 2. & 3. ſubditur: *Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum; quos cum vidiſſet cucurrit in occurſum eorum de oſtio Tabernaculi, & adoravit in terram: & dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum*. Deinde itèrum in plurali loquens (v. 4. & 5.) *Lavate* (inquit) *pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore .... poſtea tranſibitis: idcircò enim declinaſtis ad ſervum veſtrum. Qui dixerunt &c.* Si tres viri Abrahæ apparuerunt: quomodo adorans dixit: *Domine?* quomodo dicitur: *Dominus apparuit?* Si unus: quomodo *lavate, requieſcite, tranſibitis, declinaſtis, qui dixerunt?* Item ſi tres (v. 9.) *dixerunt ad eum: ubi eſt Sara Uxor tua?* cur (v. 10.) reſpondit unus: *revertens veniam ad te ... & habebit Filium Sara Uxor tua?* Audiatur S. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 11. *Cùm verò tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel formâ, vel ætate, vel poteſtate major cæteris dictus eſt; cur hìc non accipiamus viſibiliter inſinuatam, per creaturam viſibilem, Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam, eandemque ſubſtantiam?* Et Cyrillus Alexandr. *lib.* 1. *contra Julian. circa medium*, obſervans, Abrahamum vidiſſe Deum, fuiſſe verò conſpectos tres viros, & adorantem *non tanquam tribus dixiſſe*, Domini, ſi inveni &c. *Sed Dominum unicè vocantem tres, tanquam unum ... Cerne igitur* (inquit) *terne viſos tres quidem exiſtentes, & propriâ unumquemque ſubſiſtentiâ Verbo conſubſtantialitatis ſubjacentes &c.* Et infra: *Una eſt enim conſenſu omnium divinitatis natura ... per intellectum verò extenditur in ſanctam, venerabilem, & conſubſtantialem Trinitatem: in Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum Sanctum &c.*

XXIII. Quartò. Id oſtendunt verba Pſalmi 2. v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te:* quæ Judæi ipſi Chriſto coævi, non de Davide, aut alio, ut recentiores, ſed de Meſſia uſurpabant: cum Paulus iis uſus ſit *act.* 13. *v.* 33. adverſus Judæos, ad probandum Chriſtum eſſe Meſſiam; & ad *Hebræos cap.* 1. *v.* 5. ad probandam Filii Dei excellentiam ſupra Angelos, ejuſque Divinitatem.

Et meritò quidem. Nam verba Pſalmi ſequentia: *tibi dabo Gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, nec Davidi, nec alii, ſed ſoli Meſſiæ promiſſa poſſunt intelligi; ergo habetur in Deo Perſona genita, & conſequenter Pater, & Filius. Quod colligitur quoque ex Pſalm. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis:* quæ ſunt Dei Patris, Filium à ſe genitum alloquentis. Unde v. 3. ſubdit: *ex utero ante luciferum genui te:* quæ etiam Perſonæ Filii diſtinctionem à Patre oſtendunt; cùm eadem Perſona, adhuc ſub diverſo reſpectu, non poſſit eſſe ſimul genita, & generans. Hoc textu ad probandum, ſe eſſe Filium Dei, & non David, uſus eſt Chriſtus *Matth.* 22. *v.* 43. 44. 45. dicens: *Si ergo David vocat eum Dominum; quomodò Filius ejus eſt?*

XXIV. Quintò. Trinitatem Perſonarum evincunt verba Pſalmi 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt: & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ubi *Dominus*, ideſt Pater, qui per *Verbum* à ſe procedens, omnia facit, Cœlos firmavit; & *Spiritu oris ſui*, ideſt Spiritu Sancto, cui perfectio operum Dei tribuitur, Cœlos virtute

ornavit. Quæ antiquiores ex Rabbinis negare neſciunt. Rabbi enim Elazar *non eſt* (inquit) *creatus mundus, niſi verbo Dei ſancti, ſicut dictum eſt in Pſal.* 32. (vel apud Hebræos 33.) *Verbo Dei Cœli facti ſunt*. Et R. Simeon dicit: *Spiravit Deus Spiritum oris ſui, & creatus eſt mundus, ſicut dictum eſt Pſal. 33. & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. In quibus* (inquit Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 4.) *tria hæc Deus, Verbum ejus, & Spiritus, diſtinctè, & apertè in mundi productione concurriſſe ponuntur. Hæc autem tria, quid aliud ſunt, quàm Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? Verbum enim realiter diſtinguitur à proferente, & Spiritus à ſpirante.... Cum igitur in Deo nullum ſit accidens, ut ipſi etiam concedunt.... ergo ſunt hypoſtaſes, ſive ſuppoſita, vel perſonę realiter diſtincta.... quibus tres proprietates attribuuntur, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus, qui non tres Dii ſunt, neque tres Creatores, ſed unus Deus, unuſque Creator.*

XXV. Sextò. Hoc myſterium probant verba *Iſaiæ 6. v. 3.* ubi Seraphim *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*. Quæ eleganter ponderans Divus Ambroſius lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. *Quid ſibi vult* (inquit) *ſub uno nomine Sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur; niſi quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Sanctitate unum ſunt; Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret: non bis, ne Spiritum Sanctum præteriret: non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut oſtenderet Trinitatis unam eſſe deitatem, dum ter dixiſſet* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *addidit ſingulariter* Dominus Deus Sabaoth.

Quod (teſte Galatino citato cap. 1.) Veteres Rabbini ita ſunt interpretati, maximè R. Simeon ben Johai dicens: *Sanctus, hic eſt Pater. Sanctus, hic eſt Filius. Sanctus, hic eſt Spiritus Sanctus*. Et R. Jonathas ben Uziel: *Ideſt Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus*. Subdit autem Galatinus, quòd poſt tria illa nomina Sanctus, Sanctus, Sanctus immediatè ſemel dumtaxat ponitur nomen Dei *Tetragrammaton*, per quod Divina Eſſentia importatur? undè clarè innuitur, tres illas Perſonas, non tres Deos, ſed unum Deum eſſe. Quamobrem veteres illi Thalmudiſtæ, qui hujus arcani non prorsùs ignari erant, ſtatuerunt, quòd tàm iſta Iſaiæ verba, quàm illa Deuteronomii 6. v. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt* (de quibus infra) ab unoquoque Judæorum bis ſaltem in die, mane ſcilicet, & veſpere dicerentur: quod apud eos hucuſque ſervatur. Ut dùm Judæi ipſi hæc eadem verba pronunciant ore, & divinarum Perſonarum Trinitatem, & Divinæ Eſſentiæ unitatem, velint, nolint, profiteantur.

XXVI. Tandem Myſterium Trinitatis demonſtrant, quæ *Deuteron. 6. v. 4.* nuper laudavimus, nempè: *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Deus unus eſt*. Seu veriùs *Deus, Deus noſter, Deus unus eſt*. Hebraicus enim textus loco *Dominus* habet nomen Dei *Tetragrammaton*, quod Deum per eſſentiam, non per effectum, deſignat; ut notat Galatinus loco citato cap. 1. Dùm ergo dicitur *Deus unus eſt*, unitas eſſentiæ deſignatur. Dùm verò ter repetitur *Deus*, quid aliud, niſi Perſonarum Trinitas in unitate eſſentiæ indicatur? Quarè, referente R. Simeon Johai filio, Rabbi Ibba ita eum textum exponit: *Hic eſt Iſrael antiquus, ideſt Deus, qui eſt principium omnium rerum, antiquus antiquorum.... & dicitur Pater. Elohem ideſt Deus noſter profunditas fluminum, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre; & Filius vocatur, ideſt Deus: Hic eſt Spiritus Sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur menſura vocis. Unus eſt, ut unum cum alio concludat, & colliget.*

Illud

Illud quoque, quod in Pſalmo 65. (vel 67.) v. 7. ſcribitur, ſimile eſt: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.* Ubi in eo, quòd ter ponitur *Deus*, trium Perſonarum divinarum deſignatur diſtinctio. In eo, quod ſecundo tantùm loco additur *noſter*, ſolum Filium per noſtræ naturæ aſſumtionem, noſtrum fore inſinuatur. In eo verò, quòd poſtremò *metuant eum*, & non *eos*, dicitur, ipſarum Perſonarum unitas, ac identitas in natura oſtenditur.

XXVII. Ex his omnibus ad recentiores Judæos placet me ſic convertere. In aſſerenda, vel neganda Trinitate Perſonarum in unitate eſſentiæ, nolo, ut vos ſtetis Sacræ Scripturæ, ut explicatæ à noſtris Doctoribus; ſicut nec nos ſtare debemus judicio recentiorum, Rabbinorum veſtrorum: quia ſicut nos, ut vos dicitis, ſumus in hac cauſa partes, ita & illi æſtuanti in Chriſtianam Religionem odio præoccupati. Stemus omnes judicio veterum Rabbinorum, qui vel Chriſtum præceſſerunt, vel ipſi fuerunt coævi. Hi enim utpote nullius partis ſtudio præventi, germanam, ac ſinceram Sacræ Scripturæ intelligentiam accommodaſſe credendi ſunt. At hi, ut oſtendi, in Sacra Scriptura Trinitatem Perſonarum in unitate eſſentiæ deprehenderunt; ergo Sacra Scriptura eam docet; ergo vos eam negantes, & veſtris Doctoribus, & ipſi Scripturæ contra dicitis.

XXVIII. Quæres. Cùm (teſte Galatino citato cap. 1.) Veterum Rabbinorum ſententia fuerit, Myſterium Trinitatis obſcurè traditum in Veteri Teſtamento, reſervatum fuiſſe clarè revelandum per Meſſiam: quare hoc factum eſt?

Reſpondeo, hoc factum fuiſſe, quia Judæorum Populus maximè ad Idololatriam proclivis erat, ad quam evitandam univerſa Lex Vetus condita fuit. Ne igitur in eorum, qui plures Deos colebant, errorem incideret, cautè à Divina Providentia factum eſt, ut ipſum Divinæ Trinitatis Arcanum ſubobſcurè, & quaſi ſub velamine proponeretur; ne populus rudis, & malè diſpoſitus, cum pluralitate Perſonarum, pluralitatem Deitatis miſceret. At quoniam Idololatria per Meſſiam penitùs erat explodenda, ac Orbis univerſus ad unius Dei cultum reducendus; idcircò Trinitatis Sacramentum explicitè, & apertè revelandum, ad dies Meſſiæ fuit reſervatum: Quod omnis quoque Kabbaliſtarum Schola planè teſtatur. Rationem hanc tradidit Theodoretus *lib. 2. ad Græcos*, ubi de Hebræis, ait: *Cùm in Egypto longinquum ſanè tempus permanſiſſent, multorumque ibi Deorum cultus ritu Egyptiaco didiciſſent, Sapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſtè, apertâque prorſus ratione Trinitatis Myſteria tradidit; ne propoſitam ſibi eſſe Deorum multitudinem arbitrantes, occaſionem hanc haberent ad impietatem Egyptiam declinandi; Trinitatis tamen dogmata, ne tunc quidem venturis in poſterum penitùs occultavit. In antiquis enim Scripturis perfectioris Theologiæ materiam, quaſi ſemina quadam diſperſit.*

§. III.

Trinitas ex novo Teſtamento.

XXIX. Dico ſecundò. Trinitas Divinarum Perſonarum in novo Teſtamento manifeſtè revelata eſt. Primum Teſtimonium ſumitur ex cap. 1. Joannis v. 1. 2. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Si hæc* (inquit Tertull. lib. contra Praxeam cap. 21.) *non aliter accipi licet, quàm quomodo ſcripta ſunt, indubitanter alius oſtenditur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit: Alium ſermonem Dei, alium Dominum, licèt & Deus ſermo, ſed quâ Dei Filius, non quâ Pater: Alium per quem omnia, alium à quo omnia.*

XXX.

XXX. Secundum ſumitur ex *cap. ultimo Matth. v.* 19. ubi Chriſtus Apoſtolis: *Euntes ergo* (inquit) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* quo textu feriuntur nedum Sabelliani, ſed etiam Ariani. Nam Pater, Filius & Spiritus Sanctus Trinitatem Perſonarum demonſtrant; Una enim, eademque Perſona, nequit eſſe Pater, & Filius ſui, neque à ſe ipſo ſpirata: ly verò in *nomine* unitatem naturæ contra Arianos evincit.

XXXI. Tertium ſumitur ex Chriſti Baptiſmo, in quo, ut referunt Matthæus *cap.* 3 *v.* 16. 17. Lucas 3. *v.* 22. & Marcus 1. *v.* 10. & 11. Jeſus *aſcendens de aqua vidit Cœlos apertos, & Spiritum tanquam Columbam deſcendentem, & manentem in ipſo: Et vox facta eſt de Cœlis: Tu es Filius meus dilectus in te complacui.* Hìc deſcribitur Pater loquens, Filius, cui loquitur, & Spiritus Sanctus, qui ſuper Filium deſcendit, & in eo manet; ergo adeſt Perſona loquens, Perſona cui loquitur, & Perſona, quæ deſcendit: hæc enim per diverſas ejuſdem Perſonæ virtutes, & operationes explicari ſine violentia non poſſunt.

XXXII. Quartum profertur ex Joannis *cap.* 10. *ubi v.* 30. Chriſtus de ſe ipſo dicit: *Ego, & Pater unum ſumus:* dicens autem *ego, & Pater*, diſtinctionem Perſonarum expreſſit contrà Sabellianos: addens autem *unum ſumus*, unitatem eſſentiæ. Nec enim de ſola unitate affectus, & voluntatis loquutus fuit; ſed de unitate conſubſtantiali, ut oſtendunt Patres contrà Arianos. Inter quos S. Auguſtinus *tract.* 36. *in Joann.* ſic diſcurrit: *Non dixit, Pater ego ſum, aut ego, & Pater unus eſt: ſed cum dicit*: Ego, & Pater unum ſumus, *utrumque audi, & Unum, & ſumus: & à Charybdi, & à Scylla liberaberis. In duobus illis verbis, quòd dixit*, Unum, *liberat te ab Ario: quòd dixit*, ſumus, *liberat te à Sabellio. Si* unum: *non ergo diverſum. Si ſumus; ergo & Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de uno: ſed & unum non diceret de diverſo.* Et *ſerm.* 56. *de verb. Dom.* (modo *tract* 71. *in Joannem*) ponderans quoque illa verba Joann. 14. v. 10. *Pater autem in me manens ipſe facit opera*, & iſta ibidem *à me ipſo non loquor*: poſtquam dixit, ex iſtis Sabellianum concludere: *Ecce qui Pater eſt, ipſe & Filius.* Arianum verò ex illis inferre: *Ecce inæqualis eſt Patri Filius, à ſe ipſo non loquitur.* Utrumque ex altero perſtringens ait: *Audi Sabelliane: uſque adeò non ipſe Pater, ſed alter eſt Filius, ut etiam Arianus inæqualem aſſerat Patri. Audi Ariane: Uſque adeò Filius æqualis eſt Patri, ut Sabellianus eundem eſſe dicat & Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple, quem minuis, & nobiſcum ambo conſiſtitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum, qui alter eſt à Patre, ut convincas Sabellianum, & æqualis Patri, ut convincas Arianum. Utriſque enim clamat:* Ego, & Pater unum ſumus. Quòd *ait* unum, *audiant Ariani. Quod ait*, ſumus, *audiant Sabelliani: & nec illi æqualem, nec illi alterum negando ſint vani.* Ita acutè Auguſtinus.

Tertullianus item *lib. contra Praxeam cap.* 22. ſuper præfata verba: *Ego & Pater unum ſumus. Si enim* (inquit) *dixiſſet, quòd unus ſumus, potuiſſet adjuvare ſententiam illorum* (Praxeæ, & negantium pluralitatem Perſonarum) *Unus enim ſingularis numeri ſignificatio videtur.... Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad ſingularitatem, ſed ad unitatem, ad ſimilitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit, & ad obſequium Filii, qui voluntati Patris obſequitur, unum ſumus dicens, ego & Pater, oſtendit duos eſſe, quos æquat & jungit.* De hoc textu aliqua dicemus etiam infra, dum contra Arianos, & Socinianos res erit.

XXXIII. Quintum Teſtimonium ſumitur ex Epiſt. 1. Joann. 5. v. 7. *Tres ſunt qui Teſtimonium dant in Cœlo:*

Digitized by Google

lo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Quibus nil apertius pro Trinitate Perſonarum, & unitate eſſentiæ in Divinis. Contra hunc textum multa occurrunt, quæ infra proponentur. Nimius eſſem, ſi huc afferre vellem omnia novi Teſtamenti loca, quæ traditione perpetuâ Patres pro aſſerendo Trinitatis myſterio contrà ipſum impugnantes protulerunt, quæ apud ipſos, & Theologos videnda relinquo.

XXXIV. Placet Sabbellianos hoc ratiocinio perſtringere. Aliqua in Scripturis de Deo dicuntur, quæ ſolà diſtinctione munerum, officiorum, ſeu operationum ſine reali diſtinctione Perſonarum ſalvari non poſſunt. Primò enim in Deo aſſeritur verus Filius 1. Joann. 5. v. 20. *& ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus.* Verus igitur Deus verum habet Filium: atqui propria, & vera filiatio non dicitur, niſi de ſuppoſito, & Perſona; non enim pes, vel manus, & multò minus accidens, aut virtus, puta calor, vel color, dicitur filius alterius; ſed ſolùm dicitur filius ille, qui eſt Perſona realiter procedens ab altera in ſimilitudinem naturę ipſius; ergo &c. hæc ratio eſt D. Thomæ 4. *contrag. cap. 5. num. 6.*

Secundò. Diſtinctio ponitur in divinis cum talibus expreſſionibus, quæ non ſignificant niſi Perſonas, ſicut pronomina *ego*, *ille*, *ipſe*, & ſimilia: hæc enim non demonſtrant niſi Perſonas invicem diſtinctas, cùm nec pes, vel manus, nec Sapientia, aut bonitas dicere poſſint *ego feci hoc*, *vel illud*. Chriſtus autem de ſe ipſo ait Joann. 8. v. 42. *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni; neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Et Joann. 16. v. 14. de Spiritu Sancto *Ille* (inquit) *me clarificabit; quia de meo accipiet.* Cùm igitur nulla Perſona realiter procedat, mittatur, vel aliquid recipiat à ſe ipſa, ſed ab altera; cumque *ego*, *ille* duas Perſonas diſtinctas demonſtrent, ſequitur, in Deo eſſe Perſonas realiter diſtinctas.

Tertiò. In Divinis dicitur unus eſſe apud alterum, Joann. 1. *Verbum erat apud Deum:* Unus dicitur eſſe in alio, ibid. v. 18. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris.* Joann. 10. v. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Unus dicitur eſſe cum alio, Proverb. 8. v. 30. *Cum eo eram cuncta componens.* Hæc autem niſi de Perſonis diſtinctis verificari poſſunt.

XXXV. Neque dicas primò. Filium non diſtingui à Patre, niſi per Incarnationem; ante Incarnationem enim nulla erat diſtinctio. Nam contrà eſt, ait D. Thom. loco citato num. 4. *Invenitur ex Sacra Scriptura etiam ante Incarnationem Filius à Patre fuiſſe diſtinctus, dicitur enim Joann.* 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. *Verbum igitur, quod apud Deum erat* (& Deus erat) *aliquam diſtinctionem ab ipſo habebat. Habet enim hoc conſuetudo loquendi, ut alius apud alium eſſe dicatur.*

XXXVI. Neque dicas ſecundò. Per ſolam connotationem diverſorum effectuum omnia præfata poſſe ſalvari, ut Deus dicatur Pater per Creationem, Filius per Incarnationem, & Spiritus Sanctus propter Juſtificationem.

Nam contrà eſt. Tùm quia Verbum dicitur eſſe apud Deum etiam ante Creationem, Incarnationem, & Sanctificationem; ergo antequam Deus quidquam faceret extra ſe, ſtatuenda eſt in Divinis diſtinctio, & quidem perſonalis, cum nullus dicatur eſſe apud ſe, ſed apud alium. Tùm quia Chriſtus, Joann. 5. v. 19. duo dicit: unum, quod *non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem;* alterum, *quæcumque enim ille fecerit hæc & Filius ſimiliter facit.* Neutrum autem verificari poſſet, ſi eadem Perſona Patris pro ut incarnata diceretur Filius. Non primum; quia

quia eſto de diverſis perſonis, dùm una conatur alteram imitari, dicamus, quòd Paulus v. g. non facit, niſi quòd videt Petrum facientem; de una tamen, & eadem perſona etiam ſub diverſo reſpectu, nonniſi ridiculè diceretur, quòd Petrus, ut animal, non faciat, niſi quod videt ſeipſum facere, ut rationalem. Non alterum: quia cùm illa Divina Perſona dicatur Pater, & Filius propter diverſos effectus, quos facit, non poſſet dici quæcumque Pater facit, Filius ſimiliter facit: ſed potius oppoſitum; nimirùm, nihil, quod facit Pater, facit Filius, ſed totum diverſum. Nam Pater ut Pater creat; Filius ut talis non creat, ſed Incarnatur: ſicut homo ut rationalis nihil facit eorum, quæ facit, ut eſt animal.

Tùm denique. Si enim eadem Perſona, quæ eſt Medicus, eſſet etiam Judex, nonnè nonniſi ridiculè diceretur, quòd Medicus eſſet apud Judicem, eſſet, cum Judice, & in Judice, & mitteretur à Judice? vel ergo omnes Sacrarum Scripturarum locutiones, quibus Verbum dicitur eſſe apud Patrem, à Patre, cum Patre, in Patre, mitti à Patre, impropriæ, & quaſi ridiculæ ſunt; vel Perſona Patris alia eſt à Perſona Filii.

§. IV.

Anti-Trinitariorum argumenta ſoluta.

XXXVII. Sabelliani, cæterique Myſterii SS. Trinitatis hoſtes, partim Scripturis malè intellectis, partim rationibus Philoſophicis, ſeu Sophiſmatibus nitebantur. Hæc igitur proponenda ſunt, ac diſſipanda.

Primò objiciebant loca tùm novi, tùm veteris Teſtamenti, in quibus Deus dicitur eſſe ſolus. Ex quibus inferebant, non eſſe plures in Deo Perſonas; ubi enim eſt pluralitas & multitudo, ſive Naturarum, ſive Perſonarum, ibi non eſt ſolitudo. Porrò Deum eſſe ſolum probabant ex novo Teſtamento, præſertim ex illo Joann. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et ex illo 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Ubi ſolus Pater vocatur Deus; Jeſus autem Chriſtus, non Deus vocatur ſed Dominus. Et ex illo ad Epheſ. 4. v. 6. *Unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Ex veteri autem Teſtamento ratiocinabantur ſic: Nullus eſt alius Deus, quàm qui in veteri Lege dicitur: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, & Deus Patrum noſtrorum*, ut ait Petrus *act.* 3. *v.* 13. Sed hic eſt Deus ſolus, & unus; ergo &c. Min. probabant. Tùm ex illo Deuteron. 32. v. 39. *Videte quod ego ſim ſolus.* Tùm ex illo Pſalm. 85. v. 10. *Tu es Deus ſolus.* Tùm Iſaiæ 37. v. 16. *Tu es Deus ſolus omnium Regnorum Terræ.* Tùm cap. 44. v. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos ſolus.* verſ. 6. *Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus.* Et ſimilia.

XXXVIII. Reſpondetur. Pluralitatem, & multitudinem tollere unitatem, & ſolitudinem in eo genere, in quo eſt pluralitas, & multitudo; cùmque in Deo adſit pluralitas Perſonarum, non naturarum, hâc pluralitate tollitur quidem, quòd in Deo ſit una Perſona, non autem quòd in illis tribus Perſonis ſit una, & ſola Natura Divina. Quare retorqueo argumentum: Iſte Deus qui in Scripturis dicitur unus, & ſolus, in eiſdem Scripturis de ſeipſo pluraliter loquitur, ut oſtenſum eſt Geneſ. 1. v. 26. *Faciamus hominem &c. Venite deſcendamus.* [Geneſ. 11. v. 7.] *Ego & Pater unum ſumus* [Joann. 10. v. 30.] Sed de eodem omnino tàm unitate eſſentiæ, quàm Perſonæ, numerus pluralis veri-

ri-

Digitized by Google

ſignificari non poteſt; ergo cùm in Deo non adſit pluralitas naturæ, debet eſſe pluralitas in Perſona. *Ubi enim eſt unum ſuppoſitum ſubſiſtens, pluralis prædicatio non recipitur; Chriſtus autem de ſe, & de Patre pluraliter loquitur dicens:* Ego & Pater unum ſumus: *non eſt ergo Filius ipſe Pater*. Ita Sanctus Thomas 4. contrag. cap. 5. nu. 3.

Aliter reſpondeo cum eodem *prim. part. qu.* 31. *art.* 3. Quòd cùm dicitur Deus ſolus, hæc dictio *ſolus* poteſt accipi ut *categorematica*; vel ut *ſyncategorematica*. Primo modo abſolutè ponit rem ſignificatam circa aliquid ſuppoſitum, ut albus circa hominem, cum dicitur: homo albus. Hoc autem modo *non poteſt adjungi alicui termino in divinis; quia poneret ſolitudinem circa terminum, cui adjungeretur, & ſequeretur, Deum eſſe ſolitarium. Dictio autem ſyncategorematica dicitur illa, quæ importat ordinem prædicati ad ſubjectum, ſicut hæc dictio omnis, vel nullus: & ſimiliter hæc dictio ſolus; quia excludit omne aliud ſuppoſitum à conſortio prædicati. Sicut cum dicitur ſolus Socrates ſcribit, non datur intelligi, quod Socrates ſit ſolitarius; ſed quod nullus ſit ei conſors in ſcribendo, quamvis cum eo multis exiſtentibus. Et per hunc modum nihil prohibet, hanc dictionem*, ſolus, *adjungi alicui eſſentiali termino in Divinis, in quantùm excluduntur omnia alia à Deo à conſortio prædicati, ut ſi dicamus: ſolus Deus eſt æternus; quia nihil præter Deum eſt æternum.*

XXXIX. Ad teſtimonia ex novo Teſtamento, reſpondeo. Ad primùm ex Joann. cap. 17. Dico primò. Patrem appellari *ſolum Deum verum*, non per excluſionem aliarum Perſonarum in eadem vera Deitate ſubſiſtentium, ſed per excluſionem Deorum, quibus à Gentilibus tribuebatur divinitas, cum reverà divinitatem non haberent. Unde fit ſenſus, Patrem eſſe ſolum Deum verum, ideſt, cujus natura eſt ſola vera divinitas: cùmque aliæ duæ Perſonæ habeant eandem naturam, quam habet Pater, ſequitur, quòd & natura illarum ſit vera divinitas. Ita Nazianzenus *orat.* 36. & Athanaſ. *orat.* 4. *contra Arianos*.

Dico ſecundò cum S. Auguſtino *tract.* 105. *in Joannem*, quòd ordo verborum hic eſt: *hæc eſt vita æterna: Ut te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, cognoſcant ſolum verum Deum*. Quod docet etiam *lib.* 2. *contra Maximin. cap.* 15. & cum eo Nazianzenus citatus; Cyrillus Alexand. *lib.* 11. *in Joann. c.* 5. & S. Ambroſius *lib.* 5. *de Fide cap.* 1. Quibus ſubſcribit S. Thomas *in cap.* 17. *in Joann. lect.* 1. Quia verò hoc eodem textu abutebantur Ariani ad negandam Divinitatem Filii Dei, ideò iterum inferiùs explanandus erit.

Ad ſecundùm ex D. Paulo, eodem modo reſpondeo, Patrem dici unum Deum, non excluſione Divinarum Perſonarum, quæ ſunt unus Deus, ſed excluſione inanium Deorum, quos colebant, & multiplicabant Gentiles. Quare 1. Cor. cap. 8. v. 5. præmiſerat: *Nam etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in Cœlo, ſive in Terra (ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi)* ſtatim ſubdit v. 6. *Nobis tamen unus Deus &c.* Eodem ergo modo Pater dicitur à Paulo *unus Deus*, quo ab ipſo ibidem Chriſtus dicitur *unus Dominus*: ſicut autem Chriſtus non eſt unus Dominus cum excluſione Patris, & Spiritus Sancti, ita nec Pater eſt unus Deus cum excluſione Filii, & Spiritus Sancti. Eodem modo reſpondetur ad textum ex Epiſt. ad Epheſios. Igitur *non duo Dii Pater, & Filius; nec tres Dii, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ſed ipſa Trinitas unus ſolus verus Deus. Nec idem tamen Pater, qui Filius, nec idem Filius, qui Pater, nec idem Spiritus Sanctus, qui Pater, & Filius; quoniam tres ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ſed ipſa Trinitas unus eſt Deus*. Ita S. Auguſt. *tractat.* 105. *in Joann.* ſupra citato.

XL. Ad ea, quæ ex veteri Teſtamento opponuntur, dico: Deum eſſe unum; at ſolùm unitate eſſentiæ, non verò

verò Perſonæ; nec aliud evincunt textus Deuteron. Pſalmi, & Iſaiæ. Illis enim Deus dicitur unus, nec alium eſſe præter ipſum, ad excludendam pluralitatem Deorum, non Perſonarum: *ut multitudinem falſorum Deorum unio Divinitatis expellat, habens tamen Filium quantò individuum, & inſeparatum à Patre, tantò in Patre reputandum, etſi non nominatum* (Ita Tertull. lib. contra Praxeam cap. 18.) *Atquin ſi nominaſſet, illum ſeparaſſet, ita dicens: Alius præter me non eſt, niſi Filius meus*. Acuta ſanè Tertulliani obſervatio! quia ſi Filium nominaſſet, dicendo Alius præter me non eſt, niſi Filius meus, fieret ſenſus, quòd Filius ſit alius Deus à Deo Patre. Non debuit ergo nominari Filius, ne videretur Filius intimè conjunctus Patri, ſeparari divinitate à Patre. Sicut ſi Sol diceret (exemplum eſt Tertulliani) *ego Sol, & alius præter me non eſt, niſi radius meus*: nonnè denotaret, radium eſſe alium, & ſeparatum à Sole, cùm tamen radius ſit intimè cum Sole conjunctus? cum dicitur autem extendens Cœlos Solus, hoc dicitur præſtruendo Hæreticorum Valentinianorum fabulas, qui (inquit Tertull.) *Mundum ab Angelis, & Poteſtatibus diverſis volunt ſtructum*; non excludendo Sapientiam Dei, quæ in ipſo eſt, & quæ Prov. 8. *cum eo erat cuncta componens*. De hoc videatur D. Thom. ſupra relatus num. 38. ubi exponit, quot modis ſumi poteſt dictio excluſiva *ſolus*; & quomodo dicta de Deo concedenda ſit, quomodo neganda.

XLI. Secundò objiciebant. Ubi ſunt tres Perſonæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi tres Dii ſunt: ſed tres Deos admittere impium eſt; ergo &c.

Si Reſpondeas, diſt. maj. ibi tres Dii ſunt, ſi in illis diviſa ſit divinitas, conc. maj. ſi una, eadem, ac indiviſa in eis Deitas, ſeu Divinitas ſit, nego maj. cum ergo in tribus Divinis Perſonis una, ac indiviſa Deitas ſit, non ſunt tres Dii, ſed unus Deus, etſi in Perſonis trinus.

XLII. Contra eſt primò. Sicut homo ſignificatur, ut habens humanitatem, ita Deus, ut habens Deitatem: ſed tres Perſonæ divinæ ſunt tres habentes Deitatem; ergo ſunt tres Dii.

Secundò. Sicut hoc nomen Deus ſignificat habentem Deitatem, ita hoc nomen Perſona ſignificat habentem ſubſiſtentiam in natura intellectuali: ſed ex quo ſunt tres ſubſiſtentes, dicimus tres Perſonas; ergo ex quo ſunt tres habentes Deitatem, debemus dicere tres eſſe Deos.

Tertiò. Gentiles Philoſophi unam Divinitatem admittebant: quia tamen illam ponebant in pluribus Perſonis, cogebantur plures Deos admittere; ergo quamvis unam dicamus Deitatem, ſi tamen eam in pluribus Perſonis ponimus, cogimur plures Deos admittere.

XLIII. Reſpondeo, conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam. Variatur enim appellatio de materiali in formalem, & etiam ſuppoſitio. *Nam licèt Deus ſignificet habentem Deitatem eſt tamen alius modus ſignificandi. Nam Deus dicitur ſubſtantivè; ſed habens Deitatem dicitur adjectivè: Unde licèt ſint tres habentes Deitatem, non tamen ſequitur, quòd ſint tres Dii*. Ita D. Thomas 1. p. qu. 39. art. 3. ad 1. Porrò differentiam inter nomen ſubſtantivum, & adjectivum explicat S. Doct. in corpore illius articuli; quòd nomen ſubſtantivum accipitur pro forma per ſe, & ratione ſui; nomen verò adjectivum accipitur pro forma, ut in ſubjecto, vel ſuppoſito exiſtente: Unde nomen ſubſtantivum principaliter ſupponit pro forma abſolutè; nomen adjectivum principaliter, & in recto ſupponit pro ſuppoſito, ſeu Perſona habente formam. Ex quo fit, quòd nomina ſubſtantiva multiplicari non poſſunt, niſi forma multiplicetur; nomina autem adjectiva multiplicari poſſunt, etiamſi non multiplicetur forma, dummodo multiplicentur ſubjecta, ſeu ſuppoſita habentia formam. Cum ergo in Divinis ſint quidem tria ſup-

ſuppoſita, ſed habentia unam omnino Deitatem, non tres Deitates, poſſunt quidem dici tres habentes Deitatem, ſeu tres Divini adjectivè; non tamen tres Dii ſubſtantivè. Quare reſolvit D. Thomas ibi: *quòd nominum eſſentialium quædam ſignificant eſſentiam ſubſtantivè, quædam verò adjectivè. Ea quidem, quæ ſubſtantivè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus Perſonis ſingulariter tantùm, & non pluraliter. Quæ verò adjectivè eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus Perſonis in plurali.*

XLIV. Ad ſecundam inſtantiam, concedo pariter præmiſſas, & nego conſequentiam. Vitium enim eſt, ut ait D. Thom. laudatus ad quartum: *Quòd forma ſignificata per hoc nomen Perſonam, non eſt eſſentia, vel natura* [ſicut eſt forma ſignificata per hoc nomen Deus] *ſed Perſonalitas. Unde cum ſint tres Perſonalitates, ideſt tres Perſonales proprietates in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, non ſingulariter., ſed pluraliter prædicatur de tribus.*

XLV. Ad tertium, Diſt. ant. quia illam ponebant in pluribus diviſam, & multiplicatam, conc. ant. indiviſam prorsùs, & unam realiter in illis, nego ant. Pagani ergo Philoſophi Divinitatem ponebant in pluribus realiter in eis diviſam, & multiplicatam, eo modo, quo humanitas ponitur in pluribus, nempe in Sorte, & Platone, in quibus nedum multiplicantur ſuppoſita habentia humanitatem, ſed & humanitates ipſæ: alia eſt enim humanitas, quæ eſt in Sorte, alia, quæ in Platone, quamvis ſecundùm ſimilitudinem una ſit. At nos Deitatem ponimus in tribus Perſonis prorsùs indiviſam, & ideò non cogimur ponere tres Deos. Audiamus S. Thomam loco citato: *Hæc igitur eſt ratio, quare Socratem & Platonem & Ciceronem dicimus tres homines; Patrem autem, & Filium, & Spiritum Sanctum non dicimus tres Deos, ſed unum Deum: quia in tribus ſuppoſitis humana natura ſunt tres humanitates; in tribus autem Perſonis eſt una Divina Eſſentia.*

XLVI. Nec refert, quòd Patrum aliqui (inter quos Nyſſenus, & Baſilius) dixerint, tres Divinas Perſonas eſſe unum Deum, ſicut Paulus, & Joannes ſunt unus Homo. Non, inquam: etenim cùm ſimilitudo ſemper diverſitatem includat, aliàs non eſſet ſimilitudo, ſed identitas; hoc maximè habebit ſimilitudo petita ex rebus creatis, ad explicandum Myſterium Trinitais; quòd cùm nihil in creatis habeat, cum quo poſſit comparari, omnis ſimilitudo petita ex creaturis, adeò manca, & deficiens erit, ut plus diſſimilitudinis habeat, quàm ſimilitudinis. Dùm ergo illi Patres dicunt, tres Divinas Perſonas eſſe unum Deum, ſicut Paulus, & Joannes ſunt unus homo, ſolùm valet in eo, quòd ſicut proprietates individuales, quibus opponuntur Paulus, & Joannes, non tollunt convenientiam eorum in natura humana utrique communi; ita proprietates perſonales, quibus Divinæ Perſonæ invicem opponuntur, non tollunt, quin eâdem Naturâ Divinâ unum ſint. Non valet tamen, nec aſſumta fuit ſimilitudo ad parificandum modum unitatis. Nam Petrus, & Paulus unum ſunt in natura humana ſolà unitate ſimilitudinis; Divinæ autem Perſonæ unum ſunt in natura unitate identitatis: itaut natura divina in omnibus eadem omnino, ac realiter ſit indiviſa.

XLVII. Tertiò objiciebat Servetus primò. Aut Perſona in Deo finita eſt, aut infinita. Si infinita, una eſt, quia infinitum unum eſt. Si finita; ergo infinitæ Perſonæ ponendæ ſunt, quæ divinæ naturæ infinitati reſpondeant, & eam adæquent.

Secundò. Per ſe notum eſt, quòd *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* ſed tres Divinæ Perſonæ eſſent idem uni tertio, nempe naturæ divinæ; ergo ſunt idem, non diſtinctæ inter ſe.

Tertiò. Si in Deo ponitur Trinitas

propter tres Perſonas ſubſiſtentes, cur non ponitur quaternitas, cùm præter illas ſit natura divina, quæ pariter ſubſiſtens eſt?

Quartò. Ex illis Perſonis una procedit, & accipit eſſe ab alia, quod eſt contra naturam entis omnino increati, & à ſe.

Quintò. Generare ſumma perfectio eſt in vivente: hanc autem perfectionem habet Pater, Filius non habet; ergo Pater, & Filius ejuſdem perfectionis non ſunt; ergo nec ejuſdem naturæ.

XLVIII. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum, dico, Perſonam in Deo eſſe infinitam. Nego tamen, eam eſſe unam in proprietate Perſonali, ſed in pluribus Perſonis eſſe unam, ac indiviſam perfectionem.

Si dicas. Quia Deus infinitè perfectus eſt, unus eſt; ergo ſi Divina Perſona infinita eſt, una eſt.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Nam cùm Deus nominet perfectionem abſolutam, ſi non eſſet unus, ſed alius daretur Deus ab illo, hoc eſſet, quia illius alterius perfectionem non contineret, ut ſuperiùs oſtendimus; quia abſoluta non multiplicantur, niſi ex limitatione. At Perſona nominat quid relativum in Deo; relativum autem includere non debet, ſed potiùs excludere à ſe ſuum correlativum, cùm illi realiter opponatur. Hoc tamen non tollit, quin una Perſona divina mediatè ſaltem, & realiter contineat omnem perfectionem alterius Perſonæ. Cùm enim omnes Perſonæ idem ſint in eſſentia divina; ratione huius identitatis una Perſona dicitur eſſe in alia per circuminſeſſionem, ut aiunt Theologi. Quo ſenſu dicebat Chriſtus Joann. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Et v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Unde Athanaſ. orat. 3. contra Arianos num. 3. *Filius* (inquit) *in Patre eſt, quantum licet intelligere, quia totum quod eſt Filius, hoc natura Patris proprium eſt, eo modo quo ex luce ſplendor, & ex fonte fluvius exoritur: adeò, ut qui Filium videt, id quod proprium eſt Patris videat, intelligatque, Filium ideircò in Patre eſſe, quia ex Patre habet ut ſit: & viciſſim Patrem in Filio eſſe, quia Filius eſt id quòd proprium eſt ex Patre, ſicut Sol eſt in ſplendore, mens in Verbo, & fons in fluvio. Ita enim qui Filium contemplatur, id, quod natura Patris proprium eſt, ſimul contemplatur, Patremque in Filio eſſe intelligit. Nam cum forma, & divinitas Patris hoc ipſum ſit, quod eſt Filius, omnino ſequitur, ut Filius ſit in Patre, & Pater in Filio. Quocirca cùm antea dixiſſet:* Ego, & Pater unum ſumus, *hìc rectè ait:* ego in Patre, & Pater in me eſt; *ut ſcilicet eamdem amborum divinitatem, unamque naturam eſſe doceret.*

XLIX. Ad ſecundum variè reſpondetur à Theologis. Primò dicunt, illud axioma verificari de iis, quæ ſunt idem uni tertio realiter, & non ſunt ratione diverſa, & invicem oppoſita; non de iis, quæ licèt cum tertio idem ſint, ratione tamen diverſa, imò invicem ſunt oppoſita. Ita Sanctus Thomas 1. *part. qu.* 28. *art.* 3. *ad* 1. Ubi ex Philoſopho 3. de Anima (cujus eſt præfatum axioma) ponit exemplum in actione, & paſſione, quæ licèt idem realiter ſint cum motu, non tamen ſequitur, quòd actio, & paſſio ſint realiter idem; quia in actione, & paſſione diverſi reſpectus importantur. Cùm ergo Divinæ Perſonæ licèt ſint idem realiter cum eſſentia divina, ſint tamen rationibus relativis invicem oppoſitæ, ideò non ſunt idem inter ſe. Quare concludit: *Et ſimiliter licèt Paternitas ſit idem ſecundùm rem cum eſſentia divina, & ſimiliter Filiatio: tamen hæc duo in ſuis propriis rationibus important oppoſitos reſpectus. Unde diſtinguuntur ad invicem.* Et oppoſitâ ratione, quia potentia, & bonitas in Deo non important in ſuis rationibus aliquam oppoſitionem, propterea (ibi *ad ſecundum*) ſunt idem tàm inter ſe, quàm uni tertio.

Vide

Vide D. Thom. in 1. diſt. 2. qu. 1. art. 4. ad 2. & art. 5. in corp. & ad 4.

Secundò dicunt, verum eſſe axioma de iis, quæ ſunt eadem uni tertio adæquatè ſumto. Perſonæ autem divinæ ſunt idem cum eſſentia ſolùm inadæquatè ſumta; nam eſſentia adæquatè includit etiam Perſonas, quæ invicem opponuntur.

Tertiò dicunt, verum eſſe, quando ſunt idem uni tertio incommunicabili; ſecùs tamen quando illud tertium eſt communicabile pluribus, ſicut divina natura, quæ communicabilis eſt tribus divinis Perſonis.

Verùm dici poteſt, Myſteria Fidei (inter quæ Trinitas Perſonarum eſt ſummum) non eſſe regulanda per axiomata Philoſophorum, maximè Gentilium omni fidei lumine carentium, qualis erat Ariſtoteles, cujus eſt præfatum axioma. Nam eſt etiam commune effatum, quod *ex nihilo nihil fit;* quod *à privatione ad habitum non datur regreſſus:* & tamen nihil horum habet locum in Deo, qui ex nihilo omnia produxit, & ad cujus nutum omnia reſurgere poſſunt, ac reproduci. Quamvis ergo Philoſophica argumenta ſanè intellecta veritatibus ſupernaturalibus, & Myſterio Trinitatis non contradicant, ſed omnia ſolvi poſſint, quia verum non contrariatur vero; attamen ex illis ſupernaturalia myſteria nec probanda, nec regulanda ſunt. Quarè cum D. Thoma in 1. diſt. 2. qu. 1. art. 4. *Concedendum eſt abſque ulla ambiguitate, eſſe in Deo pluralitatem ſuppoſitorum, vel Perſonarum in unitate eſſentiæ; non propter rationes inductas, quæ non neceſſariò concludunt; ſed propter fidei veritatem.*

L. Ad tertium reſpondetur, poni in Deo Trinitatem propter tres Perſonas invicem diſtinctas; non poni autem Quaternitatem propter divinam eſſentiam; quia hæc cum ſit Perſonis intimè identificata, & ab eis non diſtincta, non poteſt dici quarta res; quia numerus ex ſola diſtinctione conſurgit. Quare Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. cap. *Damnamus* ſtatuit contra Abbatem Joachim: *Quod una quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim qualibet earumdem: & ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina &c.*

LI. Ad quartum dico, unam Perſonam procedere ab alia non ut à cauſa, ſed ut à puro principio; quòd non obeſt, ut ſit ens a ſe Perſona procedens, non minus, ac ea, à qua procedit. Et ratio eſt: quia quod procedit ab alio, ut à cauſa, accipit quidem eſſe ſimile, non tamen illud idem, quod habet cauſa, ſed diverſum. At quod procedit ab altero, ut à puro principio, accipit, eique per proceſſionem communicatur, illud idem eſſe, quod eſt proprium principii: & propterea, ſi eſſe principii eſt independens omnino, & à ſe, etiam erit independens, & à ſe, eſſe, quòd communicatur termino procedenti.

LII. Ad quintum dico, ſummam perfectionem generationis, quæ in Patre eſt, eſſe etiam in Filio, nec tamen Filium generare. Eſt in Filio tota perfectio generationis, quia in Filio eadem eſſentia eſt, cum qua generatio identificatur: ſed Filius non generat; quia generare ſpectat ad proprietatem Patris. Ita reſpondet Sanctus Ambroſius lib. 4. de fide cap. 4. dicens: *Cur inquiunt* (Ariani) *Filius Pater non eſt? Quia & Pater Filius non eſt. Cur iſte non generavit? Quia nec ille generatus eſt. Nec ideò minus habet Filius, quia Pater non eſt. Nec Pater minus habet, quia Filius non eſt. Dixit enim Filius: Omnia, quæ Pater habet mea ſunt. Adeò generatio in paterna proprietate, non in jure eſt poteſtatis.*

LIII. Si dicas; ergo admittendæ erunt, ut veræ hæ duæ contradictoriæ; *Deus eſt generans: Deus non eſt*

eſt generans. Nam Pater eſt Deus, Filius eſt Deus; Pater autem generat, Filius non generat.

LIV. Nego, ambas illas propoſitiones admittendas eſſe, ut veras. Nam in priori *Deus eſt generans*, ly *Deus* ſupponit determinatè pro Patre, & proindè eſt vera: verè enim Deus Pater eſt generans. In poſteriori vero, *Deus non eſt generans*, ly *Deus* ſupponit pro omnibus Perſonis indiſtinctè, & illa particula *non* univerſaliter negat generationem in Deo. Unde facit ſenſum, quòd nulla Perſona, quæ ſit Deus, generat; unde patet eam eſſe prorſus falſam.

LV. Quartò objici poteſt. Primi poſt Chriſti tempora Chriſtiani Myſterium Trinitatis non ſunt profeſſi. Si enim profeſſi eſſent, Gentiles ex eo ſumſiſſent argumentum pro Deorum pluralitate, quam ipſis Chriſtiani exprobrabant; aut ſaltem Chriſtianos redarguiſſent, quòd & ipſi plures Deos admitterent, quod poſtea Sabelliani objecerunt. Cùm ergo nil horum Gentiles fecerint, argumento eſt, Chriſtianos tunc temporis hoc myſterium profeſſos non fuiſſe.

LVI. Reſpondeo, vel non extare libros, quibus Gentiles adverſus Trinitatis myſterium, aliaque Chriſtianæ Religionis Dogmata conſcripſerunt, & Apologias Chriſtianorum illis reſpondentium: Vel antiquos Patres hoc myſterium apud Gentiles non evulgaſſe, ſed Cathecumenis, quos inſtituebant, ut Fidei ſecretum cuſtodiendum committebant. Unde iidem Patres, aut ſcribentes, aut coram Gentilibus loquentes æconomiæ, ac prudentiæ causâ varia reticebant. De quo videndus eſt Scheleſtrate in ſuo opuſc. *de Diſciplina arcani*.

Secundò reſpondere etiam poſſem, falſum eſſe, Gentiles Philoſophos nunquam fuiſſe argumentatos contra Trinitatis myſterium. Nam Juſtinus in prima Apologia pro Chriſtianis refert, Chriſtianos pro inſipientibus habitos fuiſſe à Gentilibus, quòd Chriſtum ut Dei Filium colerent, quod certè eſt fateri Trinitatem. Praxeas etiam, qui altero ſeculo vixit, totus erat, ut ex fide Trinitatis pluralitatem Deorum aſtrueret, ut videre licet apud Tertullianum, libro contrà ipſum. Et Celſus Gentilis Philoſophus (teſte Origene in libris adversùs ipſum conſcriptis) probabat Deorum pluralitatem ſequi ex Trinitate; ne dicam de Juliano Apoſtata, ut legi poteſt apud Cyrillum contra Julian. maximè lib. 8.

DUBIUM II.

De Unitate naturæ in Trinitate.

§. I.

Ariana Hæreſis.

I. Diſipatâ ab Eccleſia Chriſti Sabellianâ hæreſi, Ariana ſucceſſit, non minùs impia; quæ licèt voce Trinitatem Perſonarum in Deo admitteret, cùm tamen earum conſubſtantialitatem negaret, Trinitatem divinam reverà deſtruebat.

II. Ariana dicta fuit ab Ario Urbis Alexandrinæ Præsbytero, genere Lybio, Dialecticæ peritiâ claro; & quamvis externâ ſpecie præferente virtutem, impiè tamen in Filii Dei & Chriſti Divinitatem blaſphemo. Hic ergo ſub Conſtantino Magno Imperat. & Silveſtro I. Rom. Pontifice anno circiter 317. vel (ut alii volunt) 320. evulgare cæpit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, & naturæ; Filium Dei eſſe creaturam, non eſſe coæternum Patri, non coeſſentialem: idemque à fortiori de Spiritu Sancto.

III. Arius priùſquam fieret hæreticus, fuit Schiſmaticus: nam Meletii res novas in Eccleſia molientis partibus primò ſe addixerat. Ex Schiſmate in ſpeciem converſus, Diaconus eſt ordinatus à S. Petro Alexandrino Epiſcopo, & Martyre. Verùm cùm is Meletium, ejuſque fautores excommunicaſ-

caſſet, Arius contra hoc factum blaterans ab Eccleſia pulſus eſt. Porrò cùm à S. Petro jam in carcere conſtituto, & Martyrio proximo, ſe in communionem reſtitui Arius vehementer efflagitaret, ferunt Acta S. Petri præfati, Chriſtum ei noctu apparuiſſe, veſte diſciſsâ, cauſamque rei percontanti, reſpondiſſe: *Arius mihi ſcidit. Præcave omnino, ne eum in communionem recipias: Quin potiùs jubeto Achillæ, & Alexandro Preſbyteris, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam, ne eum in communionem recipiant.* Licèt autem viſio hæc Viris eruditis dubia reddatur; hoc tamen verum eſt, mortuo Petro, Arium in Eccleſiam irrepſiſſe & ab Achilla in communionem fuiſſe receptum, indeque factum Præsbyterum. Verùm, Achilla mortuo, indignè ferens Arius, Alexandrum in Epiſcopatu Alexandrino ſibi prælatum, hæreſim, quam corde jam conceperat, apertâ fronte cæpit evomere. Reſtitit in primis, coactâ Synodo, Alexander Patriarcha Alexandrinus: reſtitere alii plures. Tandem in Synodo Nicæna prima, promovente pro executione Conſtantino Magno, & Silveſtro I. annuente auctoritate ſuâ, damnata hæreſis, ejuſque parens Arius pœnitentiam ſimulans exulare coactus fuit, nullâ aliâ mulctatus pœnâ.

IV. Non tamen quievere res. Etenim nondum elapſo triennio, anno ſcilicet 327. Arius cum ſociis ab exilio revocatus per Conſtantinum, eique ſubdolè formulam fidei Catholicæ obtrudens, Alexandriam redeundi facultatem obtinuit. Cùmque ab Athanaſio, qui Alexandro in Sede Patriarchali ſucceſſerat, repulſam paſſus eſſet, concitatis contrà Athanaſium turbis, Arianorum arte, ob quas S. Epiſcopus in exilium amandatus fuit, Arius tandem Conſtantinopolim à Conſtantino vocatur. Qui ab Euſebio Nicomedienſi Arii fautore iterum deluſus, Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo juſſit, ut Arium in communionem reciperet. Sed noctu orante Alexandro, ne diutius ſineret Deus tantum ſerpere malum, mane, dum ad Eccleſiam quaſi triumphans pergeret Arius, ventris onere preſſus ad latrinas ſecedens, cum ſordibus viſcera, & ſordentem emiſit animam, anno Chriſti 336.

V. Miſerè tamen extincto Ario, non extinguitur hæreſis; imò invaleſcit magis, Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo in locum Arii ſuccedente, ex quo Ariani *Euſebiani*, & *Nicomediani* dicti ſunt. Infractus contrà iſtos pugnavit, & multa paſſus eſt S. Athanaſius. Res in apertam perſecutionem contra Catholicos erupit. Plura hinc, inde Concilia coacta ſunt, ſciſsâ in partes Eccleſiâ, Epiſcopis huc, illucque diſtractis; adeò ut totus pene Orbis ingemuerit, ac ſe eſſe Arianum miratus ſit; donec ſucceſſu temporis, prævalente contra mendacium veritate, Ariana nequitia cedere, ac ſenſim mori cæpit.

VI. Extinctam porrò, tumulatam, imò incineratam excitare iterum ad lucem conati ſunt recentiores hæretici, Servetus, Valentinus Gentiles, Alciatus, aliique dubio præcedente recenſiti; inter quos, famoſiores qui ſuum errori nomen dederunt, extitere *Lælius*, & *Fauſtus Socini*, unde factum eſt, ut novi Ariani hodierno tempore *Sociniani* nuncupentur. Aſſerens ergo Fauſtus Socinus, in eſſentia divina unicam eſſe Perſonam, quæ Pater nuncupatur, & implicare, Deum unum in eſſentia, & in Perſonis trinum eſſe, conſequenter dicebat; Filium Dei, nempè Chriſtum, nec Perſonam divinam eſſe nec Deum, niſi metaphoricè, & impropriè, ob ſublimem poteſtatem à Patre vero Deo participatam, ut eſſet inter Deum, & homines Mediator. Unde falſa omnia, quæ de Filii Dei generatione æterna ex Patris ſubſtantia; falſa quæ de ejuſdem Incarnatione dicuntur, niſi figurativè intelligantur: quare nedum Trinitatis, ſed Incarnationis myſterium evertebat.

De

De Spiritu Sancto, aſſerebat, eſſe quidem virtutem, & efficaciam Dei, ſed Perſonam divinam eſſe negabat; quibus hæreſim Macedonii excitabat. Chriſtum ratione Perſonæ eſſe hominem verum, non tamen purum, quia divinâ filiatione ab ortu donatum: ideòque Filium Dei proprium, ac Unigenitum eſſe dicebat; quia nullus alius virtute divini Spiritus, abſque ullo viri concurſu, in utero Matris fuit ſic conceptus, ut ab ortu Filius Dei vocaretur; in quo Neſtorii imitabatur errorem.

Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, à Paulo tamen Primogenitum dici omnis creaturæ; quòd ſicut dignitate, ita tempore omnium novarum creaturarum ſit prima, videlicet quia operâ Spiritu Sancti conceptus, & à peccato immunis, ideò nova creatura dicitur: & hoc loquendi modo antiquas hæreſes Cerinthi, & Ebionis ſuſcitavit.

Chriſtum Prophetam eſſe docebat; quia antequam prophetico munere inciperet fungi, in Cœlum raptus eſt ad Patrem, à quo plenè de omnibus inſtructus, & inde in mundum miſſus fuit, quo cum Mahomete conveniebat.

Inſuper Peccatum originale cum Pelagianis negabat; cum Sadducæis Reſurrectionem Mortuorum futuram eſſe nullam aſſerebat; In Cœna Domini nihil præter panem, & vinum ſive à credentibus, ſive à non credentibus recipi in memoriam mortis Domini, neque tamen Sacramentum eſſe aſſerebat.

Hæc, aliaque impiæ doctrinæ capita nedum Arianiſmi, ſed & omnium ferè hæreſum renovator docebat Socinus; quibus Poloniam, & Tranſylvaniam vivens fœdavit, & quarum ſemina moriens anno 1604. ætatis 65. reliquit, quæque hiſce temporibus apud miſeros homines adhuc pullulare non deſinunt.

Cùm ergo hæc ſint omnium quaſi hæreſum colluvies, nos ea, quæ ad alios Tractatus ſpectant ſuis locis refutanda dimittemus, ſolùm reſervantes caput, quo cum Ario in Filii Dei Divinitatem invehitur: quæ enim contrà Chriſti Divinitatem blaſphemat, in Tractatu de Incarnatione diſſipanda relinquimus.

VII. Præterire non poſſum, Lutheranos, & Calviniſtas puros, etſi Arianiſmum in Serveto, Socino, & aliis deteſtari videantur, ex modo tamen, quo loquuntur, ſemi-Arianiſmi ſuſpicionem non evadere, de Voce *Homouſion* exprimente conſubſtantialitatem Filii cum Patre, non benè loquentes. Lutherus recentiorum hæreticorum Patriarcha in confut. latomi t. 2. pag. 240. *Nec eſt* (inquit) *quod mihi homouſion illud objectes. Non fuit receptum à multis &c.* Et inferiùs: *Quod ſi odit anima mea vocem homouſion, & nolim eâ uti, non ero hæreticus.* Laudatque Arianos, quòd eam rejecerint. Calvinus item lib. 1. Inſt. cap. 13. §. 5. *Utinam* (inquit) *ſepulta eſſent* (nomina Trinitatis, Perſonæ, conſubſtantialis) *conſtaret modò hæc inter omnes fides, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum.* Et ad Polonos *contra Stancarum*, ait: *Precatio vulgò trita eſt:* Sancta Trinitas unus Deus miſerere noſtri, *mihi non placet, ac omnino barbariem ſapit.* Et ibi dicit, Filium Dei eſſe Mediatorem, *quatenus æternus ſermo Dei eſt*, concludens: *Quarè inſcitè ex Mediatoris titulo infertur, Patre eſſe minorem: Quando hæc optimè inter ſe cohærent, Unigenitum Dei Filium eundem, & unius cum Patre eſſentiâ fuiſſe Deum, & tamen fuiſſe quaſi medium inter Deum, & creaturas.* Quæ certè cum doctrina catholica non concordant.

Circa Arium, & Arianæ hæreſis progreſſus multa apud viros Hiſtoriæ, ac eruditionis ſacræ Profeſſores controvertuntur. Nos præſenti dubio ea, quæ materiæ ſubſtantiam tangunt, nempe ſubſtantialem Verbi Divinitatem ſtatuemus; aliqua poſtea de circumſtantiis dicturi.

VII.

Digitized by Google

VII. Quare noto: aliud eſſe quærere, an Verbum ſeu Filius Dei ſit ſubſtantialiter Deus; aliud, an Chriſtus ſit ſubſtantialiter Deus. Etenim adhuc ſuppoſito, quòd Verbum ſit Deus, controverti poteſt, an Chriſtus ſit Deus. Ut enim Chriſtus ſit Deus, ſuppoſito, quòd Verbum ſit Deus, requiritur, ut illius humanitas Verbo hypoſtaticè unita ſit, quæ hypoſtatica unio non ſtatim ſequitur ex Verbi divinitate. Etenim Neſtorius, cui aliàs erat certa Verbi divinitas; quia negabat hanc eſſe hypoſtaticè Chriſto unitam, negabat Chriſtum eſſe verè, & ſubſtantialiter Deum. Ex quo tamen Chriſtus ſit ſubſtantialiter Deus, ſequitur infallibiliter Verbum eſſe ſubſtantialiter Deum; nec enim poteſt Chriſtus ſubſtantialitèr Deus eſſe, niſi quia Verbum illi ſubſiſtentialiter unitum, eſt ſubſtantialiter Deus. Chriſtum eſſe ſubſtantialiter Deum videbimus in Tractatu de Incarnatione. Modò Verbum eſſe ſubſtantialiter Deum contra Arianos, & Socinianos ſtatuendum eſt.

§. II.

Verbi Divinitas ex Scripturis.

VIII. Primum pro Verbi Divinitate teſtimonium exhibet Joann. cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quæ verba exponenda ſunt. Per his voces: *In principio erat Verbum*, Verbo tribuitur coæternitas Patri; ly enim *erat* indicat, illud ſemper fuiſſe: Propterea S. Joannes ibi quater repetit *erat*, *erat*, *erat*, *erat*. Unde Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. *Ecce* (inquit) *quater erat: ubi impius invenit, quòd non erat?* Quod deſignatur quoque per hanc vocem *in Principio*, quæ idem ſignificat, ac *Ante omnia*. Quare Synodus Nicæna prima (ut refert Socrates lib. 1. hiſt. cap. 8.) ex hoc Joannis loco damnavit anathemate Arianos dicentes: *fuit aliquando tempus, cùm* [Verbum] *non eſſet, & antequam gigneretur non erat*. Illæ autem voces *& Verbum erat apud Deum*, ut ſupra vidimus, Sabellianos redarguunt negantes, Filium eſſe Perſonam à Patre proprietate diſtinctam.

Illa verò ſimplex, & abſoluta nuncupatio, quâ Verbum ſine ulla adjectione dicitur Deus, *& Deus erat Verbum*, abundè oſtendit, Verbum eſſe naturâ, & ſubſtantiâ Deum; non gratiâ, aut delegatione, aut aſſumtione, ſicut Moyſes (Exodi 8. v. 19.) datus fuit Deus Pharaonis. *Aliud* enim *eſt* (inquit Hilarius lib. 7. de Trinit. num. 10.) *Deum dari, aliud eſt Deum eſſe. In Pharaonem enim Deus datus eſt* [Moyſes] *cæterum non ei eſt, & natura, & nomen, ut Deus ſit.* Vel ſicut juſti Dii dicuntur: *Ego dixi Dii eſtis* (Pſalm. 81. v. 6.) *Ubi enim refertur* ego dixi, *loquentis potiùs eſt ſermo, quàm rei nomen ... & ubi ſe nuncupationis auctor oſtendit, ibi per ſermonem auctoris eſt nuncupatio, non naturale nomen in genere. At verò hic Verbum Deus eſt, res exiſtit in Verbo, Verbi res enunciatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei Filio de Sacramento nativitatis eſt.* Ita Hilarius laudato loco. Et poſt multa: *Cum audio:* & Deus erat Verbum, *non dictum ſolùm audio Verbum Deum, ſed demonſtratum eſſe, quòd Deus eſt ... hic res ſignificata ſubſtantiæ eſt, cum dicitur* Deus erat. *Eſſe enim non eſt accidens nomen, ſed ſubſiſtens veritas.*

IX. Dices tamen primò. Ly *in principio* non deſignare æternitatem Verbi, ſicut nec ly *in principio* poſitum à Moyſe in capite Geneſis, ſed ſolùm initium temporis.

At contra: Nam Moyſes non dixit: In principio erat Cœlum, & Terra apud Deum, ut Joannes dicit de Verbo, ſed *in principio creavit Deus Cœlum, & Terram;* quibus manifeſtè patet, Cœlum, & terram ab æterno non fuiſſe, ſed initio temporis Deum illa creaſſe, ſeu cùm tempora fuere pro-

ducta. Quod verò in principio temporis, jam erat apud Deum, ipſi eſt coæternum.

X. Dices ſecundò. Nomine Verbi à Joanne non intelligi Verbum à Patre, ceu Perſonam diſtinctam, ſed ipſam Sapientiam Patris, quâ ſapiens eſt.

Sed contrà: Jam enim ſuperiùs oſtenſum eſt, Joannem loqui de Verbo, quod erat apud Deum, ſcilicet apud Patrem; quod autem apud aliquem eſt, alius eſt ab ipſo. Rursùs: de Verbo loquitur, de quo infra dicit v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre*: quod autem à Patre eſt, alius eſt à Patre.

XI. Dices tertiò. Verbum Dei dici quidem Deum, ſed Deum minorem, ſeu quaſi Deum; ſicut infra non dicitur *Unigenitus*, ſed *quaſi Unigenitus à Patre*. Sicut, cum dicit Lucas cap. 3. v. 23. *Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, indicatur Jeſum propè quidem fuiſſe, nondùm tamen annum trigeſimum attigiſſe, quia particula *quaſi* eſt particula diminuens. Et propterea dùm *Deus* dicitur de Verbo, aliter dicitur, ac dùm dicitur de Patre. Nam dùm de Patre dicitur, cum emphaſi, ſeu articulo dicitur *o Theos*: dùm autem de Verbo dicitur, abſque emphaſi, & articulo O indicante magnum ac ſummum ſcribitur, nempè *Theos*.

XII. Sed Reſpondeo, particulam *quaſi* non eſſe ſemper diminutivam, ſed ſæpè expreſſivam; nec ſemper deſignare puram ſimilitudinem, ſed ſæpe rei veritatem: cujus exempla habemus in Sacris Litteris, præſertim Num. 11. v. 1. *Ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore*. 2. Eſdræ 7. v. 2. *Ipſe enim quaſi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur*. Matth. 14. v. 5. *Quia ſicut Prophetam eum habebant*. Quare in præſenti particula græca *os* [latinè *quaſi*, *ſicut*] expreſſiva eſt, & deſignativa; facit enim ſenſum, *vidimus eum quaſi Unigenitum*, ideſt *qualem decet eſſe Unigenitum à Patre*, & propterea ſubjungit: *plenum gratiæ, & veritatis*. Ita D. Thom. in cap. 1. Joann. lect. 8. *Hoc autem* [inquit] *quod dicit* quaſi *eſt expreſſivum veritatis, ſecundùm Gregorium* (lib. 18. Moral. cap. 6.) *Et eſt modus* [*ut Chryſoſtomus dicit*, homil. 11. in Joann.] *Sicut ſi aliquis vidiſſet Regem multiplici gloriâ incedentem, & interrogatus ab aliquo, qualiter Regem vidiſſet, volens ſe expedire, illam multiplicem gloriam, uno verbo exprimeret dicens, quod ipſe incedebat, ſicut Rex, ideſt, qualem Regem decebat. Ita hic Evangeliſta, quaſi interrogaretur ab aliquo, qualis eſſet Gloria Verbi, quam viderat, non valens eam plenè exprimere, dicit autem eſſe*, quaſi Unigeniti à Patre, *ideſt talem, qualem decebat Unigenitum Dei*. Hæc D. Thom.

Quòd verò ly *quaſi* à Luca uſurpetur *diminutivè*, fundamentum eſt; quia dicit Lucas: *Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*. Si ergo erat incipiens, nondum attigerat completè annum trigeſimum. At hìc nulla eſt particula indicans diminutionem, imò potiùs oppoſitum. Nam eodem cap. v. 18. abſolutè dicitur: *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Quibus (ut ait Chryſoſtomus *homil. 14. in Joann.*) talem eſſe Unigenitum oſtendit, ut cum Patre habeat *in ſubſtantiæ cognationem, parem Patri cognitionem, & poteſtatem*.

Porrò quòd in Græco textu ly *Theos* dictum de Verbo ponatur ſine articulo O ſcrupulus antiquus eſt, quem contra ſe objecit, & ſprevit S. Joann. Chryſoſtomus homil. 3. in Joann. his verbis: *Sed dixerit quiſpiam, Patrem articuli adjectione, Filium ſine articulo poſitum*. Cui reſpondet: *Quid ergo? Cum Apoſtolus inquit*: Magni Dei, & Salvatoris noſtri. *Et iterum*: Qui eſt ſuper omnes Deos, *ſine articulo Filii meminit. Itidem de Patre ad Philippenſes ſcribens*: Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. *Et ad Romanos*: Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro,

ſto, & Domino Jeſu Chriſto, *neglexit articulum. Supervacaneum namque eſt ubique id præponere, præſertim cùm ſuperiùs eo frequenter uſus ſit. Quemadmodum enim de Spiritu Pater loquens inquit:* Spiritus eſt Deus; *neque cùm Spiritui articulum non adjiciat, idcirco Deum eſſe incorporeum non negamus: ita hoc in loco, quamvis Filio articulus non præponatur, non propterea Patre minor eſt Deus:* hucuſque Chryſoſtomus natione Græcus.

Hanc objectionem novit quoque Sanctus Thomas, qui in cap. 1. Joann. lect. 1. dicit: *Quòd Origenes turpiter erravit ex modo loquendi, qui in Græco habetur, ſumens occaſionem ſui erroris. Conſuetudo enim eſt apud Græcos, quòd cuilibet nomini apponunt articulum ad deſignandum diſcretionem quandam: quia ergo in Evangelio Joannis in Græco, huic nomini, quod eſt Verbum, cum dicitur:* In principio erat Verbum, *& ſimiliter huic nomini, quòd eſt Deus, cum dicitur:* Et Verbum erat apud Deum, *apponitur articulus, ut dicatur* ly Verbum, *&* ly Deus *ad deſignandam eminentiam, & diſcretionem Verbi ad alia verba, & principalitatem Patris in Divinitate: & ideò cùm in hoc, quod dicitur:* Verbum erat Deus, *non apponatur articulus huic nomini Deus, quòd ſupponit pro Perſona Filii, blaſphemavit Origenes, quòd Verbum non eſſet Deus per eſſentiam, licèt ſit eſſentialiter Verbum, ſed dicitur per participationem Deus; ſolus verò Pater eſt Deus per ſuam eſſentiam: & ſic ponebat Filium Patre minorem.* Hucuſque D. Thomas.

Deinde oſtendit ex Chryſoſtomo ſupra laudato, quòd ſi articulus poſitus huic nomini Deus importaret majorem excellentiam in Patre reſpectu Filii, nunquam apponeretur huic nomini *Deus*, cum de Filio prædicatur, ſed ſolùm quando prædicatur de Patre, & ſemper, quando dicitur de Patre apponeretur articulus; Cujus contrarium oſtendit Apoſtolus *ad Titum ſecundo* dicens: *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei*, ubi Deus ſupponit pro Filio, & apponitur articulus in Græco: ex quo fit, quòd Filius ſit Deus magnus. Et Rom. 9. *Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus &c.* ubi ad ly Deus, ſimiliter in Græco ponitur articulus: & Joann. ultimo, ubi dicitur: *ut ſimus in vero Filio ejus... hic eſt verus Deus.* Reſpondens autem ad objectionem ait:

Ratio autem, quare Evangeliſta non appoſuit articulum huic Nomini Deus, aſſignatur à Chryſoſtomo, ſcilicet, quia jam bis nominaverat Deum cum appoſitione articuli, & ideò non oportebat reiterare tertiò, ſed ſubintelligitur. Vel dicendum eſt, & meliùs, quòd Deus ponitur hic in prædicato, & tenetur formaliter: conſuetum erat autem, quòd nominibus in prædicato poſitis non ponitur articulus, cùm diſcretionem importet. Si verò Deus poneretur hic ex parte ſubjecti, pro quacumque perſona ſupponeret, ſive pro Filio, ſive pro Spiritu Sancto, non eſt dubium, quòd in Græco ibi apponeretur articulus. Ita S. Tho.

XIII. Divinitas Verbi colligitur ex Verbis, quæ ſequuntur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Si enim Pater omnia per Verbum creavit; ergo Verbum infinitæ virtutis eſt, qualis ad creandum requiritur. Rursùs: id, per quòd omnia facta, & creata ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, non poteſt eſſe factum, & creatum; aliàs cùm ſeipſum per ſeipſum facere non potuiſſet, non omnia per ipſum facta eſſent; & ſine ipſo factum eſſet aliquid, nempe Verbum ipſum.

XIV. Nec dicas primò. Ab illa generali ſententia *omnia per ipſum facta ſunt*, Verbum excipi debere.

Nam contrà eſt: quia (ut dicebam) Joannes ſtatim ſubjungit, ſine ipſo factum eſt nihil; ſi autem Verbum eſſet factum, jam ſine Verbo factum eſſet aliquid. Imò quaſi prævenire volens Arianorum exceptionem, addidit: *Nihil quod factum eſt*, quaſi diceret: nihil eorum, quæ in univerſum

ſum facta ſunt, ſine Verbo factum eſt. Hinc S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6. ait: *Neque enim dicit* omnia, *niſi quæ facta ſunt, ideſt omnem creaturam. Unde liquidò apparet, ipſum factum non eſſe, per quem facta ſunt omnia. Et ſi factus non eſt, creatura non eſt: ſi autem creatura non eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt. Omnis enim ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt, & quæ creatura non eſt, Deus eſt. Et ſi non eſt Filius ejuſdem ſubſtantiæ cujus Pater; ergo facta ſubſtantia eſt: ſi facta ſubſtantia eſt, non omnia per ipſum facta ſunt: at omnia per ipſum facta ſunt; unius igitur, ejuſdemque cum Patre ſubſtantiæ eſt: Et ideò non tantùm Deus, ſed & verus Deus. Quod idem Joannes apertiſſimè in Epiſtola ſua* (1. cap. 5. v. 20.) *dicit*: Scimus, quod Filius Dei venerit, & dederit nobis intellectum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.

XV. Nec dicas ſecundò. Omnia per Verbum facta eſſe, ly *per* indicante non cauſam principalem, ſed merè inſtrumentariam, ſeu minùs principalem, quâ Deus in rerum creatione uſus fuit.

Nam contra eſt, inquit S. Thomas in cap. 1. in Joannis lect. 2. hic fuit error Origenis: *Ipſe enim ſic omnia facta eſſe per Verbum dixit, ſicut aliquid fit à majori per minorem, quaſi minor ſit Filius, & ut organum Patris*. Hanc autem præpoſitionem *per* non determinatè exprimere cauſam merè inſtrumentariam, ſeu minorem, & minùs principalem oſtendit ex variis Scripturæ locis: Dicit enim Apoſtolus 1. Corinth. 1. v. 9. loquens de Patre: *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus*. Rursùs Proverb. 8. v. 15. *Per me Reges regnant*. 1. Cor. 1. v. 1. *Paulus vocatus Apoſtolus per voluntatem Dei*. Ly ergo *per* in locis allatis, & in caſu præſenti deſignat potiùs efficaciſſimam, & Omnipotentem Verbi expreſſionem, per quam Pater, ſicut artifex per ideam mente conceptam, omnia fecit: *Quicumque enim aliquid facit* (ait D. Thom. loco citato) *oportet, quòd illud præconcipiat in ſua ſapientia, quæ eſt forma, & ratio rei factæ, ſicut forma in mente artificis præconcepta eſt ratio arcæ faciendæ. Sic ergo Deus nihil facit, niſi per conceptum ſui intellectus, qui eſt Sapientia ab æterno concepta, ſcilicet Dei Verbum, & Dei Filius*. Quare S. Paulus ad Hebr. 1. *Noviſſimè* (inquit) *diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula*. Si ergo Filius per quem facta ſunt ſecula, & omnia, factus eſt hæres univerſorum; ergo non erit cauſa inſtrumentaria, ſed verè princeps, ejuſdemque virtutis, ac ſubſtantiæ cum Patre, tanquam ejus conceptus, & cauſa exemplaris omnium; maximè quia hoc Verbum, per quod facta ſunt omnia, ſemper erat apud Deum, & hoc Verbum erat Deus, ut jam oſtenſum eſt.

XVI. At quia hæc erat familiaris reſponſio Arianorum (teſte S. Thoma 4. contrag. cap. 7. num. 16.) Eam propterea excludit Chriſti (Joann. 5. v. 19.) teſtimonio dicentis: *Quæcumque enim ille operatur, hæc & Filius ſimiliter facit*. Ergo, infert S. Thomas, ſicut Pater per ſe operatur, & propriâ virtute, ita & Filius. Inſtrumentum enim non agit ſimiliter ut cauſa principalis, ſed valdè diſſimiliter; neque idem eſt utriuſque operatum, ſed diverſum. Cùm ergo Filius, & *ſimiliter* operetur, ac Pater, & faciat quæcumque facit Pater, operatur æquè principaliter, ut Pater.

Imò (ſubdit S. Doctor) eâdem virtute operatur Filius, quâ operatur Pater: plura enim agentia non poſſunt ſimiliter, & eundem effectum operari, niſi conveniant in una virtute; aliàs ab illis, vel non erit idem operatum, vel non erit ſimiliter, ſed diſſimiliter. Dupliciter autem plura agentia poſſunt in una virtute convenire:

nire: vel quatenùs ex diverſis virtutibus in diverſis agentibus repertis congregetur, & formetur una totalis, & adequata virtus; ſicut patet in multis trahentibus unam navem, ex quorum virtutibus ſimul conjunctis conflatur una virtus tractiva navis: Vel quatenùs in illis agentibus una omnino, ac eadem virtus eſt, quâ fiat, ut uno agente, agat & alterum. Atqui non poteſt dici, Patrem, & Filium idem, & ſimiliter facere, quia ex virtute uniuſcujuſque coaleſcat una totalis virtus; nam ex hoc ſequeretur, vel quod virtus Patris eſſet inſufficiens, niſi conjungeretur cum virtute Filii, ut patet in duobus trahentibus unam navem, quod contingit, quia virtus unius non eſt ſufficiens ad trahendam navem, niſi alterius virtuti conjungatur: Vel quod virtus Filii illi adjuncta eſſet ſuperflua, ſi ſolus Pater ſuâ virtute facere poſſet totum id, & æquè perfectè, quod facit, ut conjunctus cum virtute Filii; ſicut ad trahendam navem ſuperflua eſſet virtus, & conatus alterius cauſæ, ſi vis tractiva unius ſeipsâ eſſet ſufficiens ad tractionem navis. Relinquitur ergo, quòd Filius quæcumque facit Pater ſimiliter faciat, quia in Patre, & Filio ſit una, & eadem virtus, & conſequenter una natura, una ſubſtantia, quam tamen Filius accepit, & continuò accipit à Patre. Unde Chriſtus ad præcitata verba præmiſerat: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. Hinc Hilarius lib. 7. de Trinit. num. 21. *Filius eſt* (inquit) *quia ab ſe nihil poteſt: Deus eſt, quia quæcumque Pater facit, & ipſe eadem facit: unum ſunt, quia exæquatur in honore, eademque facit, non alia: non eſt Pater, quia miſſus eſt*.

XVII. Secundum celebre Teſtimonium pro conſubſtantialitate Filii cum Patre, ejuſque divinitate ſumitur ex illo Joann. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*, de quo ſuperiùs diximus. Scio, veteres Arianos, & recentiores Socinianos, voluiſſe, & velle, Chriſtum hìc non loqui de unitate in natura, ſed ſolùm in affectu, & voluntate: oppoſitum tamen ſenſerunt Patres, qui hoc textu contra Arianos maximè uſi ſunt. Nec me movet, quòd Calvinus in hunc locum dicat: *Abuſi ſunt hoc loco veteres, ut probarent Chriſtum eſſe Patri homouſion. Neque enim Chriſtus de unitate ſubſtantia diſputat, ſed conſenſu, quem cum Patre habet*. Quis enim non deteſtetur hujus nebulonis temeritatem, qui ſolus omnium Patrum agmen audeat reprehendere?

XVIII. De unitate ergo in natura, & non in ſolo conſenſu cum Patre, præfata verba intellexit primò Divus Athanaſius *orat* 4. *contra Arianos num.* 9. ubi oſtendens, hoc textu, & Sabellianos confundi, & Arianos, ait: *Quod ſi duo unum ſint, neceſſe eſt, illos duos quidem eſſe, unum verò ſecundùm divinitatem, & quatenus Filius Patri eſt conſubſtantialis, & ex ipſo Patre Verbum eſt: ita ut duo quidem ſint, quia Pater eſt, & Filius, quod eſt Verbum: Unum autem, quia Deus unus eſt. Nam niſi ita ſit, dicendum certè illi erat: Ego ſum Pater; vel, ego & Pater ſum. Nunc verò iſta voce* ego *Filium ſignificat, genitorem autem, cum ſubdit:* & Pater. *Denique dictione*, unum, *unam divinitatem, ſuamque deſignat conſubſtantialitatem*.

XIX. Hanc veritatem D. Thom. in comment. hujus loci lect. 5. tripliciter deducit. Primò ex modo loquendi Chriſti, qui abſolutè, & ſine addito dicit, ſe eſſe unum cum Patre. Sicut autem aliquid non dicitur ſimpliciter ens, niſi ſecundùm ſubſtantiam; ita nec dicitur ſimpliciter unum, niſi ſit unum ſecundùm ſubſtantiam. Cùm ergo dixerit Chriſtus abſolutè, & ſine ulla reſtrictione: *ego & Pater unum ſumus*, manifeſtum eſt, quòd ſunt unum ſecundùm ſubſtantiam, & naturam. Nunquam autem invenitur, quòd Deus, & creatura ſint unum ſine aliquo addito; ſicut illud 1. Cor. 6. v. 17.

Digitized by Google

6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Secundò ex his, quæ ſupra dixerat, ſcilicet v. 29. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt*. Deinde concludit: *ego & Pater unum ſumus*. Quaſi dicat: in tantùm unum ſumus, in quantùm dedit mihi id, quod majus eſt omnibus, nempè naturam divinam. Tertiò ex ſua intentione. Nam Chriſtus probat, quòd non rapiet eas (oves ſuas) quiſquam de manu ſua, per hoc, quòd nemo poteſt eas rapere de manu Patris ſui; quod non ſequeretur, ſi poteſtas ejus eſſet minor, quàm poteſtas Patris.

Hoc egregio argumento Arianos perſtringebat S. Hilarius lib. 7. de Trinit. num. 22. dicens: *De manu ſua nemo rapit: quia à Patre, quod eſt omnibus majus, accepit. Quid ſibi vult tam diverſa profeſſio, ut rursùm de manu Patris ſui nemo rapiat? Filii manus eſt, quæ accepit à Patre; Patris manus eſt, quæ dedit Filio: & quomodo quod non rapitur de manu Filii, non rapitur de manu Patris? Quomodo, ſi quæris, intellige:* Ego & Pater unum ſumus. *Manus Filii, manus Patris eſt.*

XX. Hanc veritatem ea, quæ ſequuntur oſtendunt. Judæi enim ſtatim, ac audierunt Chriſtum dicentem: *Ego & Pater unum ſumus*, lapidibus illum obruere conati ſunt. Cujus cauſam quærenti, reſponderunt: *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; & quia tu, homo cùm ſis, facis te ipſum Deum*. Ergo Judæi hæc Chriſti Verba: *Ego & Pater unum ſumus*, naturæ unitatem, non voluntatum conſenſionem, exprimere crediderunt: At ſi in hoc decepti fuiſſent, facile Chriſto fuiſſet, hanc à ſe calumniam depellere, negando, ſe eſſe unum in natura cum Patre, & proinde ſe Deum eſſe. Quod tamen Chriſtus non præſtitit; ſed confirmans ea, quæ dixerat, addit: ſi illi ad quos ſermo Dei factus eſt, in Scripturis Dii dicuntur; cur ego, qui à Patre in Mundum miſſus ſum, & Filius ejus naturâ ſum, non gratiâ, ſine blaſphemia dicere non potero, quia Filius Dei ſum? Inde converſus ad oſtendendum ex operibus, quæ faciebat, ſe eſſe ejuſdem quoque virtutis cum Patre, & Patrem in eo eſſe, & ipſum in Patre: *Si autem* (inquit v. 38.) *facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Quibus perſuaſi adeò fuerunt Judæi, eum confirmare etiam ex operibus, ſe eſſe unum naturâ, & Deum cum Patre, ut dicat Evangeliſta v. 39. quòd *quærebant ergo eum apprehendere*. Sed *exivit de manibus eorum*.

XXI. Hæc advertens S. Auguſtinus tract. 48. in Joann. *Ecce* [inquit] *Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati ſunt, quoniam ſenſerunt, non poſſe dici:* Ego & Pater unum ſumus, *niſi ubi æqualitas eſt Patris & Filii*. Et S. Joannes Chryſoſtomus homil. 60. in Joannem oſtendit, Chriſtum modò dicendo, quod nemo poteſt rapere oves ſuas *de manu ſua*, modò *de manu Patris ſui*, oſtendere *ſuam & Patris manum unam eſſe*. Et ne quis arbitraretur, quòd virtute Patris oves tutæ eſſent, addidiſſe: *Ego & Pater unum ſumus: hoc eſt ſecundùm potentiam. Quòd ſi eadem eſt, conſtat etiam, eandem eſſe ſubſtantiam*, quæ ſi vera non eſſet, Chriſtus non dixiſſet: *Ego & Pater unum ſumus. Nam ſi minor erat* [Patre] *nimis temerarium verbum eſſet; nihil enim aliud, quàm potentiæ paritatem ſignat: Quod Judæi intelligentes, lapides in eum jecerunt. Non tamen hanc Jeſus abſtulit ſuſpicionem, quæ ſi falſa fuiſſet, corrigenda fuiſſet, & dicendum: cur hoc facitis? Non parem meam dico, & Patris poteſtatem ita intelligo. Sed nunc totum contrarium, eam confirmat, & maximè cùm exaſperarentur: neque accuſat, ac ſi malè dixiſſet; ſed illos reprehendit, ac ſi malam habeant de ſe opinionem*. Ita Chryſoſtomus.

XXII. Sed dices primò. Chriſtus ſatis ibi explicavit, quo ſenſu dixerit, ſe Filium Dei, & Deum; nimirum

Digitized by Google

rùm per gratiam, non per naturam; adoptione, ſicut cæteri ſancti, non generatione, & nativitate; ſubdit enim v. 34. 35. & 36. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra*: quia ego dixi Dii eſtis? *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt .... Quem Pater Sanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemas: quia dixi Filius Dei ſum?*

Reſpondeo, negando aſſumtum. Argumentum enim Chriſti non eſt à ſimili, ſed à minori ad majus, ideſt à vocari Deum, ad eſſe Deum, ac ſi dicat: ſi non eſt blaſphemia, illos, ad quos ſermo Dei factus eſt, vocari Deos, multò minus blaſphemia erit, quòd ego, qui ſermo, ſeu Verbum Dei ſum, dicam me eſſe Filium Dei, & eſſe Deum. Ita S. Auguſtinus tract. 48. in Joannem citato. *Si ſermo Dei factus eſt ad homines, ut dicerentur Dii; ipſum Verbum Dei, quod eſt apud Deum, quomodo non eſt Deus? Si per ſermonem Dei fiunt homines Dii, ſi participando fiunt Dii, unde participant, non eſt Deus? Si lumina illuminata Dii ſunt, lumen, quod illuminat non eſt Deus? Si calefacti quodammodo igne ſalutari, Dii efficiuntur, unde caleſiunt, non eſt Deus? .... Si ergo, vos Deos facit ſermo Dei, quomodo non eſt Deus Verbum Dei?* Ita quoque reſpondet S. Joann. Chryſoſt. *hom. 60. in Joann.* citatâ; hoc eſt: ſi hi, qui gratis hoc acceperunt, non poſſunt accuſari, ſi ſe ipſos Deos appellent, qui id naturâ habet, quomodo jure accuſari poterit?

XXIII. Sed dices ſecundò. Prædicta verba: *quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum*, ſatis indicant, Chriſtum ſe aſſerere Dei Filium, non naturâ ſanctum, ſed ſanctificatum, ſeu factum ſanctum per gratiam.

Reſpondet primò S. Auguſtinus citatus. *Fortè aliquis dicat, ſi Pater eum ſanctificavit; ergo aliquando non erat Sanctus.* Reſpondet: *ſic ſanctificavit, quando genuit. Ut enim Sanctus eſſet, gignendo ei dedit, quia ſanctum eum genuit. Nam ſi quod ſanctificatur, antè non erat Sanctum, quomodo dicimus Deo Patri, ſanctificetur nomen tuum?*

Reſpondet ſecundo D. Hilar. *lib. 7. de Trinitate num. 24.* quod totus iſte Chriſti diſcurſus referri debet ad ipſum, non ut Deus tantùm eſt, ſed ut Deus, & homo eſt: *Omnis enim* (inquit Hilarius) *hîc de homine reſponſio eſt, quia Dei Filius, etiam hominis Filius eſt.* Quæ reſponſio benè congruit Judæorum interrogationi dicentium: *quia homo cum ſis facis te ipſum Deum*, v. 33. Aliter tamen ſanctificantur homines, qui dicuntur Dii, aliter Chriſtus, etiam ut homo. Nam illi ſanctificantur ſanctitate ſolùm accidentali, tanquam filii per adoptionem, non miſſi à Patre, ſed facti: Chriſtus verò etiam, ut homo, ſanctificatur ſanctitate ſubſtantiali, & Perſonali, ut Filius naturalis, non adoptivus. Hanc reſponſionem probat Divus Thomas in cap. 10. Joann. lect. 6. dicens, ſenſum diſcurſus Chriſti hunc eſſe: *Homines aliqui dicuntur Dii ſolâ participatione ſermonis Dei. Quomodo ergo dicitis*, quia blaſphemas, *ideſt reputatis blaſphemiam, quòd ille homo dicatur Deus, qui eſt unitus Verbo Dei in Perſona? Et ideò dicit:* quem Pater ſanctificavit. *Licèt enim omnes qui ſanctificantur Deus ſanctificet .... Chriſtum tamen ſpecialiter ſanctificavit, ut eſſet Filius Dei per naturam, unitus in Perſona Verbo Dei. Quod hæc verba oſtendunt dupliciter. Primò per hoc, quod dicit:* Quem Pater ſanctificavit; *Si enim ut Pater ſanctificat, manifeſtum eſt, quòd ſanctificat & Filium. Rom. 1.* Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute (ideſt, ut exponit idem S. Thomas in cap. 1. ad Roman. lect. 3. *Ut ſit talis Filius, ut habeat æqualem, imò eandem virtutem cum Deo Patre*). *Secundo per hoc quòd dixit*: Et miſit in mundum; *Mitti enim in aliquem locum non convenit alicui rei, niſi ante fuerit, quàm ibi eſſet; ergo ille, quem Pater miſit in mundum, ſcilicet viſibiliter, eſt Filius Dei, qui præexiſtit viſibili miſſioni.* Ita D. Thomas; qui conclu-

eludit ex illis verbis : *Ego & Pater unum ſumus : & quod dedit mihi Pater, majus omnibus eſt*, Judæos intellexiſſe, *eum accepiſſe naturam à Patre, & eſſe unum in natura cum eo.*

XXIV. Dices tertiò. Modum, quo Joann. 10. dixerat ſe eſſe unum cum Patre, explicavit Chriſtus ipſe Joann. 17. v. 21. & 22. ubi pro Fidelibus Patrem rogans, ait : *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint... ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus* : ſed non vult Chriſtus, ut Fideles ſint unum, ſive inter ſe, ſive cum Deo unitate naturæ, ſed ſolâ concordiâ, & unitate voluntatis; ergo hoc ſolo modo ipſe eſt unum cum Patre, & hoc ſolo modo ipſe eſt in Patre, & Pater in ipſo.

XXV. Hoc èrat præcipuum Arianorum aſylum, teſte D. Hilario *lib.* 8. *de Trinitate*. Cum enim premerentur ſupra laudato Chriſti dicto : *Ego & Pater unum ſumus*, hoc aliud Dominicum ſtatim opponebant; ut perſuaderent, non de alia unitate Chriſtum eſſe locutum, quàm concordiæ, & voluntatis, quomodo fideles cum Deo, & inter ſe unum ſunt. Unde S. Thomas in cap. 17. Joann. lect. 5. *Arius* (inquit) *ex hoc arguit, quòd eodem modo Filius eſt in Patre, & Pater in Filio, quo nos ſumus in Deo; ſed non ſumus per unitatem eſſentiæ, ſed per conformitatem voluntatis & amoris; ergo & ſimiliter Pater non eſt in Filio per unitatem eſſentiæ.*

XXVI. Reſpondeo primò ex Divo Thoma citato, quòd in Patre, & Filio eſt duplex unitas, ſcilicet eſſentiæ, & amoris, & ſecundùm utramque Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. De hac ergo unitate loquitur hìc Chriſtus, quaſi diceret: ſicut Pater diligit Filium, & è converſo, & ſic mutuâ charitate ſunt unum; ita ipſi diligendo Patrem, & Filium, ſint unum charitate cum ipſis. Ita ſentit Chriſoſtomus *homil.* 82. *in Joann.* ly autem *ſicut* non æqualitatis eſt, ſed remotæ ſimilitudinis; neque enim ita unum eſſe poterant adhuc Caritate, ſicut Pater, & Filius unum ſunt : *ſed pro humana facultate* (ait Chryſoſtomus) *ſicut cùm dicit : eſtote miſericordes ſicut Pater.*

Hoc autem (ait S. Athanaſius *orat.* 3. *contra Arianos num.* 18.) & Ariani ipſi concedere tenentur. Nam ſi nos ſumus in Patre, & Pater in nobis eo modo, quo Verbum eſt in Patre, & Patre in Verbo; ſi nos ſumus unum cum Patre, & Filio eo modo quo Filius, ſeu Verbum eſt unum cum Patre, nihilque aliud interſit inter nos, & Verbum, niſi quòd tempore nos præcedat, cæterùm naturâ creatum ſit, ſicut nos; ergo non ſolùm ipſum appellabitur Unigenitus Patris, nec ſolùm Verbum, vel Patris ſapientia, ſed idem quoque nobis omnibus, utpote ſimilibus, concedetur nomen : *Par enim eſt horum commune eſſe nomen, quorum una eſt natura, etiamſi ætate inter ſe differant. Hinc homo eſt Adam, homo ſimiliter Paulus : homo item, qui modò gignitur : nec intervallis temporum immutari poteſt natura generis.* Quod ſi nos, nec Verbum, nec ſapientia, nec Patris Unigenitus ſumus, neque erimus unum cum Patre nos, ſicut Verbum eſt unum cum eo; *neque Verbum creatum eſt, aut factum. Alioquin ſi omnes ex uno facti ſumus, quare ipſum ſolum eſt Verbum?*

XXVII. Quapropter reſpondeo ſecundò cum S. Athanaſio, ly *ſicut* ex intentione Chriſti non denotare identitatem, ſeu totalem ſimilitudinem, ſed imitationem, proponendo ſcilicet nobis unitatem Patris cum Filio, ut cauſam exemplarem, ad quam, quantum poſſumus reſpiciamus: *Ex rebus* enim *divinis exempla proponit Salvator*. Eſtote, *inquit*, miſericordes, ſicut Pater veſter Cœleſtis miſericors eſt (*Lucæ* 6. 36.) & eritis vos perfecti, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt (*Matth.* 5. 48.) *Hæc autem dicebat, non ut nos tales efficeremur, qualis eſt Pater; nam id fieri nequit, cùm*

&

& ereati, & ex nihilo facti ſimus. Verùm quemadmodum eum ait: nolite fieri ſicut equus, *non nos cavere juſſit, ne jumenta efficeremur, ſed ne eorum imitaremur feritatem; ita, non ut Dei ſimiles efficeremur dixit:* Eſtote miſericordes, ſicut Pater, *ſed ut ad ejus beneficia attendentes, quæ agimus bona, non propter homines, ſed propter ipſum agamus &c.* & infra num. 20. *non ergo ut ſui ſimiles efficeremur ait:* Ut unum ſint, ſicut & nos, *ſed ut quemadmodum ille, tanquam Verbum eſt in proprio Patre; ita & nos ſecundùm aliquam ſimilitudinem, in ipſumque intuentes, unum inter nos animorum concordiâ & conſenſu efficiamur &c.* Quod colligit Athanaſius ex diverſo modo loquendi Chriſti. Dùm enim loquitur de unitate ſui cum Patre, dicit: *ſicut tu Pater in me, & ego in te,* dùm verò loquitur de unitate Fidelium, dicit: *ut & ipſi in nobis unum ſint.* Ex quibus ita ratiocinatur. *Si igitur fieri poſſet, ut nos eo modo in Patre eſſemus, quo ipſe eſt Filius, dicendum fuiſſet:* Ut & illi in te unum ſint, quemadmodum Filius eſt in Patre. *Atqui hoc nequaquam dixit, ſed cùm ait:* in nobis, *diſcrimen, & differentiam rei indicavit, ipſum nempè in ſolo Patre, ut ſolum Verbum, & ſapientiam eſſe, nos verò in Filio, & per ipſum in Patre eſſe. Quibus utique dictis nihil aliud voluit ſignificare, quàm hujuſmodi ſententiam,* nimirùm: *Ita illi noſtrâ unitate unum ſint inter ſe, ut nos naturâ, & reverà unum ſumus: non poſſunt autem unum inter ſe eſſe, niſi in nobis diſcant unitatem.* Hæc Athanaſius.

XXVIII. Sanctus verò Hilarius oſtendit, nos cum Chriſto non ſolâ voluntatum conſenſione, ſed naturâ quoque eſſe unum; quia Verbum, quod naturâ eſt unum cum Patre, naturaliter in nobis eſt, non ſolum, quia naturam noſtram ſibi univit, carnem aſſumens; ſed quia carnem, quam aſſumſit, quamque ſibi unitam inſeparabiliter conſervat, reverâ nobis cum divinitate conjunctam in Euchariſtia ſic unit, ut naturaliter in nobis ſit; cùmque naturaliter Verbum ſit in Patre, ſequitur, quòd carnem illam cum divinitate conjunctam ſuſcipientes, câ carne mediante, cum divina ſubſtantia, quæ cum Paterna una & eadem eſt, & nos uniamur. Ecce Hilarii verba: *Si enim verè Verbum caro factum eſt, & verè nos Verbum carnem cibo Dominico ſumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget priùs, non naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe: quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis unum in his eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumſit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus (& per hoc unum erimus, quia Pater in eo eſt, & ille in nobis) quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum ſit unitatis?*

XXIX. Ecce non ſolùm validum contra Arianos argumentum, Chriſtum non ſolâ voluntate, ſed naturâ eſſe unum cum Patre; ſed apertum teſtimonium contrà Calviniſtas pro veritate Carnis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Hoc enim argumento probat, Chriſtum verè, & naturaliter eſſe in nobis, quia & in Incarnationis myſterio caro noſtra eſt in eo, & in Euchariſtiæ Sacramento caro ejus eſt in nobis; & quòd ſicut verè eſt caro factum, ita & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus; ergo ſicut Verbum verè caro fuit factum, & non ſolùm apparenter, & in figura, ut Manichæi volebant; ita Verbum carnem factum verè, non in ty-

typo, non in ſymbolo, non ſolâ fide, nec ſolum Chriſti Spiritum, ſed reverà ejus carnem in Euchariſtia ſumimus; ut verificetur, quòd ſicut naturaliter caro noſtra per Incarnationem in eo eſt, ita ejus caro per Euchariſtiam naturaliter, & non ſolum ſpiritualiter in nobis ſit.

Diſcurſus iſte Hilarii invictè probat, èo ſeculo æquè certam fuiſſe doctrinam de veritate carnis Chriſti in Euchariſtia, ac doctrinam de veritate carnis aſſumtæ in Incarnatione; æquè, inquam, certum, nedùm apud Catholicos, ſed & apud Arianos: aliàs Hilarius hoc pro indubitato non aſſumeret, nec pro inconvenienti reputaret hoc negare; neque diceret, qui negare vult, naturaliter Patrem in Chriſto eſſe, neget priùs naturaliter vel ſe in Chriſto eſſe, ratione carnis ab eo aſſumtæ; vel Chriſtum ſibi ineſſe ratione carnis ejus, quam in Sacramento ſumimus. Hoc, etſi præſentis ſtudii non ſit, valdè tamen notandum eſt; quia Catholicam veritatem de veritate carnis Chriſti in Euchariſtia contra Calviniſtas mirè demonſtrat.

XXX. Tertiùm teſtimonium pro Conſubſtantialitate divinarum Perſonarum exhibet idem Joannes Epiſt. 1. cap. 5. v. 7. *tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.*

Sed contrà primò dicitur, hunc verſum non eſſe indubiæ fidei, cum abſit à pluribus exemplaribus Græcis; imò & à multis Latinis.

XXXI. Reſpondetur tamen, quòd eſto in aliquibus codicibus verſus ille deſideretur, quare, & à codice, quo S. Auguſtinus utebatur abfuiſſe, credibile facit S. Doctoris ſilentium, aliorumque ſui ſeculi Patrum, qui contrà Arianos eo uſi non ſunt; eorum tamen codices, ſive Exſcriptorum vitio, ſive aliâ causâ hac in parte mutilos fuiſſe, evincit S. Cypriani (qui tertio ſeculo vixit) teſtimonium, hunc textum proferentis *lib. de Unitate Eccleſiæ cap.* 4. his verbis: *De Patre, Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: hi tres unum ſunt* quod indicat etiam *Epiſt. ad Jubajanum de rebaptizandis hæreticis.* Evincit S. Fulgentius lib. reſponſ. contra Arian. dicens: *In Patre ergo, & Filio, & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus: Perſonas confundere non audemus. Beatus enim Joannnes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de unitate Eccleſiæ confitetur &c.* Evincit quoque Victor Vitenſis *lib.* 3. *de Perſecutione Africana*, in Profeſſione Fidei Epiſcoporum Catholicorum Regi Hunnerico oblatâ, ubi dicitur: *Et ut luce clarius unius divinitatis eſſe cum Patre, & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in Cœlo Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.* Nunquid ergo horum Patrum Afrorum poſitivum teſtimonium minoris erit roboris, quàm negativum Patrum, qui eo uſi non ſunt; aut codicum in quibus hic verſus omittitur? nunquid generaliter verum erit Patres hoc teſtimonio contrà Arianos non fuiſſe uſos?

Canonicum, & legitimum S. Joannis eſſe verſum illum, non intruſum, probat Eccleſiæ utriuſque Græcæ, & Latinæ conſenſus. Nam in utraque publice legitur, & ſinceriores codices illum habent. Illum propterea editionis Complutenſis Auctores, qui antiquiſſimos ac ſinceriſſimos codices adhibuere, agnoverunt tanquam legitimum. Illum habebant novem codices, quos legit & contulit Robertus Stephanus. Quid plura? ut legitimum illum agnoſcit Calvinus in comment cap. 5. Ep. 1. Joann.; quamquam dicat ly *tres* unum ſunt non referri ad eſſentiam, ſed ad conſenſum. Illum agnoſcit Calvini aſſentator Beza. Illum habent Biblia Genevenſia Diodati. Illumque Joannes Oxonienſis S. Cypria-

priani operum cum notis editor vindicat à Fauſto Socino, ſuppoſititium eſſe contendente. Quare meritò authenticæ Vulgatæ inſeritur, atque in Tridentini cenſuram incideret, qui modò in dubium revocaret.

XXXII. Sed contra ſecundò. Hoc etiam admiſſo, nil evincitur contra Arianos, & Socinianos. Nam *ly tres unum ſunt* non ſignificant unitatem eſſentiæ; ſicut nec eam ſignificant ea, quæ ſequuntur: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in Terra, Spiritus, aqua, & Sanguis: & hi tres unum ſunt*. Certum eſt autem, quòd Spiritus, aqua, & ſanguis ejuſdem naturæ non ſunt. Quare in aliquibus codicibus legitur: *& hi tres in unum ſunt*, nimirùm conſentiunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in Cœlo; Spiritus, aqua, & ſanguis in Terra in unum Teſtimonium de Chriſto.

XXXIII. Ad hoc reſpondent aliqui, voces illas: *& hi tres unum ſunt*, in hoc poſtremo verſu puriora exemplaria non habere, ſed additas fuiſſe ab Arianis, ut vim argumenti pro Verbi Divinitate ex priori verſu deſumti eluderent; & Lovanienſes correctores teſtantur, ſe quindecim Codices Latinos legiſſe, in quibus non reperiebantur. In hac opinione ſe fuiſſe teſtatur S. Thomas opuſc. 24. ſuper ſecundam Decretalem *damnamus*, ubi agens contrà Abbatem Joachim: *Sed hic* (inquit) *Joachim perversè trahere volens ad unitatem caritatis & conſenſus, inducebat conſequentem auctoritatem. Nam ſubditur ibidem:* & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſcilicet ſpiritus, aqua, & ſanguis. *In quibuſdam libris attenditur:* & hi tres unum ſunt. *Sed hoc in veris exemplaribus non habetur; ſed in quibuſdam libris dicitur eſſe appoſitum ab Arianis, ad pervertendum intellectum ſanum auctoritatis pręmiſſæ de unitate eſſentiali trium Perſonarum*. Propterea Complutenſis editio (relatâ hac D. Thomæ auctoritate) illas voces omittit. Revera autem in quibuſdam codicibus inveniri (non in omnibus) admittit Concilium Lateran. IV. *cap. Damnamus*.

XXXIV. Verùm quia re meliùs diſcuſsâ poſterioribus temporibus per Tridentinum, ac ſubſequentes Pontifices repertum eſt, præfatas voces: *& hi tres unum ſunt*, etiam ſecundo verſui eſſe apponendas, ſicut, & in Vulgata apponuntur; aliter modò diſcurrendum eſt.

Propterea reſpondent alii, aliter dici de ſpiritu, aqua, & ſanguine, quòd unum ſint, aliter de tribus divinis Perſonis; exempla enim creata comparata, & inducta ad ſignificandas res divinas, plus diverſitatis habent, quàm ſimilitudinis. Tres enim Perſonæ divinæ, quæ in Cœlo dant teſtimonium de Chriſti divinitate, in ſubſtantia unum debent eſſe, quia Deus eſſentialiter unus eſt: At ſpiritus, aqua, & ſanguis unum quidem ſunt in teſtificando Chriſti humanitatem in Terra; ſed, quia res creatæ, non oportet, ut unum ſint in ſubſtantia. Quare in textu Græco, cui ſtandum eſſe Sociniani dicunt, dùm ſermo eſt de divinis Perſonis, abſolutè dicitur: *& hi tres unum ſunt*; dùm verò de ſpiritu, aqua, & ſanguine, apponitur particula *ad*, vel *in*: *& hi tres in unum, ſeu ad unum ſunt*, ad unum ſcilicet teſtificandum.

XXXV. Tandem Joann. à S. Thoma, advertens, quòd noſtra Vulgata, quam potius ſequi debemus, non dicit *ad unum*, ſeu *in unum* ſunt; ſed abſolutè *unum ſunt*, ſicut dicit de Patre, & Verbo, & Spiritu Sancto, dicit, quòd ſpiritus, aqua, & ſanguis, quæ tempore Paſſionis teſtificata ſunt de Chriſti humanitate, ſunt, ſpiritus quidem, cùm clamando expiravit, ſeu velis anima, quæ ſeparata fuit in morte; aqua verò, & ſanguis, quæ de ejus latere fluxerunt. Hæc tria ad unam ſubſtantiam humanam pertinent, & in ſubſtantia unum ſunt: & ſimiliter Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, qui de Chriſti divinitate dant teſtimonium, unius ſubſtan-

Digitized by Google

tiæ ſunt; cum hac ſola differentia, quod hæc, nempè ſubſtantia divina, una eſt per ſimplicitatem; illa verò, nempe ſubſtantia humana, una eſt per compoſitionem.

XXXVI. Aliis Sacræ Scripturæ teſtimoniis Conſubſtantialitas Divinarum Perſonarum, & maximè Filii, probari poſſet. Sed quia in longum nimis abiremus, ea indicare ſatis erit. Primò Matth. 28. v. 19. ubi Chriſtus ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi *in nomine* deſignat unitatem ſubſtantiæ; ly verò Patris, & Filii, & Spiritus Sancti diſtinctionem Perſonarum. Rurſùs: ſi æqualiter baptizare in nomine Filii, ac Patris jubentur Apoſtoli, æqualis ergo Poteſtas, auctoritas, & proinde divinitas, eſt in Filio, ac in Patre; ergo Filius non eſt creatura, ſed Deus: reputat enim inconveniens Paulus 1. Cor. 1. v. 13. in nomine alicujus creaturæ quempiam baptizari, dicens: *nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Quo diſcurſu adeò præmebantur Ariani, ut eorum non pauci in forma Baptiſmi dicerent: non *in nomine Patris, & Filii*, ſed *in nomine Patris per Filium*.

Accedit aliud Pauli ad Hebræos cap. 1. ubi Chriſtum vocat Filium Dei à Patre genitum, & proinde Deum nativitate, & hac ratione longè majorem Angelis, figuram ſubſtantiæ ejus, ſedentem in dextera majeſtatis. Ne autem quis diceret, vocari Filium Dei, non naturâ ſed adoptione, & gratiâ, ſubdit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Quaſi diceret: Filius à Patre genitus ejuſdem naturæ cum Patre eſſe debet: at ſoli Chriſto, non Angelis, dicitur, Filius meus es tu, ego hodie genui te; ergo ſolus ipſe Filius naturalis Dei eſt, ac ejuſdem naturæ cum Patre: qui enim generatione, & nativitate Filius eſt, debet eſſe in natura ſpecifica ſimilis generanti, quod ſi non eſt, monſtrum eſt. Unde Hilarius lib. 7. de Trinit. n. 14. *Intelligentia* (inquit) *iſtud humana ſenſus excludit, ut aliquid à natura originis ſuæ naſcendo diverſum ſit: niſi fortè quod ex naturarum diverſitate conceptum, novum aliquid in ſe (& ita ſit generis utriuſque, quòd neutrum ſit) veniat in vitam, quod in pecoribus, ac beſtiis uſitatum eſt .... Et cum hæc in his corporalibus cauſis, & paſſionibus ita ſint; quis, rogo, furor eſt, nativitatem Unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam, cùm nativitas nonniſi ex proprietate naturæ ſit; & jam nativitas non erit, ſi proprietas naturæ in nativitate non fuerit?*

§. III.

Arianorum, ac Socinianorum momenta.

XXXVII. Primò objiciebant. Qui Creatura eſt, verus Deus non eſt: ſed Filius Dei creatura eſt; dicitur enim Prov. 8. v. 22. *Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Et Eccleſiaſtici 24. v. 14. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum*, ergo &c.

Reſpondeo, negando minorem, quam non evincunt auctoritates allatæ. Non illa, quæ ex Proverbiis ducitur; nam in textu Hebraico, quem ſequitur Hieronymus, & Vulgata noſtra, loco *creavit*, legitur *poſſedit*; & in verſione Septuaginta legitur, *condidit*, ideſt *Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Verùm etſi admittatur verbum *creavit*, obſervare quoque debuiſſent Ariani, quòd eadem Perſona, quæ de ſe ipſa dixerat *creavit me*, dicit quoque, quòd hoc contigit *ab æterno, antequam quidquam faceret*; dicit *ante colles ego parturiebar*, aut *genuit me, cùm præparabat Cœlos ei aderam, cum eo eram cuncta componens &c.* Cur ergo ex verbo *creavit* arguunt, Filium Dei eſſe creaturam, & non potiùs ex aliis, quæ ſubjungit, non concludunt, eſſe Verbum, quod ab æterno erat apud

De-

Deum, quodque erat Deus, coæternus, & conſubſtantialis Patri, non creatum, non factum, ſed per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil? hæc fusè expendit S. Hilarius lib. 12. de Trinit. num. 36. &c. Unde lib. de Synodis cap. 5. *Sapientia itaque* (inquit) *quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam: creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ, extra humani partus ſpeciem, & conſuetudinem, ſine imminutione aliqua, ac demutatione ſui, creavit ex ſe ipſa, quod genuit.*

Reſponderi etiam poteſt, maximè ad locum ex Eccleſiaſtico petitum, ibi ſermonem eſſe de Sapientia Incarnata, ſeu de Chriſto ut homine; quod indicant illa verba præcedentia v. 12. & 13. *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (ideſt in humanitate per Incarnationem) *& dixit mihi: in Jacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices*, quæ Chriſto ut homini aptari, nemo non videt; ipſe enim fuit ex Iſrael, & Jacob prognatus, & electorum radix, & caput. Dicitur autem ab initio, & ante ſecula creata, quia Incarnatio ab æterno prædefinita fuit; initium etiam viarum ſuarum, quia ab ipſo, nempe Chriſto, via noſtræ ſalutis exordium ſumſit. Ita intelligit S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. Ita quoque Sanctus Fulgentius *lib. contra ſermonem Faſtidioſi Ariani*, ubi præfato textu Proverb. oſtendit, utramque Filii Dei generationem, æternam ſcilicet, ac temporalem demonſtrari.

Idem ſentit S. Athanaſius *orat. 2. contra Arianos à num.* 44. qui obſervat, quòd poſt illa verba: *Dominus creavit me*, hæc alia paulò poſt ſubjiciuntur: *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Unde ait: *Certum eſt autem Sapientiæ domum, noſtrum eſſe corpus, quo aſſumto factus homo eſt; unde jure merito à Joanne dicitur* Verbum caro factum eſt. *Et Sapientia ipſa per Salomonem, haud inconſultè ait; non ego ſum creata, ſed tantùm:* Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua, *non autem ut eſſem, me creavit.... Non enim Verbum hoc in loco naturam ſuæ divinitatis, vel æternum germanumque ſui ipſius ex Patre ortum, Salomonis verbis ſignificavit; ſed ſolam humanitatem, & ſuſceptam noſtri gratiâ diſpenſationem. Hinc, ut jam monui, non dixit: res ſum creata, vel creatura facta ſum, ſed tantùm* creavit. *Siquidem res creatæ, quia creatam habent naturam è numero rerum factarum ſunt.... At ſola dictio* creavit *non neceſſariò naturam, vel ortum ſignificat, ſed aliquid aliud circa rem, de qua loquitur, fieri innuit &c.* Quod poſtquam variis ſcripturæ textibus probavit, num. 47. ſic proſequitur: *Dominus ſciens, ſuam naturam eſſe unigenitam Sapientiam, Patriſque fœtum, & aliam à factis, & ex natura creatis rebus, nunc perhumaniter dicit*, Dominus creavit me initium viarum ſuarum; *quaſi diceret: Pater corpus mihi perfecit, & me ad homines pro hominum ſalute creavit. Quemadmodum enim cum à Joanne audimus*, Verbum caro factum eſt, *non totum Verbum carnem eſſe, ſed carnem tantummodo induiſſe, factumque eſſe hominem intelligimus..... Similiter ergo ſi vocem* creavit *in Proverbiis audierimus, non totum Verbum creaturam eſſe, ſed creatum induiſſe corpus intelligendum eſt, Deumque pro nobis ipſum creaſſe, & illi creatum corpus noſtri causâ, uti ſcriptum eſt, perfeciſſe, ut in ipſo renovari, diique effici poſſemus.* Hæc Athanaſius, & quidem egregiè.

XXXVIII. Secundò objiciebant. Qui ſe dicit eſſe minorem Patre; ſe neſcire diem Judicii; non eſſe ſuum dare Regnum paratum à Patre; à ſe non poſſe facere quidquam, dicit, ſe non eſſe æqualem, & conſubſtantialem cum Patre: atqui Filius Dei in Perſona Chriſti dicit, ſe minorem Patre Joann. 14. v. 28. *quia Pater major me eſt*; Se neſcire diem Judicii, Marci 13. v. 32. *De die autem illo vel hora ne-*

mo

Digitized by Google

mo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater, quod repetit Matth. 24. 36. Non eſſe ſuum dare Regnum Cœlorum Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo;* A ſe non poſſe facere quidquam Joann. 5. v. 19. *non poteſt Filius à ſe facere quidquam;* ergo &c.

XXXIX. Reſpondendum eſt ad ſingula. Ad primum, cui Ariani multum fidebant; unde referente S. Athanaſio lib. de Synodis cap. 27. apud Sirmium congregati anno 357. ſeptimam fidei Confeſſionem ediderunt, in quâ dixerunt: *nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe Filio, ipſo teſtante: Qui me miſit major me eſt.* Reſpondetur tamen primò ex S. Athanaſio *orat.* 1. *contra Arian. num.* 58. Filium non dixiſſe, Pater meus præſtantior me eſt, ſicut Paulus dicit, Filium eſſe præſtantiorem Angelis, Hebr. 1. *ne quis eum, alium à Patris natura eſſe, ſuſpicaretur, ſed* major *dixit, non quidem magnitudine quâdam, aut tempore, ſed quia ex ipſo Patre gignitur. Eſt enim* (inquit Hilarius in Pſalm. 138. n. 17.) *Pater major Filio, ſed ut Pater Filio; generatione, non genere: Filius enim eſt, & ex eo exivit. Et licèt paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differet; natus enim à Deo Deus, non diſſimilis eſt à gignente ſubſtantiâ.* Hinc D. Thomas in cap. 14. Joann. lect. 8. ait*: eſt ergo Pater major, quia dat; ſed Filius non eſt minor, ſed æqualis, quia totum, quod Pater habet, accipit. Minor enim jam non eſt donante, cui unum eſſe donatur.* Idem docet 1. *par. qu.* 42. *art.* 4. *ad* 1.

Si verò intelligatur, Filium dixiſſe Patrem eſſe majorem ſe ipſo ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam minoratus eſt non ſolùm à Patre, & Spiritu Sancto, ſed etiam ab Angelis Hebr. 2. v. 9. *eum autem, qui modico, quàm Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis &c.* Facilior, & ſecunda reſponſio eſt, quam probat D. Thomas *in cap.* 14. *Joann. lect.* 8. citatâ. Eo enim modo dicit Chriſtus *Pater major me eſt*, quo dicit *vado ad Patrem: Filius autem non vadit ad Patrem, nec venit ad nos, in quantùm eſt Filius Dei, ſecundùm quòd cum Patre fuit ab æterno Joann.* 1. In Principio erat Verbum, & Verbum èrat apud Deum; *ſed dicitur ire ad Patrem ſecundùm humanam naturam. Sic ergo quod dicit* major me eſt, *non dicit in quantùm Filius Dei, ſed in quantùm Filius hominis* Hæc D. Th.

Ita jam reſpondit S. Auguſt. *contrà ſermonem Arianorum* cap. 5. *recolant* (inquit) *in Epiſtola, quæ ad Hebræos eſt, de Chriſto eſſe intellectum, quod ſcriptum eſt:* minoraſti eum paulominus ab Angelis; *& videant, non ad diverſitatem, & inæqualitatem naturæ Patris, & Filii valere quod dixit:* Pater major me eſt; *ſed ad illud potiùs, quod in forma ſervi propter infirmitatem, in qua pati, & mori potuit, minor etiam Angelis factus eſt.* Idem repetit cap. 9. & cap. 34. ait: *Quòd verò major eſt Pater, non pertinet ad naturam gignentis & geniti, ſed hominis & Dei.*

XL. Ad ſecundum, nonnulli Patrum dixerunt, diem Judicii dixiſſe, ſe neſcire ut hominem, non verò ut Deum, aut Filium Dei. Ita videtur ſentire S. Athanaſius *orat.* 3. *contra Arian. num.* 44. exponens hoc dictum, & *Epiſt.* 2. *ad Serapionem num.* 9. Ita Gregorius Nazianz. *orat.* 36. Quamvis Patres iſti non velint Chriſtum, etiam ut hominem, diem Judicii neſciiſſe, ſed dixiſſe neſcire ut hominem, ut oſtenderet, ſe verum hominem eſſe, cujus conditio eſt ignorare, quæ futura ſunt; quamvis ille homo, qui Chriſtus erat, aliunde ſciret revelatum ſibi à Patre. Ita ſentire videtur S. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit. num.* 65. &c. ita ut Chriſtus nil neſciens, diſpenſationis cauſâ locutus ſit, quaſi neſciens.

Reſ

Digitized by Google

Reſpondeo igitur, Chriſtum, qui ut homo conſtitutus fuerat à Patre Judex vivorum, & mortuorum, etiam ut hominem, diem, & horam Judicii, aut quidquid aliud non ignoraſſe: Interogatum autem dixiſſe, ſe neſcire eo modo, quo aliquando Deus ipſe ita locutus eſt, ac ita ſe geſſit, ac ſi neſciret; nempe, quia aut tempus eſt non loquendi, aut diſpenſatio eſt non agendi: Deus enim neſcire dicitur, quòd non faciat ſcire, ſicut ſcire dicitur, cum facit aliquid ſcire. Cùm ergo tempus non eſſet, ut Chriſtus faceret ſcire horam, & diem Judicii, dicit ſe neſcire; quia eſto ſciret, etiam ut homo, quia etiam ut homo omnia à Patre didicit, non omnia tamen ſciebat, ut manifeſtaret, & homines doceret, ſed ea ſola, quæ habebat in mandatis à Patre, ut manifeſtaret: quare Joann. 12. v. 49. *Qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*. Inter quæ non erant futura: unde ait act. 1. v. 7. *non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Ita reſpondet S. Hilarius loco citato num. 63. & 64. & S. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Hoc enim* (inquit) *neſcit, quod neſcientes facit, ideſt quod non ita ſciebat, ut tunc diſcipulis indicaret: ſicut dictum eſt ad Abraham:* nunc cognovi, quòd timeas Deum, *ideſt nunc feci, ut cognoſceres; quia & ipſe ſibi in illa tentatione probatus innotuit*.

S. Auguſtino concinit fidelis ejus diſcipulus S. Thomas 3. par. qu. 10. art. 2. ad primum his verbis: *dicitur ergo* (Chriſtus) *neſcire diem, & horam judicii, quia non facit ſcire. Interrogatus enim ſuper hoc ab Apoſtolis act. 1. hoc eis noluit revelare: ſicut è contrario legitur Geneſ. 22.* Nunc cognovi, quòd timeas Deum, *ideſt nunc te cognoſcere feci. Dicitur autem Pater ſcire, quia ejuſmodi cognitionem tradidit Filio; unde in hoc ipſo, quod dicitur*, niſi Pater, *datur intelligi, quod Filius cognoſcit, & non ſolùm quantùm ad divinam naturam, ſed etiam quantùm ad humanam; quia ut Chryſoſtomus argumentatur* (*homil. 78. in Matth.*) *ſi Chriſto homini datum eſt, ut ſciat, qualiter oporteat judicare, quod eſt majus, multo magis datum eſt ei ſcire, quod minus eſt, ſcilicet tempus judicii*.

XLI. Nec dicas. Si Chriſtus ait, ſe neſcire diem Judicii, quia non manifeſtabat, pari ratione debebat dicere, quod & Pater neſciebat, quia nec Pater revelabat: atqui de Patre non dicit, quod neſciat. ſed potiùs quòd ſolus ſciat; ergo &c.

Nam in primis D. Thomas relatus jam reſpondit, quòd *dicitur Pater ſcire, quia eſto non revelet nobis, huiuſmodi tamen cognitionem tradidit Filio*. Deinde nego conſequentiam. Nam non erat officium Patris enunciare aliquid hominibus, aut legatione fungi, cum ſit ingenitus, & à nullo miſſus. Quare nulla fuit ratio, ut diceret, Patrem neſcire, quia nolebat revelare. At Filius à Patre miſſus in mundum eſt, ut Paternorum conſiliorum Interpres, & Legatus; quare in eo diſtingui poterant, & ea quæ ſciebat, ut mundo proderet, & ea, quæ tantùm ſecretò, & ſibi ſoli à Patre erant communicata, & dici, quòd illa ſciret, iſta neſciret.

XLII. Sed quæres. Eſſet ne hæreticus, qui aſſereret Chriſtum, ut hominem, reverà ignoraſſe Judicii diem, vel aliquid aliud?

Videtur affirmandum. Etenim ſexto ſeculo fuerunt hæretici dicti *Agnoetæ*, latinè *ignorantes*, ſeu *neſcientes*, à quodam Themiſtio Diacono eorum auctore, dicti quoque Themiſtiani, ut hæretici habiti; quia ut Bellarminus refert *lib. 4. de Chriſto cap. 1.* Diei Judicii ignorantiam non Divinitati Chriſti, ſed eius Animæ, ſive Chriſto ut homini tribuebant.

Verùm ſi attentiùs Agnoetarum errorem ſcrutemur in Leontio *lib. de Sectis act. 10.* in S. Gregorio Magno *epiſt. 42. libri 8.* in S. Iſidoro *lib. 8. Origin. cap. 5.* & in S. Joann. Damaſce-

Digitized by Google

ſceno *lib. de hæreſibus*, Agnoetarum error, non in eo præcisè ſitus erat, quòd Chriſtus ut homo ignoraret diem Judicii, & alia aliqua; ſed quòd abſolutè dicerent, Chriſtum diem Judicii ignorare: dicebant enim, in Chriſto duas naturas non eſſe, ſed unam tertiam ex humanitate, & divinitate compoſitam. Ita ſentit quoque Maldonatus *Comment. in Matth. cap.* 24. Propterea qui diſtinguens in Chriſto Divinam, & humanam naturam, diceret, ſecundùm iſtam aliqua ignoraſſe, non eſſet Agnoetis ſtatim annumerandus; eò vel maximè, quòd, ut ſuperiùs indicavi, ex Veteribus aliqui in hanc ſententiam propendere viſi ſunt.

Dato igitur, quòd non eſſet hæreticus Agnoeta, qui aſſereret, Chriſtum ut hominem, diei Judicii, & aliorum quorum à Deo ſcientiam conſequi poteſt, ignorantiâ laboraſſe, turpiter tamen erraret; quia mediatè ſaltem contradiceret Scripturæ. Joann. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, quaſi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*; & Paulo ad Coloſs. 2. v. 3. de Chriſto dicenti: *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*. Contradiceret quoque Traditioni. Quare Leporius, cùm aſſeruiſſet: *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſecundùm hominem ignorare*, Eccleſia Africana adeò commota fuit, ut ipſum ad retractationem adegerit his verbis: *Sed nunc non ſolùm dicere non præſumo, verùm etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte ſententiam, quia dici non licet, etiam ſecundùm hominem ignoraſſe Dominum Prophetarum*. Hoc patet ex libello Emendationis, qui Africanorum Antiſtitum, & inter eos S. Auguſtini, ſubſcriptione approbatus eſt.

Inverecundè igitur errarunt Lutherus, & Calvinus. Iſte enim in ſua *Harmon Evangelica* ad loca *Matth.* 24. & *Marci* 13. apertè dicit, non plus abſurdi eſſe Chriſtum, ut hominem, Judicii diem, & aliqua alia ſibi à Patre non revelata ignoraſſe, quam ſit eſſe paſſibilem, ac mortalem, quem ſecutus fuit Forbeſius *lib.* 3. *Inſtit. Theologic. cap.* 2. aſſerens ignorantiam diei Judicii in Chriſto fuiſſe negativam, non privativam; ſed non mirum aberrare à ſana Theologia, qui à vera fide aberrarunt. Satis ſint hæc. Revertamur ad Arianos.

XLIII. Ad tertiùm reſpondeo, Chriſtum dixiſſe, non eſſe ſuum dare Regnum Cœlorum, non quia in ſua poteſtate non ſit, ait enim Joann. 10. v. 28. *Et ego vitam æternam do eis*: ſed non eſſe ſuæ æquitatis Regnum dare propinquitatis jure, aut merâ gratiâ illud concedere, quod labore, ac meritis comparandum eſt. Vel non eſſe ſuum dare, ut homo: *ac ſi diceretur* (ait Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12.) *Non eſt humanæ poteſtatis hoc dare: ut per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus æqualis eſt Patri*. Non eſt meum, *inquit*, dare; *ideſt non humana poteſtate iſta do*, ſed quibus paratum eſt à Patre meo: *ſed jam tu intellige, quia ſi omnia, quæ habet Pater mea ſunt, & hoc utique meum eſt, & cum Patre illa paravi*.

XLIV. Ad quartum dico cum Divo Thoma 1. par. qu. 42. art. 6. ad 1. *Quòd in hoc quòd dicitur*, Filius non poteſt à ſe facere quidquam, *non ſubtrahitur Filio aliqua poteſtas, quam habeat Pater, cum ſtatim ſubdatur, quòd quæcumque Pater facit, Filius ſimiliter facit: ſed oſtenditur, quòd Filius habet poteſtatem à Patre, à quo habet naturam. Unde dicit Hilarius* (lib. 9. de Trinit. poſt medium) naturæ divinæ hæc unitas eſt, ut ita per ſe agat Filius, quòd non à ſe agat. Ita S. Thomas.

Si verò dicas. Filio ſubtrahitur poteſtas generandi, cum Pater poſſit generare, Filius autem generare non poteſt.

Reſpondeo cum D. Thoma laudato loco ad 3. negando ant. *Nam ſicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio; ita eadem eſt potentia, quâ Pater generat, & quâ*

Fi-

Filius generatur. Undè manifeſtum eſt, quòd quidquid poteſt Pater, poteſt Filius: non tamen ſequitur, quòd poſſit generare, ſed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio ſignificat relationem in divinis. Habet ergo Filius eandem potentiam quam Pater, ſed cum alia relatione; quia Pater habet eam, ut dans, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quòd poteſt generare; Filius autem habet eam, ut accipiens, & hoc ſignificatur, cum dicitur, quòd poteſt generari.

§. IV.

Trium priorum ſeculorum Patres Græci.

XLV. Objiciebant Ariani, & modò objiciunt Sociniani. Trium priorum ſeculorum Patres Filium non eſſe verum Deum, ac Patri conſubſtantialem propugnarunt. Primò enim Juſtinus *Dialog. cum Triphone*: Filium nuncupat *Deum, qui adminiſter eſt Dei univerſorum Creatoris, & Patris Voluntate, non naturâ productum*. Ibidem docet, Deum nec Moyſi, nec Patriarchis unquam apparuiſſe, *quia nec ſuperiora Cœlo ſpatia relinquere poſſit, nec in exigua terræ parte conſpici*; ſed ſolum Filium Dei ſe videndum exhibuiſſe. Ibidem ſcribit, eſſe Filio *cauſam ut ſit*. Et in *Apologia ſecunda*: Chriſtianos Filium Dei in *ſecundo loco habentes venerari*. Hæc Juſtinus, qui ſeculo ſecundo anno 171. obiit: quæ certè cum divinitate Filii Dei, ejuſque conſubſtantialitate cum Patre non cohærent.

XLVI. Fateor SS. Patres, qui ante exortam hæreſim Arianam ſcripſerunt, non ita propriè, & fortè non ita cautè, de Trinitate locutos; quo ad ſubſtantiam tamen, & veritatem Catholicum hoc dogma fuiſſe profeſſos. Huic enim veritati accidit, quod & aliis evenit, nimirùm, ut antequam èrrores adversùs illas inſurgerent, ſub quadam obſcuritate tractarentur; nec Patres de eis ſcribentes, conſcii de ingenua credentium Fide, eſſent admodum ſoliciti latentes in eis difficultates explanare, ſubtilitates proponere, ac verborum proprietati ſtudere. Quod emergentibus poſtea erroribus factum eſt. *Multa quippe* (ait Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 2.) *ad Fidem catholicam pertinentia, dùm hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi exſiſtit occaſio*. Et lib. de dono Perſever. cap. 20. Semipelagianis, qui nomine Prædeſtinationis, tanquam Antiquis inuſitato, offendebantur, dicit: *Hæc eſt Prædeſtinatio manifeſta, & certa Sanctorum, quam poſtea diligentiùs, & operosiùs, cùm jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas coegit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones; contrà quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret*. His ergo ſuppoſitis

XLVII. Reſpondeo, Juſtinum, quo Sociniani maximè abutuntur, Filii Dei divinitatem contrà Gentiles, & Judæos aſſeruiſſe. *Apologiâ* enim ſecundâ *pro Chriſtianis* contrà Gentiles, pag. 56. de tribus Perſonis (quod Chriſtianis exprobrabant Æthnici) *Profitemur quidem* (inquit) *nos talium, qui habentur, Deorum eſſe expertes & atheos: ſed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet juſtitiæ, & caſtitatis, & virtutum aliarum... Verùm hunc ipſum, & qui ab eo venit.... Filium, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus cum ratione, & veritate venerantes &c.* Cùm ergo non diſtinguat Juſtinus inter cultum, quem exhibebant ſui temporis Chriſtiani Deo Patri, & quem exhibebant Filio, & Spiritui Sancto, dici debet, eodem cultu eos coluiſſe Patrem Deum, ac Filium; & propterea exiſtimaſſe Filium eſſe propriè Deum, ſicut Patrem: quod inferiùs pag. 96. apertè confitetur, dicens: Patri univerſorum Filium eſ-

ſe, *qui quòd Verbum & Primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt.*

In *Dialogo* autem *cum Tryphone* apertè docet, Filium eſſe quidem numero, ſeu perſonâ diſtinctum à Patre, ſed non eſſe diſtinctum naturâ, & eſſentiâ. Ita pag. 358. ait: *Virtutem iſtam, quam Deum ſermo propheticus vocat... non ita ut Solis lumen nomine tantùm numerari, verùm numero quoque aliud quiddam eſſe ratione exquiſitâ, ſupra paucis explicui, Virtutem hanc dicens à Patre genitam, virtute, & conſilio, & voluntate ipſius* (ecce diſtinctionem Perſonæ Filii à Patre. Nunc ecce identitatem in natura) *non per reciſionem veluti ab eſſentia Patris diſpertitam, pro ut alia omnia diviſa & ſecta, non eadem ſunt, quæ ante fuerunt, quàm ſcinderentur.* Inde confirmans exemplo ab igne petito, proſequitur Juſtinus: *Atque verbi gratia ea ſumſi, quæ ab igne accenſa, ignem alium cernimus, illo nihil diminuto, ſed in eodem manente, unde multi accendi poſſunt ignes.* Poſtea afferens textum Geneſ. 19. v. 24. *Pluit Dominus ignem à Domino*, dicit, ex hoc concludi, duos eſſe Dominos; unum tanquam Patrem, & Deum, qui alteri Domino *auctor eſt ut ſit, atque equidem præpotens, & Dominus, & Deus ut ſit.* Hic ergo Juſtinus prævenit errorem Sabellii, aſſerens Patrem, & virtutem ejus, nempe Verbum, eſſe numero duo. Prævenit etiam errorem Arii, dum aſſerit, quòd eſto duo ſint, & unus ab alio ſit, non tamen per abſciſſionem, ſicut ea, quæ diviſa ſunt & ſecta; ſed qui ab alio eſt eandem naturam cum illo habet, ſicut ignis ab alio igne genitus: adeò ut non ſolùm ab eo habeat ut ſit, ſed habeat quoque, ut Dominus, & Deus ſit. Ex quibus apertè patet, Juſtinum pro Verbi divinitate ſtetiſſe.

XLVIII. Ad ea verò, quæ objiciuntur. Ad primum dico, Juſtinum dicere Verbum à Patre genitum *non naturâ, ſed conſilio, & voluntate*, vel loquendo non de generatione æterna, & interna, quâ Verbum produxit intra ſe; ſed de generatione temporali, quâ illud miſit extra ſe per Incarnationem: quo ſenſu *Apolog. 2. pag. 96.* illud dicit ex Maria Virgine hominem genitum *juxta Patris conſilium, & voluntatem.* Vel ſi loquitur de generatione æterna, & interna, ſolum velle, Verbum eſſe à Patre genitum *non naturâ*, eo modo, quo homo gignitur ab homine; ſed conſilio, nempe intellectu, & voluntate, ideſt non invitè, ſed voluntariè, concomitanter tamen, non formaliter. Vocat autem Filium Patris miniſtrum, non in ſenſu proprio, ac ſi non agat per ſe, & nomine ſuo, ſed Patris nomine, eo modo, quo miniſter agit nomine ſui principalis; ſed impropriè, quatenùs licèt agat virtute ſibi propriâ, imò eâdem, quâ agit Pater, hanc tamen habet ſibi communicatam à Patre. Dicit quoque, Patrem nunquam apparuiſſe, ſed Filium; quia ſecundùm Veterum opinionem, qui in antiquo Fœdere apparuit Patriarchis ſub ſpecie humana, non fuit Pater, ſed Filius, quaſi præludens ſuæ futuræ Incarnationi. Hunc tamen Deum vocat (Dialogo cum Triph. pag. 357.) *qui juxta conſilium ejus & voluntatem, & Deus eſt, & Filius ipſius, & Angelus ex eo, quod ſententiæ illius eſt adminiſter &c.* Et inferiùs: *Chriſtus, qui Dominus, & Deus Dei Filius eſt, qui virtute priùs apparuerat &c.*

Dicit quoque, Patrem eſſe Filio *cauſam ut ſit* ſumendo cauſam lato modo, nimirum pro principio originis, ſeu pro eo, à quo quis accipit eſſe, etiamſi abſque dependentia illud accipiat: & hoc dixit, ut oſtenderet, Filium, & Patrem non eſſe eandem Perſonam, ſed duas, unam dantem, alteram accipientem eſſe.

Tandem dicit, Filium ſecundo loco haberi, non dignitate, ſed origine; quia licèt eadem dignitas, quæ in Patre eſt, in Filio ſit, Filius tamen hanc habet à Patre; unde ordine originis primò dicitur eſſe in Patre, ſecundò in Filio.

XLIX. Secundo objiciunt Athena-

go-

goram Juſtino ferè æqualem, & Tatianum Aſſyrium Juſtini diſcipulum. Primus enim (*legatione*, ſeu *Apologia pro Chriſtianis* pag. 10.) Vocat Verbum primigeniam Patris progeniem, *quæ ut cunctarum rerum idea, & perfectio foret, progreſſa eſt;* cui aptat illud Proverb. 8. *Dominus creavit me initium progreſſionis ejus ad opera ſua*. Secundus verò de Verbi generatione ſic loquitur, ut illud aſſerat *Primogenitum opus* Dei; quòd cùm Deus *voluit ex ejus ſimplicitate proſiliit;* Quòd ante conditum mundum Deus ſolus erat: quæ indicant, Verbum admittere ſolùm initio temporis productum.

Reſpondeo, de Athenagoræ mente non eſſe dubitandum. Is enim citato loco, ut oſtendat Ethnicis, Chriſtianos Deo non tribuere Filium, eo modo, quo ipſi Diis ſuis Filios affingebant, more ſcilicet humano, dicit: *Filius Dei eſt Verbum Patris in idea, & efficacia: ab ipſo enim, & per ipſum facta ſunt omnia, quum Pater, & Filius unum ſint; ita ut Filius ſit in Patre, & Pater in Filio per unionem, & potentiam Spiritus*. Et infra, Filium Dei apertè Deum eſſe pronunciat, dicens: *Quis igitur non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem exponamus, impios, & ſine Deo homines vocari?* Cùm ergo dicit, Filium eſſe primigeniam Patris progeniem, quæ in res creatas progreſſa eſt, loquitur de progreſſu exteriori, quatenus omnia per Verbum exteriùs in tempore prodiere; & huic applicat textum Proverbiorum: non verò de progreſſu interno, quo apud Patrem eſt, & ab eo procedit; imò ſic Verbum vocat Patris progeniem, quæ *non ut facta* progreſſa ſit, nec in tempore; *à principio enim Deus, qui eſt mens æterna, ipſe in ſeipſo* Logon, *hoc eſt Verbum, aut rationem habet*.

Nec diſſimiliter ſentit Tatianus. Imò dicit, quòd mundo nondum condito *in ipſo* (Deo) *per potentiam Verbi tùm ipſe, tùm Verbum, quod in eo erat, extitit*. Loquitur ergo de Verbo ſecundùm externam proceſſionem in opera Dei, ſecundùm quam non relinquit Patrem, ſed ad huc in Patre manet: *Nam* (inquit) *& ego, ſi loquar, & vos audiatis, non tamen propter tranſitum ſermonis, ego qui vobiſcum loquor, ſermone vacuus fio*.

L. Tertiò objiciebant Theophylum Antiochenæ Eccleſiæ, poſt Petrum, ſextum Epiſcopum, qui lib. 2. ad Autolycum de voce Dei, quam audivit Adamus dicit: *At vocem quid aliud dixeris, quam ſermonem Dei, qui ejus Filius eſt?*

Reſpondeo tamen, Theophylum ibi loqui de Verbo Dei, ut exteriùs manifeſtato, non de Verbo Dei, ut interiùs producto; nam hoc modo vocat *ſermonem perpetuò exiſtentem, & inſitum in corde Patris Dei*. Et paulò poſt affert textum Joannis 1. *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum*, & ſubdit: *ſignificans, in principio ſolum fuiſſe Deum, & in eo ſermonem. Poſtea infert Deus erat ille ſermo*.

Hunc ergo ſermonem ab æterno in Deo exiſtentem dicit, quod *quando vult Pater univerſorum mittit eum ſermonem* (per effectum) *ad aliquem locum*.

LI. Quartò objiciebant Irenæum Polycarpi Joannis Apoſtoli diſcipuli auditorem, qui anno 210. martyrio coronatus fuit. Is enim plura ſcripſit, quæ cum Verbi divinitate pugnare videntur. Primò. Nam *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. & *cap.* 38. *num.* 3. ſcribit, Deum Patrem præcepiſſe Filio, ut mundum conderet: *Cui ergo* (inquit) *præcepit? Verbo ſcilicet, per quod, inquit, Cœli firmati ſunt*. Et hæc, ad illa Pſalmi 32. v. 9. *Quoniam ipſe præcepit, & creata ſunt*. Secundò. Lib. 4. cap. 7. aliàs 17. vocat Filium Dei miniſtrum ad omnia: *miniſtrat enim ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua, ideſt Filius, & Spiritus Sanctus:* ex quo infert, Patrem non indiguiſſe Angelis ad

mundi conditionem. Tertiò. Verbo, ut Verbo ignorantiam diei extremæ adſcribit *lib. 2. cap. 28. aliàs 48. num. 6.* Filium aſſerit neſcire judicii diem: *ipſe* (inquit) *Filius Dei ipſum Judicii diem, & horam conceſſit ſcire ſolum Patrem.* Et ibidem num. 8. aſſignans cauſam, quare dixerit Filius, quòd ſolus Pater ſciat Judicii diem, ait, ſe non aliam invenire, niſi *ut diſcamus per ipſum, ſuper omnia eſſe Patrem: etenim* Pater *ait* Major me eſt. Hæc certè cum divinitate Filii Dei non concordant.

LII. S. Irenæum tamen Verbi divinitatem fuiſſe confeſſum, conſtat. Primò. Quia *lib. 3. adverſus hæreſ. cap. 6.* ſtatuit, nullum, qui non ſit verè Deus definitivè, & abſolutè à Domino & Spiritusſancto, & ab Apoſtolis nominari Deum; Patrem verò, & Filium ejus in ſcripturis abſolutè Deum nominari aſſerit: *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè, & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verè Deus, neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium ejus, qui dominium accepit à Patre ſuo omnis conditionis.... Verè igitur cùm Pater ſit Dominus, & Filius verè ſit Dominus, meritò Spiritus Sanctus Domini appellatione ſignavit eos.* Inde affert illud *Gen. 19. 24. pluit Dominus... à Domino.* Subjungens autem illud Pſalmi 44. v. 7. *dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus,* ait: *utroſque Dei appellatione ſignavit Spiritus, & eum, qui ungitur, Filium, & eum qui ungit, ideſt Patrem.*

Deinde lib. 4. cap. 5. aliàs 11. ubi oſtendit, Deum qui Patriarchis locutus fuit, fuiſſe vivorum Deum & verum Deum: *Quis enim* (inquit) *eſt vivorum Deus, niſi, qui eſt Deus, ſuper quem alius non eſt Deus?* hunc autem Deum vivorum dicit eſſe Deum Patrem, & Verbum: *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic eſt vivorum & Verbum ejus, qui & locutus eſt Moyſi, qui & Sadducæos redarguit &c.* quibus patet, Irenæum credidiſſe, verum Deum etiam Chriſtum; unde ſubdit: *Ipſe igitur Chriſtus cum Patre vivorum eſt Deus, qui loquutus eſt Moyſi, qui & Patribus manifeſtatus eſt.*

LIII. Reſpondetur ergo, quòd, cum Irenæus dixit, Patrem Verbo ſuo præcepiſſe, ut mundum crearet, non ſumſit præceptum propriè, ut dominus præcipit ſervo, & ſuperior ſubdito; ſed impropriè, quatenùs per Verbum ab ipſo procedens, ſibi tamen equale, & ut ait Irenæus: *quoniam ſive Angeli, ſive Arcangeli, ſive Throni, ſive Dominationes, ab eo, qui eſt ſuper omnes Deus, & conſtituta ſunt, & facta per Verbum ejus.*

Eâdem ratione Filium vocat Dei miniſtrum, nempè impropriè; unde ait: *Miniſtrat ei progenies, & figuratio ſua, ideſt Filius, & Spiritus Sanctus.... quibus ſerviunt, & ſubjecti ſunt omnes Angeli.* Miniſtrant ergo tanquam progenies principio, à quo procedunt, ut ejuſdem ſubſtantiæ, ac dignitatis; unde illud vocat *inenudrabile miniſterium.*

Quod verò dixit, ſolum Patrem ſcire Judicii diem, hoc fecit, ut oſtenderet, Chriſtum economiæ causâ hoc dixiſſe; non quòd ipſe neſciret, ſed quòd ſcientiam, quam habebat, ad Patrem referendam eſſe vellet, & ab eo ſolo expectandam eſſe illius diei notitiam; quamvis enim ipſe eam haberet, eam tamen non habebat, ut aliis communicaret, ut ſupra dictum eſt: & hoc, ut exemplo ſuo doceret, non eſſe temerè exquirenda (quod Gnoſtici, quos caſtigabat, præſumebant) quæ Deus abſcondita eſſe voluit.

Patrem Deum dixit majorem Filio, non quatenùs Verbum, & Filius Dei eſt, ſed quatenus homo, & filius hominis eſt, ut ſuperiùs explicavimus.

LIV. Objiciebant quintò, Clementem

tem Alexandrinum lib. 7. ſtromatum dicentem: *naturam Filii eſſe ſoli Omnipotenti conjunctiſſimam;* quæ autem conjuncta ſunt, unum non ſunt, ſed duo. Rurſus ibidem: *Filium omnipotentis Patris voluntati ſervire;* non ſervit autem, niſi inferior. Præterea lib. 5. ſtromatum vocantem Filium Dei: *primò creatam ſapientiam;* ſi autem creatam; ergo eam non fatetur Deum eſſe.

LV. Sed immeritò. Clemens enim Alexandrinus diſcipulus Pantæni, qui magiſtros audiit Apoſtolis coævos, apertè Filii divinitatem fatetur. Etenim libro *Admonitionis ad Gentes* par. 5. *Dei Verbi* (inquit) *ſumus nos figmenta.... quoniam in principio erat Verbum. Sed quoniam Verbum quidem erat, ab alto petitâ origine, divinum univerſorum principium fuit, & eſt.... Hic ergo Verbum, Chriſtus, &, ut nos olim eſſemus, erat enim in Deo; & ut benè eſſemus, cauſa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipſe, Verbum, qui ſolus eſt ambo, Deus & homo.* Quid clarius pro divinitate Verbi, & Chriſti? lib. 1. Pedagogi cap. 5. Chriſtum vocat *Deum, qui eſt Verbum, qui propter nos homo factus eſt.* Et lib. 3. cap. 7. *eſt enim* (inquit) *minimè indigens, qui Deum Verbum habet omnipotentem.*

LVI. Ad ea ergo, quæ objiciuntur, reſpondeo, vocem *naturam* à Clemente uſurpatam, ibi ſumi pro Perſona, ſeu pro perſonali proprietate Filii, quæ eſt conjunctiſſima ſeu propinquiſſima naturæ, ideſt Perſonæ Patris: hoc enim nomine naturæ ſive *Uſia* eodem modo, nempè pro perſona, aliqui Patres uſi ſunt, etiam poſt Concilium Nicænum I. Loquendo tamen de eſſentia, ſeu natura communi, nedum conjunctam, & propinquam, ſed eandem habere cum Patre Filium, docet in ſequentibus Clemens: ait enim, quod eſt *maxima excellentia* Filii, *quâ gubernat Univerſum, inhexauſtâ poteſtate cuncta operans,* quod non *tranſit de loco ad locum;* eſt tamen *ſemper ubique, nec continetur nuſquam; eſt tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, ſcit omnia. poteſtate ſcrutatur poteſtates.* Certè hæc non conveniunt niſi habenti eandem Dei naturam.

Dùm verò ait, Filium Patris voluntati ſervire, loquitur de Filio Dei, quatenùs homo, & Salvator eſt; qui tamen ibi vocatur *omnium Dominus*

Quòd verò Filium Dei vocet *primò creatam Sapientiam*, idem eſt, ac ſi diceret primò genitam, aut productam; quæ ſolutio evidenter colligitur ex perfectionibus, quas, ut obſervatum eſt, Verbo Patris tribuit Clemens.

LVII. Objiciunt ſextò, Origenem Clementis Alexandrini diſcipulum malè de Verbi divinitate ſenſiſſe; & textus accumulant.

De Origene incertum eſt. Quidam ipſum in luto Ariani erroris hærentem relinquunt; ac de Filii divinitate peſſimè fuiſſe locutum, ex libris ejus ſe colligere arbitrantur. In hac ſententia fuit S. Epiphanius *hæreſi* 64. *cap.* 4. & in Ancorato *cap.* 63. Fuit S. Hieronymus *lib.* 1. & 2. *adverſùs Ruffinum*: quibus conſentit S. Thomas 1. *par. qu.* 34. *art.* 1. *ad* 1. vocans Origenem fontem Arianorum. In qua ſententia ex recentioribus eſt noſter Alexandre *ſecul.* 3. *diſſert.* 16. *art.* 2. Alii conantur ipſum ad bonum ſenſum trahere, inter quos Juvenin. *Inſtit. Theol. par.* 2. *diſſert.* 1. *de exiſt. SS. Trinit.* qui ex variis Origenis textibus deſumtis ex *libris contra Celſum*, oſtendere intendit, eum faſſum eſſe Filii divinitatem, immutabilitatem, impaſſibilitatem; & Chriſtianos, cum Verbum colunt, non colere aliquam creaturam, ſed Dei, ac ejus Filii divinitatem: quos libros, cùm elaborato ſtudio, & jam ſenex conſcripſerit, ejus mentem ſinceram, ac fidem continere credendum eſt. Sed quia etiam in præfatis libris aliqua ſcribit ſanam fidem non redolentia, nempe quòd Pater ſolus ſit primarius mundi Opifex; quòd Pater, & Filius ſint unum con-

cor-

Digitized by Google

cordiâ, & voluntate; quòd Verbum non ſit univerſorum Deus, quod oſtendit ex illo *Pater major me eſt*; & alia: propterea Origenis auctoritas hac in re non multi facienda eſt.

§. V.

Trium ſeculorum Patres Latini.

LVIII. PRimus occurrit Tertullianus, qui Verbi æternitatem negaſſe viſus eſt. Nam lib. contra Hermogenem cap. 3. hæc habet: *Et Pater Deus eſt, & Judex Deus eſt: non tamen ideò Pater, & Judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quòd Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Quibus aſſerit, fuiſſe tempus, quo Deus non eſſet Pater, quia fuit tempus, quo non eſſet Filius; quod erat Arianorum axioma. II. lib. adverſus Praxeam. *Et hinc* (poſt relata Proverb. verba: Dominus creavit me initium viarum ſuarum, inquit) *adſiſtentem eam* (Sophiam, ſeu Verbum) *ipſâ ſeparatione cognoſce.* Et ibidem cap. 8. ait: *dum Filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.*

LIX. Attamen Tertullianum in Fide Trinitatis non erraſſe, paſſim ipſemet oſtendit. Primò. Apologetico adverſùs Gentes cap. 21. de Verbo dicit: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ.* Et de Spiritu Sancto, inquit: *Nam & Deus Spiritus.* Et paulò poſt: *Quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, modulo alterum numerum gradu, non ſtatu fecit, & à matrice non receſſit, ſed exceſſit*, ideſt numerum fecit *non ſtatu*, ideſt in ſubſtantia, ſeu matrice; ſed *gradu*, ideſt in perſonali proprietate.

Hinc libro adverſùs Praxeam cap. 17. Omnia Patris nomina, & attributa Filio Dei competere, dicit: *Et nomen Patris Deus Omnipotens, Altiſſimus. Dominus virtutum, Rex Iſraelis, qui eſt, quatenus ità Scripturæ docent. Hæc dicimus, & in Filium competiſſe, & in his Filium veniſſe, & in his ſemper egiſſe, & ſic ea in ſe hominibus manifeſtaſſe. Omnia, inquit, Patris mea ſunt. Cur non & nomina?* Et ibidem cap. 22. *Unum ſumus, dicens, ego & Pater, oſtendit, duos eſſe, quos æquat, & jungit, nimirùm in ſubſtantia.* Et cap. 2. Reprehendens Praxeam, qui Trinitatem Perſonarum fateri renuebat, ne læderet Deitatis unitatem: *Nihilominus* (inquit) *cuſtodiatur Sacramentum* [*diſpenſatio*] *quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantiâ, ſed formâ; nec poteſtate, ſed ſpecie; unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus, & unius poteſtatis: quia unus Deus, ex quo & gradus iſti & formæ, & ſpecies in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Fide igitur Tertulliani circa Trinitatem exploratâ

LX. Reſpondetur ad ea, quæ in oppoſitum producta ſunt. Ad primùm ergo, quod multis ingerit difficultatem, reſpondeo, Tertulliani mentem eſſe, non quòd non ſemper in ſe fuerit Deus Pater, ſicut nec ſemper in ſe fuerit Filius à Patre procedens; ſed quod non ſemper Pater fuerit extra ſe manifeſtatus ut Pater, ſicut non ſemper fuit manifeſtatus ut Judex, & ut Dominus, neque ſemper extra manifeſtatus Filius fuit. Et hoc ut Hermogenem redargueret, qui extra Deum ponebat materiam coæternam; volens oſtendere, nihil extra Deum æternum fuiſſe. Quod non infert, Filium ab æterno apud Deum, & intra Deum non fuiſſe.

Ad ſecundùm dico, Tertullianum ibi ſumſiſſe ſeparationem non propriè, ac ſi Filius eſſet in ſubſtantia à Patre ſejunctus, ut in humanis: ſed ſumſiſ-

ſe

ſe ſeparationem impropriè, nimirùm pro diſtinctione in Perſona contrà Praxeam, volentem, unam, eandemque Perſonam, eſſe Patrem, & Filium: *Dum* (inquit c. 9.) *alius, qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem fit.... non diviſionem ſignificavit, ſed diſpoſitionem.*

Dùm autem vocat Filium *ſecundum à Patre*, intelligendus eſt ſecundus, non ordine dignitatis, ſed tantùm originis.

LXI. Objiciunt ſecundò Lactantium, qui *lib. 2. divin. Inſtit. cap. 9.* videtur aſſerere, Deum produxiſſe Filium ſolùm antequam mundum crearet. Et *lib. 4. cap. 8.* Hanc differentiam ſtatuit inter Verbum, & Angelos; quòd licèt Filius ex ordine Spirituum ſit, hoc tamen ab Angelis differt, quòd Angeli ad miniſterium Dei creabantur; Filius verò *ſono, ex Dei ore proceſſit, ſicut Verbum, ea ratione, quia voce ejus ad populum fuerat uſurus.*

LXII. Reſpondent aliqui, Lactantium Rhetorem fuiſſe, non Theologum; ideòque in Myſteriis fidei ejus auctoritatem non multi faciendam eſſe, quod, errores, qui in ejus libri ſparſi ſunt, adteſtantur.

Cæterùm ipſum de Filii Dei æternitate, ac divinitate rectè ſenſiſſe evidenter probant ea, quæ habet eodem *lib. 4. cap. 29.* nam propoſitâ ſibi Gentilium objectione his verbis: *Fortaſſe quærat aliquis, quomodo, cùm Deum nos unum colere dicamus, duos tamen aſſeveremus, Deum Patrem, & Deum Filium.* Sic reſpondet: *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diverſum dicimus, nec utrumque ſecernimus, quia nec Pater à Filio poteſt, nec Filius à Patre ſecerni: ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utrique mens, unus ſpiritus, una ſubſtantia eſt: ſed ille quaſi exuberans fons eſt, hic tanquam defluens ex eo, rivus; ille tanquam Sol, hic tanquam radius ex Sole porrectus: qui quoniam ſummo Patri fidelis, & carus eſt, non ſeparatur, ſicut nec rivus à fonte, nec radius à Sole, quia & aqua Fontis in rivo eſt, & Solis lumen in radio.* Hæc Lactantius, qui deinde ſic concludit: *Quapropter cùm mens, & voluntas alterius in altero ſit, vel potiùs in utroque una, meritò unus Deus uterque appellatur &c.*

LXIII. Quarè ad ea, quæ objiciuntur, reſpondeo. Ad primum. Lactantium dicere, Filium productum à Deo antequam ordiretur hoc opus Mundi, hoc eſt ante tempus, ſeu ab æterno, antequam *ordiretur*; non dicit *crearet*: quaſi diceret antequam inciperet in mente ſua cogitare, aut decernere de mundo creando, *produxit ſimilem ſui ſpiritum, qui eſſet virtutibus Dei Patris præditus.* Deinde ſubdit: *eoque ſimul, & conſiliatore uſus eſt, & artifice in excogitandis, ornandis perficiendiſque rebus.* Si ergo ex Lactantio Filius Dei productus eſt ſimilis Patri, ejus virtutibus præditus, ejus conſiliarius; quid deerat, ut eſſet æternus, habenſque attributa, & naturam Dei ſicut Pater?

Ad ſecundùm dico, Lactantium ſolùm voluiſſe rationem adducere, quare Filius Dei, cum ſit Spiritus, quòd etiam ſunt Angeli, dicatur Verbum, & ſermo potiùs, quàm Angeli; & dicit, quòd Angeli ex Deo *taciti Spiritus exierunt*, Filius verò proceſſit, *ſicut Verbum*, quia *voce ejus ad populum fuerat uſurus.* Sed præter hanc, immenſam aliam differentiam recognoſcit, nam Filium Dei, quem dicit Verbum, vocat Deum dicens: *Si quis miratur, ex Deo Deum prolatione vocis, ac Spiritus potuiſſe generari; ſi ſacras voces Prophetarum cognoverit, deſinet profectò mirari:* & tandem producit illud Joann. 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et cap. 6. præcedente poſtquam dixerat, quòd Deus *ſanctum, & incorruptibilem, & incomprehenſibilem Spiritum, genuit, quem Filium nuncupavit*, ſubjecit: *Et quamvis*

Digitized by Google

vis alias poſtea innumerabiles per ipſum creaviſſet, quos Angelos dicimus, hunc tamen ſolum primogenitum, divini nominis appellatione dignatus eſt, patriâ ſcilicet virtute, & poteſtate pollentem.

LXIV. Alios Patres, tùm Græcos tùm Latinos omitto, quia de illis nulla dubitatio eſt. Cùm igitur etiam prælaudati, quos Sociniani in ſuas partes trahere conantur, pro Filii Dei divinitate militent, ut oſtendi; etiam ex trium priorum ſeculorum traditione invictum habemus pro Filii Dei divinitate argumentum.

LXV. Quapropter, ut benè obſervat Juvenin loco ſuperiùs citato, non videtur fuiſſe æquus cenſor Dionyſius Petavius, qui *libro 1. de Trinitate*, putat, omnes Patres, qui ante Nicænum I. ſive in Oriente, ſive in Occidente vixerunt (paucis exceptis) Arianiſmo circa Verbi divinitatem laboraſſe. Sequitur etiam, ineptè Socinianos, Patres trium priorum ſeculorum in ſui erroris præſidium trahere: cùm, ut dictum eſt, eſto in loquendi ratione diſſentire, dici poſſint, in rei tamen, & dogmatis veritate conveniant. Quod & Petavius ipſe in præfatione ſui Operis, quaſi retractans, indicare videtur.

DUBIUM III.

Varia circa Arianorum cauſam examinantur.

§. I.

De Concilio Nicæno primo.

I. INdignatus Arius ob anathema, quo ipſe unà cum gregalibus ſuis damnatus fuerat ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo, in Synodo per eundem coacta, Euſebii Nicomedienſis (apud quem exulabat) ope ac patrocinio, aliud Bithyniæ in Paleſtina Concilium convocari obtinuit; in quo Euſebius Arium in communionem recepit, atque ad omnes Epiſcopos litteras dedit, ut ſuam itidem in Communionem Arium cum ſociis & ipſi reſtituerent, & Alexandrum Alexandrinum ad pacem flecterent. Cujus rei nuntio ad Alexandrum perlato, ſanctiſſimus ille Antiſtes encyclicas ſcripſit epiſtolas, quibus Arii, & ſociorum fraudes, ac impietatem detexit, eoſque propterea à ſe fuiſſe ab Eccleſia expulſos ſignificavit. Quare Arius, abjecta omni ſpe pacem cum Alexandro ineundi, factioſis tumultibus Alexandriam, Ægyptum, imò totum Orientem exagitare cæpit.

II. Quibus in dies creſcentibus, obviam ire volentes Silveſter I. Romanus Pontifex, & Conſtantinus Màgnus Imperator, ille ſuâ auctoritate, iſte curâ, ſubſidio, & operâ, Generale Concilium Niceę in Bithynia Metropoli, anno Chriſti 325. Silveſtri 12. Conſtantini verò 20. indixere; cujus piis expenſis, Alexandri Alexandrini hortatu, Epiſcopi num. 318. adducti fuere. Cui adfuit & ipſe Imperator; ſed infra Epiſcopos, & nonniſi ipſis annuentibus ſedit. Eique præfuere Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Præsbyteri, tanquam Romani Pontificis Legati.

III. Præter Arianam hæreſim aliæ duæ cauſæ fuerunt Synodi Nicænæ convocandæ. Una fuit gravis diſſenſio ab Aſiaticis Præſulibus nata; qui Paſcha, non Dominica die, quâ à mortuis ſurrexit Chriſtus, ſed 14. Lunâ in quamcumque incidiſſet diem, Judaico more celebrari contendebant. Altera Meletii Lycopolitani Epiſcopi ſchiſma. Is multorum criminum convictus, & præcipuè, quòd vigente Maximini perſecutione ſacrificaſſet Idolis, damnatus, & à ſua ſede depoſitus eſt. Quod ægrè ferens, ſchiſma fecit; neque ſolùm Patriarchæ Alexandrini obedientiam excuſſit, ſed & probra contrà ipſum evomuit: imò ambitione elatus Provincias Thebaidis, ac vicinæ Ægypti invaſit, tanquam novum Patriarcham ſeſe oſtentans; ut-

utque ſeſe magis firmaret, cum Arianis antea inimicis conjuravit, eis quantas poterat ſuppetias ferens. De quo S. Athanaſ. *Apolog.* 2. *Socrates lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 3. Theodoretus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 9. quamquam Meletius, Schiſma quidem fecerit, non tamen hæreſim; ideòque Meletiani, ut Schiſmatici, non ut Hæretici probabiliùs habendi ſunt.

IV. Congregatis igitur in Concilio Patribus, eos ad pacem, & concordiam hortante piiſſimo Imperatore, impia Arii dogmata recitata fuere: Dies dicta fuit Ario, & ſuis, ut ſe defenderent. Initâ diſputatione, in qua Athanaſius, licèt adhuc Diaconus, Catholicorum partes ſtrenuè geſſit, Arius in ſua impietate perſeverans, unà cum hæreſi Arianâ damnatus eſt communi Patrum ſuffragio; & ſancitum, Dei Filium *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, *&* *Patri homouſion*, ideſt *conſubſtantialem* eſſe; ac fidei Symbolum omnium nomine ab Oſio Cordubenſi, Sedis Apoſtolicæ Legato conſcribitur: anathemate dicto ipſi Ario, ac duobus Epiſcopis, *Secundo* Ptolæmaidis, & *Theona* Marmaricæ, qui nec Fidei Nicenæ, nec Arii damnationi ſubſcribere voluerunt; qui unà cum Ario, juſſu Imperatoris, in exilium amandati ſunt. Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus, initio quidem Nicænæ fidei ſubſcribere renuerunt, ſed metu Imperatoris ficte, & ſimulatè ſubſcripſerunt. Quare deprehenſi poſtea cum Arianis ſentientes, & palàm communicantes, in Galliam ab Imperatore exules miſſi ſunt.

V. Hæreſis Ariana, quamvis damnata, & Nicæno decreto reciſa, velut hydra in plura capita pullulavit, Euſebio Nicomedienſi promovente, qui eam fecit ſuam. Quare Ariani, extincto Ario, Euſebiani dicti ſunt; in tres tamen ramos tractu temporis diviſi.

Primus eorum, qui Arii extremam impietatem, & blaſphemiam profitebantur. Tales fuère Aetius, & Eunomius, qui proprio errori Arianum quoque conjunxerunt; Filium Patri diſſimilem aſſerentes, ex nihilo, & ex non extantibus factum, dicti *Anomæi*, ideſt *diſſimiles*.

Secundus fuit eorum, qui Filium quidem per omnia ſimilem, ideſt *homiuſion* Patri aſſeverabant, non tamen ei conſubſtantialem, ſeu *homouſion*: ac propterea Nicænum repudiabant, quòd Filium Patri *homouſion*, ſeu conſubſtantialem, ac ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre decreviſſet: hi Semi-Ariani dicebantur. Tertius Arianiſmi ramus fuit Acacianorum (duce Acacio Epiſcopo Cæſarienſi) qui Filium non *homouſion*, ut Catholici, non *homiuſion*, ut Semi-Ariani, non *Anomion* ut blaſphemabant Aetiani, & Eunomiani, ſed *ò mion*, ideſt ſimilem, non quidem in ſubſtantia, ſeu *Uſia*, ſed in figura appellari contendebant; eo modo, quo pictura, ſive ſtatua hominis vivi ſimilis illi eſt, externâ quidem ſpecie, at non ſubſtantiâ: ſicque Filium ſimilem Patri eſſe, non divinitate, vel æternitate parem effutiebant.

Quia verò illa vox *homouſion* quâ Patres Nicæni uſi fuere ad explicandum, Filium eſſe conſubſtantialem, nempe ejuſdem eſſentiæ, & ſubſtantiæ cum Patre, malè audita fuit, nedum ab Arianis, ſed ab aliquibus etiam, etſi fide ſanis, placet de hoc inquirere.

§. II.

De voce Homouſion.

VI. DIco. Vox illa *Homouſion* aptiſſimè à Synodo Nicæna fuit excogitata, tanquam gladius Ariani erroris jugulum petens, & Catholicam veritatem mirè exponens. Et probo. Nam Ariani dicebant, Verbum ex non extantibus factum eſſe, fuiſſe tempus, quo non erat, Verbum eſſe creaturam, eſto in aliquo ſenſu ab aliis diſſimilem, ideòque diverſæ natu-

naturæ à Patre: Atqui ad hoc diſſipandum aptiſſima erat vox *homouſion* ſignificans, Verbum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, & eſſentiæ cum Patre; quod enim ejuſdem eſſentiæ cum Patre eſt, factum non fuit ex non extantibus, non ſupponit tempus, in quo non fuerit, non poteſt dici creatura; ergo &c. Catholici è contra dicebant: Verbum eſſe de ſubſtantia Patris, Deum de Deo, genitum, non factum: ſed hoc benè explicatur per vocem *homouſion*; qui enim ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre eſt, verè, & propriè Deus eſt, ſicut eſt Pater, æternus eſt, genitus eſt, non verò factus; ergo &c.

VII. Confirmatur. Ea vox eſt aptiſſimè excogitata ad exprimendam Verbi divinitatem, quæ omnem evaſionem Arianis præcludit: atqui hujuſmodi eſt vox *homouſion*; ergo &c. Min. probatur. Cùm enim Catholici aliis vocibus etiam ex Scriptura petitis Arianos urgerent, iſti eas ad ſuum pravum ſenſum admittebant: v. g. Ariani interrogati, an Filium Dei crederent ex Deo eſſe genitum? annuebant; ſed eo ſenſu eſſe ex Deo, & genitum aſſerebant, quo aliæ creaturæ ex Deo eſſe, & ab eo originem trahere per creationem, etiam in Scripturis, dicuntur. Cùm illis dicebatur, Filium eſſe ſimilem, imaginem, gloriam Patris, æternum &c. negare non audebant; ſed invicem muſſitabant, nihil hìc de Filio dici, quod de nobis etiam dici non poſſit, vel ſaltem nobis accomodari: nam homo quoque dicitur, quòd ſit ſimilitudo, imago, & gloria Dei. Ita Athanaſ. *de Decretis Nicenæ Synodi*. Quæſiti rursùs, an faterentur, Filium Dei eſſe Deum? affirmabant; ſed eum eſſe Deum intelligebant, qui per gratiam factus eſſet Deus, non qui eſſet Deus per naturam. Reprehenſi, quòd Filium Dei creaturam dicerent, negabant; ſed ſecretò intelligebant, eum non eſſe creaturam ejuſdem gradus cum aliis, ſed multò ſublimioris. At dùm interrogarentur, an crederent Filium Dei eſſe *homouſion*, de ſubſtantia, ejuſdem eſſentiæ, & conſubſtantialem Patri, eis non erat effugii locus: nam vel affirmabant, & ſic Catholicos; vel negabant, & ſic ſe Arianos manifeſtabant: *Cæterum* (inquit Athanaſius laudato loco) *Epiſcopi conſideratâ illorum hypocryſi, & vafritie, ipſi quoque neceſſitate coacti ſunt ſententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere, & ſcribere, Filium conſubſtantialem eſſe Patri, ut non ſolùm ſimilem ſimilitudine, ſed eundem eâ voce, quâ dicitur eſſe ex Patre, ſignificarent*. Et infra: *In his verbis ex Patre eſſe, & conſubſtantialem eſſe, vim peremtoriam Patres voluere contineri, ad elidendas has argutiolas, Filium creatum, aut factum, aut mutabilem eſſe, aut non fuiſſe antequam naſceretur*.

VIII. Neque dicas. Vox, quæ non legitur in Scripturis Sacris, ſed in Eccleſia nova erat, imò olim ab Eccleſia damnata, & quæ occaſionem dabat erroris, nec appoſitè, nec prudenter inſerta fuit Symbolo fidei à Patribus Nicænis: ſed vox *homouſion*, primò non legitur in Scripturis. Secundò, nova erat, nec uſurpata in Eccleſia Catholica ante Concilium Nicænum. Tertiò, imò ab Eccleſia damnata in Synodo Antiochena contra Paulum Samoſatenum. Quartò, occaſio erat erroris: hâc enim voce quidam unam Perſonam intelligebant; quidam ſubſtantiam Perſonis priorem, quæ ipſis deinde communicaretur; Alii ſubſtantiam in tres diviſam portiones, tribus Perſonis adſcriptas; ergo &c.

IX. Reſpondetur ad omnia. Ad primum dico, non licere quidem novas voces à ſenſu Sacræ Scripturæ alienas, & quæ neque quoad ſonum, neque quoad ſenſum in ea non reperiantur uſurpare; licere tamen, imò oportere (hæreticis novas voces ad detorquendum ſenſum Sacræ Scripturæ in ſuum

ſuum

Digitized by Google

ſuum errorem uſurpantibus) alias voces, etſi in Scriptura non expreſſas, ejus tamen ſenſum genuinè, ac ſincerè exprimentes, opponere. Hoc movit Patres Nicænos ad opponendam vocem *homouſion*, etſi non ſcriptam, falſis Arianorum vocibus, & doctrinis. Audire præſtat SS. Athanaſium, & Hilarium ita Arianos redarguentes. S. Athanaſ. lib. de Synodis Arimini, & Seleuciæ: *Si* (inquit) *penitùs excludenda putant vocabula omnia non ſcripta; cur, cùm Arius tantum acervum dictionum, quæ nuſquam in Scripturis occurrunt, accumulaverit, quales ſunt: Ex non extantibus; & non erat Filius antequam gigneretur; & erat, quando non erat; & mutabilis eſt &c. non illi contradixerunt?* Sanctus autem Hilarius in lib. contra Conſtant: *Novitates* (ait) *vocum, ſed prophanas devitari jubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis? Innaſcibilem ſcriptum nuſquam legis. Nunquid & hoc negandum erit, quia novum eſt? Decernis ſimilem Patri Filium. Evangelia non prædicant. Quid eſt, quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio ſubmovetur. Ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur: ubi autem Religionis maxima, & ſola cautela eſt, excluditur.*

Sed audire præſtat etiam S. Gregorium Nazianz. *orat.* 49. ſic loquentem: *Si dicis mihi*, homouſion, *quod eſt unius eſſentiæ nomen; ob hoc nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non contineatur: quæro autem, ò homo, qui hoc prohibes, utrum ideò nominari non debeat, quia ſcriptum non eſt; an quia credi ita non licet? Quod ſi ita credendum eſt, cur non ita profitendum? Aut ſi ideò nominandum non eſt, quia nec ita credendum; obtinuit Arianæ labis aſſertio .... Fruſtra times, ò homo, profiteri, quod credis: fruſtrà credis, ſi ità non profiteris; & meritò hæreticus denotaris.* Quid pulchriùs, quid acutius?

X. Ad ſecundum dico, falſum eſſe, vocem *homouſion* fuiſſe novam, neque ante Nicænum I. uſitatam. Eâ enim uſus fuit S. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 5. ubi exponens Valentinianorum placita, vocem *homouſion* uſurpat, ut ſignificet, rem eſſe ejuſdem eſſentiæ cum altera. Eâ uſus eſt Tertullianus, qui initio libri adversùs Praxeam cap. 2. expreſsè dicit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe *unius ſubſtantiæ*, quod idem eſt ac Græcè *homouſion*: Eâ quoque uſus eſt Lactantius ſupra citatus *lib.* 4. *cap.* 29. dum de Patre & Filio ait: *una utrique mens, unus Spiritus, una ſubſtantia*. Eâ uſus eſt Dionyſius Alexandrinus, ut refert Athanaſius *lib. de decret. Nicænæ Synodi*, qui dum ſeſe apud Dionyſium Rom. Pontif. purgaret, quòd nempè negaſſet Filium Patri *homouſion*, ait, hanc eſſe calumniam; & apertè Filium *homouſion* conſubſtantialem confitetur. Idem fatetur & Dionyſius Romanus. Idem confeſſum fuiſſe, & Origenem S. Athanaſius ibidem aſſerit, ex quibus concludit: *En igitur nos quidem hanc ſententiam à Patribus ad Patres tranſiſſe demonſtramus*. Quod idemmet Euſebius Cæſarienſis, quamvis Arianâ fuligine aliqualiter ſordidatus, fateri compulſus eſt: etenim in Epiſtola ad ſuos Cæſarienſes datâ, cujus meminit Socrates *lib.* 1. *hiſt. cap.* 8. dicit, ſe, & Nicænos Patres vocem *homouſion* probaſſe: *quandoquidem nonnullos ex veteribus inſignes Epiſcopos, & diſertos Scriptores in explicanda Patris ac Filii divinitate hoc vocabulo* homouſiu, *conſubſtantialis uſos eſſe cognovimus*. Falſum igitur eſt, hanc vocem *homouſion* ante Nicænum in Eccleſia novam, ac inuſitatam fuiſſe.

XI. Verum quidem eſt, in Synodo Antiochena eam fuiſſe proſcriptam; ſed in eo ſenſu, quo illâ abutebatur Paulus Samoſatenus. Abutebatur autem; vel, ut ait Hilarius *lib. de Synodis* num. 81. *quia per hanc unius eſſentiæ nuncupationem, ſolitarium, atque unicum ſibi eſſe Patrem, & Filium prædicabat*, ideſt inferens Patrem, & Filium eſſe, non ſolùm unius eſſe,

Digitized by Google

ſed etiam unius Perſonæ, qui erat error Sabellii: & idcircò vocem *homouſion* in hoc ſenſu uſurpatam Antiocheni Patres damnarunt. Vel ut vult Athanaſius *lib. de Synodis Arimin. & Seleucia*. Antiocheni Patres vocem *homouſion* proſcripſere, non quia Paulus Filium Patri conſubſtantialem prædicaret; ſed quia eâ voce, quâ Catholici utebantur, abutens, contra eos probaret, tres fore in Deo ſubſtantias, unam, quæ prior eſſet, & duas alias ab ea productas, & poſteriores. *Cum Paulus* (inquit Athan. num. 45.) *argutari vellet, ac dicere, ſi Chriſtus non ex homine Deus factus eſt; ergo conſubſtantialis eſt Patri; atque hinc neceſſe eſt tres eſſe ſubſtantias, unam priorem, duas verò ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli ſophiſma jure caventes, dixere Chriſtum non eſſe conſubſtantialem, neque enim Chriſtus ita ſe habet reſpectu Patris, qualiter ipſe cogitabat*. Cogitabat autem conſubſtantialitatem ita in Deo intelligendam eſſe, ſicut in corporeis; in quibus quæ conſubſtantialia ſunt, non unius ſubſtantiæ, ac indiviſæ ſunt, ſed diverſæ, quamvis ſimilis. Quare concludit Athanaſius: *Utraque Synodus ex legitima cauſa, hoc modo alia, alio alia loquuta eſt*.

XII. Quòd ſi quis adhuc dixerit, *idcircò improbari oportere, quia vitiosè intelligi ſoleat*.

Audiat Hilarium laudato *lib. de Synodis num.* 85. ſic reponentem: *Hoc ſi timemus, deleamus in Apoſtolo, quod dictum eſt*: mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus; *quia ad auctoritatem hæreſis ſuæ Photinus hoc utitur. Pereat quoque ad Philippenſes ſcripta Epiſtola, aut igni, aut ſpongiâ; ne in ea Marcion relegat*: & habitu inventus ut homo, *phantaſiam corporis confitens eſſe, non corpus. Non extet Evangelium Joannis; ne Sabellius diſcat*: ego, & Pater unum ſumus. Neque *iſti nunc creaturæ Prædicatores ſcriptum habeant*: Pater major me eſt. *Neque illi, qui diſſimilem Patri Filium aſſirmare volunt, legant*: de die autem, & hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlis, neque Filius, niſi Pater ſolus &c. Et infra: *non ergo gloriemur Cruce Chriſti, quia ſcandalum mundo eſt: neque in vivente Deo mortem prædicemus, ne ab impiis mortuus Deus arguatur. Malè intelligitur homouſion. Quid ad me benè intelligentem? Malè homouſion Samoſatenus confeſſus eſt: ſed nunquid melius Arii negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt: ſed trecenti & decem octo nuper receperunt*.

XIII. Ex his ad ea, quæ quarto loco opponebant, quod vox *homouſion* occaſio erat erroris, diſt. occaſio per accidens, accepta, & ex mala intelligentia orta, concedo. Occaſio per ſe, data, & ex propria ſignificatione, nego. Malè intelligitur ab Hæreticis Sacra Scriptura, eiſque occaſio erroris fit: nunquid ideò Sacra Scriptura tollenda eſt? *Malè intelligitur homouſion: quid ad me benè intelligentem?*

XIV. Sed inquies. Quæ ratio fuit damnandi vocem *Homouſion* tempore Antiocheni Concilii, eadem ſuberat illam proſcribendi, vel ſaltem de ea tacendi tempore Nicæni Concilii: eo enim tempore non pauci ſupererant Paulianiſtæ, propter quos Canon 19. à Patribus Nicænis editus eſt; qui non minùs voce *Homouſion* abuti poterant, quam eorum Antiſtes Paulus Samoſatenus. Cùm igitur imprudentia ſit vocem inſerere Symbolo, quæ hæreſim unam debellando, alteram ſuſcitet; videntur, imprudenter ſe geſſiſſe Nicæni Patres, vocem *Homouſion* Symbolo inſerentes, etſi ad hæreſim Arianam profligandam plurimùm valeret. Maximè quia voce *Homiuſion* ſatis Filii divinitas explicabatur, & aliunde vox *Homouſion* multis etiam Catholicis erat offenſioni.

XV. Reſpondeo, totam æquivocationem, quæ voci *Homouſion* ſubeſſe poterat, & ex quâ Paulianiſtæ occaſionem ſumere poterant eâ abutendi, ſublatam fuiſſe à Patribus Nicænis; qui ſenſum, in quo eam uſurpabant declararunt toto Cœlo diverſum, à

quo

Digitized by Google

quo eam uſurpaverat Samoſatenus, & in quo à Synodo Antiochena fuerat proſcripta. Quare de facto contra eam oblatrarunt quidem Ariani; ſed nullus Paulinianiſtarum eà abuſum fuiſſe poſt Nicænum legitur, ad ſuum errorem tuendum. Quod ſi eà abuſus fuiſſet, non proinde ſilentio prætereunda fuiſſet. Alioqui, ut dicebamus cum S. Hilario, multa ex Scripturis delenda, aut prætereunda eſſent; quia iis hæretici abuſi ſunt. Sic iſta vox *ingenitus* de Filio Dei juxta varium ſenſum ab aliquibus affirmata eſt; ab aliquibus negata: Affirmata quidem, & prolata ab iis, qui Catholicè Filium vocabant ingenitum, ideſt non factum: negata verò, cùm deprehenderent Filium dici ingenitum; quia ex proferentium intentione indicabatur, Filium ſui auctorem, vel principium non habere, ut Sabelliani. Videatur S. Athanaſ. lib. citato *de Synodis*.

Nec verum eſt, voce *Homiuſion* ita benè explicari Catholicam veritatem de Filii Dei divinitate, & ita Arianum errorem debellari, ſicut hàc voce *Homouſion*. Nam illa cùm explicèt ſolùm Filium eſſe ſimilem in eſſentia cum Patre, abuti poterant, & de facto abutebantur Ariani, & ſuum errorem tegebant; dicentes, Filium eſſe quidem ſimilem, at non eundem in eſſentia cum Patre; cùm, teſte Ambroſio: *aliud ſit ſimilitudo, aliud veritas. lib. de Filii divinit. cap. 2.* At iſta voce *Homouſion*, quæ exprimit veritatem, unitatem, identitatem in eſſentia, abuti non poterant: ideòque contrà illam adeò conclamabant. Porrò qui vocem *Homouſion* rejiciebant, alii erant, qui vocem quidem ob pacis ſtudium, ſive ob prætenſam æquivocationem uſurpare renuebant; ſed pium, & Catholicum ſenſum, propter quem uſurpabatur, religiosè cuſtodiebant: & hi, quia de ſola voce contendebant, ab Athanaſio, & Hilario non habentur ut hæretici. Alii verò, qui damnabant vocem *Homouſion*, nec rectum illius vocis ſenſum pati poterant, & Filium ſimilem quidem, ſed non eundem in eſſentia cum Patre aſſerebant, hi hæretici erant Ariani, vel Semi-Ariani. Quia verò illius vocis profeſſio facta erat, quaſi veræ Fidei teſſera; ideò qui eam uſurpare detrectabant, etſi catholicum ſenſum ſe profiteri proteſtarentur, aliquam tamen ſuſpicionem relinquebant, & quaſi ſcandalo Eccleſiæ erant: ideo S. Hilarius, Antiſtites *Homouſion* fateri recuſantes, ut illud profiteantur hortatur *lib. de Synodis num. 67.* his verbis: *Multi ex vobis, Fratres chariſſimi, ita unam ſubſtantiam Patris, & Filii prædicant, ut videri poſſint, non magis id piè, quàm impiè prædicare. Habet enim hoc verbum* [Homouſion] *in ſe & Fidei conſcientiam, & fraudem paratam. Oro vos, Fratres, adimite ſuſpicionem, ſecludite occaſionem.* Sed hæc ſatis.

§. III.

De geſtis poſt Nicænam Synodum.

XVI. ABſoluto Concilio Nicæno I. Arianiſmi fautores, eſto non auderent Arianum errorem palam ampliùs profiteri, illum tegere ac Verbis ſpecioſis involvere totis conatibus procurabant; à voce *Homouſion* præcipuè cavere eorum ſtudium erat. Propterea in Synodis (ſeu veriùs conventiculis) hìc illìc frequentiſſimè adunabantur, in quibus Fidei formulas ſemper variabant. Quamvis autem etiam ipſimet Conſtantino fucum ſuis artibus feciſſent, adeò ut Euſebii Nicomedienſis operâ, non adeò ſibi infenſum, ſed quaſi favorabilem, & nimis indulgentem poſt Nicænum experti ſint; ſeſe tamen eo vivente aliquatenùs continuerunt. At eo defuncto, invenientes in Conſtantio ejus Filio, & in Imperio ſucceſſore, etiam ſui erroris Patronum, in apertum contra Catholicos, & præſertim contra *Homouſianos*, eruperunt. S. Athanaſius ſcopus fuit, in quem omnia ferè ipſorum

rum jacula dirigebantur: hunc enim, tanquam murum æneum, pectore infractum, ſemper experti fuerunt. Is fuit, qui Ario indulgentiâ Conſtantini ab exilio revocato, ſeſe oppoſuit; nec Imperatoris litteris, quibus ipſi depoſitionem, & exilium minabatur, adduci potuit, ut eum in Eccleſiam Alexandrinam reciperet. Quare exaſperati Ariani anno 335. in Synodo Tyria S. Athanaſium, licèt innocentiam ſuàm circa crimina ſibi falsò aſficta, nimirùm de fracto Calice, de nece Arſenii, & de ſtupro, Sole clariùs comprobaſſet, Epiſcopatu exuerunt, & anno ſequenti, aliâ pſeudoſynodo Conſtantinopoli coactâ, novis eum calumniis onerantes, Conſtantino eorum nequitiæ ſerviente, Treviros in exilium amandarunt, & licèt pluriès reſtitutus, pluriès tamen iterùm depoſitus, ſemper invictus, ſemper infractus, Arianorum malleus fuit; operi, & calamo nunquam parcens, ut eorum nequitiam detegeret, ut ejus ſcripta teſtantur. Omnia hæc, aliaque plura, quæ, hæreſi Arianâ per totum ferè orbem graſſante, Eccleſiam Chriſti lacerarunt, ſicut, & pſeudoſynodos, quas Ariani, patrocinante Conſtantio, ſucceſſivè coegerunt, apud P. Graveſon *tom. 1. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* percurrere poterit Studioſus; meum enim eſt hic Theologum agere, non hiſtoricum.

XVII. Dum hiſce anguſtiis premeretur Eccleſia, accidit, ut inter Epiſcopos Arianos orirentur non leves in Doctrina diſſenſiones; quæ in cauſa fuerunt, cur novas identidem Fidei formulas, pro ut cuique factioni libebat, edentes, nec ſibi ipſis unquam conſtantes, in varias tandem abierint ſectas, Eunomianorum, ſeu purè Arianorum, Semi-Arianorum, & Acacianorum (de quibus ſuperiùs §. 1.) quæ mutuò inter ſe pugnantes, ultimum tandem Arianiſmo exitium pepererunt.

XVIII. Inter formulas Fidei ab Arianis editas, celebres ſunt Sirmienſes, ſeu editæ Sirmii Pannoniæ inferioris, nunc Hungariæ Urbe. Tres in hac Urbe, non quidem eodem, ſed diverſis annis, editæ perhibentur, tribus diverſis in Synodis. Prima Græcè conſcripta eſt cum anathematiſmis 27. quorum primus ſic concipitur: *Eos autem qui dicunt, de nullis extantibus Filius, vel de altera ſubſtantia, & non ex Deo, & quod erat tempus, vel ſeculum, quando non erat; alienos ſcit Sancta, & Catholica Eccleſia*. In poſtremo autem damnatur hæreſis Photini, qui negabat divinitatem Chriſti, & eum purum hominem adſtruebat, his verbis: *Si quis Chriſtum Deum Filium Dei ante ſecula ſubſiſtentem, & miniſtrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, & ex eo Chriſtum, & Filium nominatum eſſe, & initium accepiſſe, ut ſit Deus, dicat: anathema ſit*. Igitur primus Synodi Sirmienſis anathematiſmus, ſeu formula edita eſt anno 351. quam latinè reddidit S. Hilarius *libro de Synodis, columm. 1175. &c.* & ut Catholicam approbat: ac reverà ita eſt, ſi in ſe ſpectetur, nec ullus ad ejus Auctores reſpectus habeatur. Et proindè S. Hilarius *lib. de Synodis* eam commendat, ut Catholicam. Alter contrà Photinum anathematiſmus ſuſpectus redditur ex illa voce *miniſtrantem Patri &c.* Eſto enim ab aliquibus Patribus, maximè ante Nicænum, Filius Dei dictus fuerit, *Patris adminiſter*, ut ſuperiùs diximus; eorum tamen ſana fides de Filii divinitate aliundè nota erat: At à Semi-Arianis, non poteſt, quin æquivocatione ſuâ ingerat ſuſpicionem. Quomodocumque ſit, neuter ex præfatis anathematiſmis Arianum exprimit errorem.

XIX. Secunda Sirmienſis formula apud Sirmium à Semi-Arianis edita fuit anno 357. non quidem in Synodo, ſed in paucorum Epiſcoporum Conventu habito eodem anno. Hi enim, nempe *Valens*, *Urſacius*, *Germinius*, & alii, rejectis, quæ in Synodo ſtatuta fuerant (inquit D. Athanaſius lib.

lib. de Synodis column. 744. nu. 28.) *Quaſi præſtantiora excogitaſſent, Fidei doctrinam, formulamque ſtatuunt, & hæc Sirmii Latinè ſcribunt, quæ Græcè tranſlata ſunt.* In ea autem ſic ſtatuunt: *De ſubſtantia, quæ Græcè Uſia appellatur, ideſt* [*ut expreſsiùs intelligatur*] homouſion, *aut quod dicitur* homæuſion, *nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quenquam prædicare... Nulla ambiguitas eſt, majorem eſſe Patrem. Nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, majeſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe Filio, ipſo teſtante:* Qui me miſit Pater, major me eſt. *Et hoc Catholicum eſſe, nemo ignorat, duas Perſonas eſſe Patris & Filii. Majorem Patrem, Filium ſubjectum cum omnibus his, quæ ipſi Pater ſubjecit.* Hanc ſecundam Sirmienſem formulam planè hæreticam eſſe, & Arianam blaſphemiam continere, nemo non videt. Quapropter ſic eam inſcribit S. Hilarius lib. de Synodis: *Exemplum Blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcripta.*

XX. Verùm Semi-Arianorum mentes, erroris vento circumferente (ſecundâ formulâ rejectâ) tertia condita eſt Sirmii quidem, non in Synodo, ſed in paucorum Epiſcoporum conventu anno 359. & ad Concilium Ariminenſe à ſuis auctoribus perlata, ut tanquam Fidei regula acceptaretur. In ea, referente S. Atanaſio *lib. de Synod. col.* 721. fatebantur, Filium *natum unigenitum, ſolum ex ſolo Patre, Deum de Deo, ſimilem Patri ſuo, qui eum genuit.... cujus generationem nemo novit, niſi ſolus qui ipſum genuit, Pater.* Et inferiùs: *nomen autem ſubſtantiæ, quod ſimpliciùs à Patribus poſitum, à populiſque minimè intellectum offenſionis cauſa ſit: quod etiam in Scripturis non contineatur, de medio tolli, & nullam omnino ſubſtantiæ mentionem in Deo deinceps faciendam eſſe placuit... Patri autem Filium ſecundùm omnia ſimilem dicimus.* Quâ perlectâ, auctorum vaſrities deprehenſa eſt, ſubdit S. Athanaſius: *Epiſcopis enim* (qui Ariminenſi Synodo aderant) *proponentibus, ut Ariana cum aliis hæreſibus anathemate damnaretur, acquieſcentibus omnibus, abnuerunt Urſacius, & Valens cum ſociis: atque demùm compertum eſt, illos non ſincero ea ſcripſiſſe animo, ſed ut ea, quæ Niceæ acta fuerant abrogarent, eorumque loco nefariam inducerent hæreſim.*

His ergo ſuppoſitis, in quæſtionem verti ſolent: an præfatis Sirmienſibus formulis ſubſcipſerint duo viri aliàs Arianorum hoſtes infenſiſſimi, nimirùm Oſius Cordubæ in Hiſpania Epiſcopus; & Liberius Romanus Pontifex. Rursùs: cui ex illis ſubſcripſerint: an primæ ſenſum Catholicum præferenti; an ſecundæ, aut tertiæ hæreticum ſenſum continentibus?

§. IV.

De aſſerto Oſii, & Liberii lapſu.

XXI. Oſius Cordubenſis Epiſcopus, qui Synodo Nicænæ, ut Legatus Silveſtri Romani Pontificis præfuit; qui unà cùm Legatis ejuſdem Rom. Pontificis in Sardicenſi primas partes geſſit; qui Concilio Gangrenſi, aut præfuit, aut ſaltem interfuit; qui demùm tanta pro fide Catholica adversùs Arianos infracto pectore patraverat, ut ab Arianis in Pſeudo-Synodo eorum Sardicenſi unà cum Athanaſio, Marcello, & Julio Papâ anathemate damnatus ſit; neſcio quo fato, nonagenarius (vel centenarius, ut Athanaſio placet) uni ex Sirmienſibus Arianorum præfatis formulis ſubſcripſiſſe perhibetur, & hoc facto ſenectutem ſuam fœdaſſe. Hoc apud Hiſtoricos, ut certum habetur: cui verò ex illis ſubſcripſerit, an primæ, an ſecundæ in quæſtionem vocatur.

XXII. Liberius item, qui in Romana Sede Julio I. ſucceſſit anno 352. qui ab Imperatore Conſtantio Ariano ſolicitatus ad damnationem Athanaſii, & ſi-

& fidei Nicænæ, exilium, ni faceret, comminanſe, illas cedro dignas voces reſpondiſſe refertur à Theodoreto lib. 2. hiſt. cap. 15. *Leges Eccleſiaſticas obſervare pluris faciendum cenſeo, quàm Romæ domicilium habere*, quapropter in exilium Beræam Thraciæ amandatus eſt. Is, inquam, vix in exilio biennium tranſegerat, cùm tædio victus, ac impotenti deſiderio recuperandæ Sedis æſtuans, oblatæ ſibi ab Arianis Sirmienſi formulæ, ac ſimul (fractâ penitùs conſtantiâ, ſuiquemet oblitus) Athanaſii damnationi ſubſcripſit. Cui verò Sirmienſium formularum ſubſcripſerit, dubium eſt.

XXIII. Dico primò. Probabilius eſt, Oſium Cordubenſem Epiſcopum Arianæ impietati in ſecunda formula Sirmienſi, ut ſupra exaratæ, vi compulſum manu ſaltem ſubſcripſiſſe: factum tamen, ante mortem retractaſſe, omnemque erroris ſuſpicionem abſterſiſſe. Duas habet partes hoc aſſertum.

Prima probatur ex S. Hilario *libro de Synodis*, ubi ſecundam Sirmienſem formulam ſic inſcribit: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcriptæ*. Et eodem libro circa finem exhortans ad non tacendum de *Homouſio*, vel de *Homæuſio*: *oro vos* (inquit) *ne quiſquam alius ex his, præter ſenem Oſium, & ipſum illum nimium ſui ſepulchri amantem, reperiatur, qui tacendum exiſtimet de utroque*. Formula autem, quâ decretum erat, tacendum eſſe de *Homouſio*, & de *Homæuſio* fuit ſecunda Sirmienſis, ut oſtendi; ergo ſentit Hilarius, iſti Oſium ſubſcripſiſſe.

XXIV. Secundò. Hoc idem ſuadet Auctoritas S. Athanaſii *Epiſt. ad Solitarios*, ſeu *Monachos*, qui Oſii lapſum referens, ait, quòd Conſtantius, Oſii *Neque ſenectutem (centenarius quippe erat) veneratus.... Tantam ſeni vim intulit, tandiùque illum detinuit, ut malis oppreſſus, vix tandem cum Valente, & Urſacio communicaret; neque tamen ſubſcriberet contra Athanaſium. Sed eam rem minimè neglexit ſenex; inſtante quippe morte vim ſibi illatam, quaſi teſtamento declaravit; Arianamque, hæreſim feriit anathemate, vetuitque, ne quis illam reciperet*. Quibus & Oſii culpam, & reſipiſcentiam deſcribit.

XXV. Tertiò accedit teſtimonium Socratis, qui hoc factum referens lib. 2. hiſt. cap. 31. ait: *Tunc verò ſtudio atque impulſu eorum, qui Sirmium convenerant, Imperator* (Conſtantius) *illuc eum* (Oſium) *evocavit, volens, ut vel ſponte, vel coactus cum Epiſcopis, qui aderant conſentiret. Hoc enim facto illorum fidei maximum teſtimonium videbatur accedere. Hanc igitur ob cauſam neceſſitate compulſus, ut dixi, adfuit invitus. Sed cùm ille conſentire renueret, verbera, & tormenta inflixerunt Seni. Itaque vi, & neceſſitate adactus, editis tum fidei expoſitionibus conſenſit, atque ſubſcripſit*.

XXVI. Secunda verò pars, nempe, quòd poſtea errorem retractaverit, conſtat, tùm ex dicto S. Athanaſii mox laudato, qui proinde, eo jam defuncto, ſemper honorificè, ut de viro Sancto loquitur; quod certè non faceret, ſi eum in hæreſi mortuum crediddiſſet. Tùm etiam ex facto comprobatur: cùm enim Oſius formulæ Sirmienſi vi, ac metu adactus conſenſerit, ſtatim credibile fit, quòd libertati reſtitutus, conſenſum præſtitum ejuraverit.

XXVII. Neque refert, quòd Fauſtinus, & Marcellus in libello, quem Theodoſio Imperatori porrexerunt, afferant, Gregorium Illiberitanum Epiſcopum noluiſſe cum Oſio ab exilio revertente communicare, & Oſium ob id Gregorii depoſitionem tentaſſe; at tentatam, cùm vellet exequi, capite & ore diſtortis, in terram è ſede ſua (Deo vindice) dejectum, atque eliſum, repentè occubuiſſe. Cui narrationi ſuffragatur S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. de viris Illuſtribus cap.* 14.

Non inquam refert. Nam nec Fauſtinus, & Marcellinus teſtes ſunt, qui fidem mereantur. Tùm quia Presbyteri

teri Luciferiani erant, ſummoque odio accenſi in Oſium, alioſque Epiſcopos, qui in Conſtantii perſecutione lapſi erant; adeò ut cum ipſis communionem inire noluerint, & maluerint ab Eccleſia nefario Schiſmate dividi, quàm cum eis reconciliari. Tum quia libellus Theodoſio ab illis oblatus convitiis refertus eſt, nedum contra Oſium, ſed & contra Athanaſium ipſum. Cùm ergo S. Athanaſius, ut vidimus, Oſii retractationem teſtetur, plus iſti credendum eſt, quàm viris Schiſmaticis: eò vel maximè, quòd Oſii infelicem obitum, ſi verus fuiſſet, S. Athanaſius non ſiluiſſet; cùm hoc non leve argumentum contrà Arianos ei ſubminiſtraſſet.

Liber autem ille *de Viris Illuſtribus* S. Iſidori Hiſpalenſis ſætus non eſt; ejus enim non meminit S. Ildefonſus, qui in libro de *Viris Illuſtribus* omnia ejus opera recenſet. Ex lacunis ergo Luciferianis extractus eſt cum ſua fabula liber ille.

XXIX. Dico ſecundo. Liberius Pont. Rom. non ſubſcripſit ſecundæ formulæ Sirmienſi, ſed primæ. Probatur primò. Formula, cui ſubſcripſit Liberius, quamque ad ipſum detulit Demophilus (teſte S. Hilario *fragmento 6.*) fuit conſcripta à Narciſſo, Theodoro, Baſilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano, Urſacio, Valente, Evagrio, Hyrenio, Exuperantio, Terentiano, Baſſo, Gaudentio, Macedonio. Martho, Actico, Julio, Surino, Simplicio, & Juniore, qui numero 22. ſunt: atqui (teſte eodem S. Hilario, *lib. de Synodis num. 11.*) ſecunda Sirmienſis formula edita anno 357. quam ipſe vocat *exemplum blaſphemiæ apud Sirmium*, fuit conſcripta à ſolis quinque, nimirùm Oſio, & Potamio, Valentè, Urſacio, & Germinio; ergo formula, cui ſubſcripſit Liberius, non fuit ſecunda, quæ à paucis edita fuit, ſed prima edita in plena Synodo anno 351. Accedit, quòd inter ſupra numeratos auctores formulæ à Liberio acceptatæ, non recenſentur nec Germinius, nec Oſius, nec Potamius, qui tamen à S. Hilario inter Auctores ſecundæ formulæ recenſentur.

XXX. Secundò probatur. Liberius ſtatim ac formulæ ſubſcripſit, litteris ad eos datis, certiores fecit Orientales, dicens: *Fidem veſtram, & Catholicam... quæ Sirmio à pluribus Fratribus, & Coepiſcopis noſtris tractata, expoſita, & ſuſcepta eſt... libenti animo ſuſcepi*: at ſi ſuſcepiſſet ſecundam formulam, apud Orientales dicere non potuiſſet ſuſcepi *fidem veſtram*; nam ſecunda à ſolis Occidentalibus, Urſacio, Valente, Germinio, Potamio, & Oſio expoſita eſt, ut dixi, ac proinde non poterat Orientalibus dici *fides veſtra*. Multò minus illis poterat dici *Catholica*, quæ vix Sirmium egreſſa eſt, cùm eam omnes Orientales, etiam Semi-Ariani averſati ſint: unde in Synodo ipſorum Ancyrano, anno 358. octodecim anathematiſmos ei planè contrarios ediderunt, ex quibus duodecim S. Hilarius *lib. de Synodis* recenſet, quos ad Conſtantium Sirmii tunc morantem tranſmiſerunt, qui propterea ſecundam Sirmienſem formulam ſolemni edicto reprobavit: ac ea occaſione Marchus Arethuſius, qui cum aliquot Epiſcopis tunc erat in comitatu, tertiam illam formulam Sirmienſem dictavit, quam ſuperiùs indicavimus. Minùs etiam dicere poterat Liberius, fidem, quam ſuſceperat fuiſſe Sirmii expoſitam à *pluribus fratribus & Coepiſcopis*; cùm, ut ſuperiùs obſervatum eſt, ſecunda formula à ſolis quinque fuerit exarata, inter quos, cùm non fuiſſet Demophilus, neque dicere potuiſſet, eam ſibi fuiſſe oblatam à Demophilo.

XXXI. Tertiò. Hucuſque dicta confirmat Sozomenus *lib. 4. hiſt. cap. 15.* ubi factum hoc narrans ait, quòd, cum Conſtantius Liberium Beræâ ad ſe accerſiſſet, cæpit eum *compellere, ut Filium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteretur. Inſtabant, & Imperatorem ad hoc impellebant, Baſilius, Euſtathius.... Qui cùm ea, quæ contrà*

trà Paulum Samoſatenſem, & contrà Photinum Epiſcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochenſis Baſilicæ editam in unum tunc Libellum conjeciſſent ... effecerunt, ut Liberius, & Athanaſius &c. ei formulæ conſentirent .... Sed & confeſſionem à Liberio viciſſim ſuſceperunt, quâ eos, qui Filium ſecundùm ſubſtantiam & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſererent, alienos ab Eccleſia pronunciabat. Deinde ſubdit, quòd hiſce confectis *Imperator Romam redeundi poteſtatem Liberio conceſſit*. Ex his dico ſic. Liberius, Conſtantio, & Semi-Arianis impellentibus, eam formulam Sirmii approbavit, cui Berææ ſibi à Demophilo oblatæ ſubſcripſerat; nec enim credibile eſt oppoſitum, cùm Conſtantius Liberium Sirmium ad ſe accerſiverit, ut eam, quam Beræœ ſuſceperat fidem, coram confirmaret: atqui fides, quam Sirmii confirmavit, & ob quam Romam remiſſus fuit, non fuit contenta in ſecunda Sirmienſi formula, ſed in prima: fuit enim illa, quæ edita fuerat anno 351. contrà Photinum, & an. 341. in Synodo Antiochena; in quibus, & ſi nihil ſit de conſubſtantialitate Filii, aſſeritur tamen ſimilis Patri per omnia. Rurſus: fides, quam Liberius probavit Sirmii, anathema dicit ei, qui Filium ſecundùm ſubſtantiam per omnia Patri ſimilem non aſſereret, quòd eſt directè ſecundæ formulæ Sirmienſi contrarium; ergo evidens eſt, formulam, cui Liberius ſubſcripſit, & quam Sirmii Liberius probavit, non fuiſſe Sirmienſem ſecundam, ſed primam.

XXXII. Sed dices primò. Illi formulæ Liberius ſubſcripſit, quâ ſperabat, ſe ab exilio revocandum, ac ſuæ Sedi reſtituendum fore, ſicut de facto fuit revocatus, & reſtitutus: atqui hoc ſperare non poterat, niſi ſubſcriberet ſecundæ formulæ, quæ ſenſum Arianum exprimebat; ergo &c.

Retorqueo inſtantiam. Ubi Liberius Berææ exul formulæ fidei ſubſcripſit à Demophilo ſibi oblatæ, non eſt propterea ab exilio revocatus; ſed oportuit, ut ſuis litteris rogaret Orientales, & Occidentales, ad hoc, ut ei apud Imperatorem reditum ad ſuam Eccleſiam intercederent, quæ leguntur apud D. Hilar. *in fragmento 6.* & rurſus oportuit, ut Sirmii coram Imperatore ſe ſiſteret, & iterum confeſſionem fidei repeteret, ut ex Sozomeno vidimus: atqui ſi ſecundam formulam Sirmienſem planè Arianam probaſſet, hæc omnia ſtatim conſecutus fuiſſet: nihil enim ampliùs erat Conſtantio, & Arianis à Liberio expetendum; ergo non ſubſcripit ſecundæ formulæ Sirmienſi Liberius.

XXXIII. Reſpondeo igitur, negando min. neque enim Conſtantius, neque Semi-Ariani, quibus impensè ſavebat, à Liberio expetebant, ut ſecundæ Sirmienſi formulæ neganti æquè *homouſion* ac *homœuſion*, & propterea errorem Anomæorum continenti ſubſcriberet: vix enim edita, & ab Orientalibus audita formula illa, eis cæpit diſplicere; adeò ut (referente Socrate *lib. 2. Hiſt. cap. 30.*) Imperiali edicto quotquot reperiri potuerunt ejus exemplaria recepta fuerint, ac ſuppreſſa. Solùm ergo, & Conſtantius, & Semi-Ariani à Liberio extorquere conabantur, ut *homouſio* & cum Athanaſio communioni renunciaret: unde cùm utrumque obtinuiſſent, primæ formulæ ſubſcriptione, & apertâ Athanaſii damnatione, Liberium dimiſerunt.

XXXIV. Dices ſecundò. Formulam, cui ſubſcripſit Liberius, *libro fragmentorum* vocat S. Hilarius *perfidiam Arianorum;* & ob eandem, ei anathema dicit ter Hilarius: *Anathema* (inquit) *tibi à me dictum, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævaricator Liberi*: Atqui S. Hilarius, nec vocaſſet Arianam perfidiam, nec anathema dixiſſet Liberio, ſi primæ formulæ Sirmienſi ſubſcripſiſſet, hanc enim lib. de Synodis tanquam Catholicam admittit, & exponit; ergo &c.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. Reſpondeo primò, non eſſe inveriſimile, verba illa, quibus Liberii ad Orientales Epiſtola apud Hilarium intercipitur, & quadam parenteſi ab aliis ſecernuntur, non eſſe reverà S. Hilarii, ſed irreptitia. Cùm enim Liberius vix ab Arianis elapſus, ac libertati reſtitutus, priſtinæ ignaviæ labem deleviſſet, ſuæque conſtantiæ in tuenda Nicæna fide toti Orbi teſtimonium dederit; maximè adversùs Ariminenſe conciliabulum, quod nullis artibus adduci potuit, ut confirmaret, ut teſtatur Damaſus in Epiſt. *ad Illyrici Epiſcopos* apud Theodoretum *lib. 2. hiſt. cap.* 22 nimium iniquus videretur in Liberium S. Hilarius, ſi ipſi anathema velut Apoſtatæ, & prævaricatori dixiſſet in libro Fragmentorum, quem poſt Ariminenſe Concilium ſcripſit.

Hanc ſuſpicionem magis firmo: quia in eodem fragmentorum libro, *fragment.* 4. affertur quædam Epiſtola Liberii nomine ad Orientales data ante exilium, in qua ſcribit, ſe communione ſuâ privaſſe S. Athanaſium; quam Epiſtolam S. Hilarius ornat hoc elogio: *Quid in his litteris non Sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens eſt?* Certum autem eſt, Liberium ante exilium Athanaſium non damnaſſe; imò quia Athanaſium damnare noluit fuiſſe ex parte exilii ſui cauſam. Certum quoque illud elogium Hilarii non eſſe. Sicut ergo credibile eſt, Epiſtolam illam ab Arianis confictam eſſe, & elogium Epiſtolæ plaudens; ita credibile eſt, verba illa Hilarii dicentis Anathema Liberio, non eſſe Hilarii, ſed in librum fragmentorum intruſa.

XXXVI. Reſpondeo ſecundò, negando min. cùm enim S. Hilarius fidei Nicænæ adeò adhæreret, ut omnem aliam Orientalium fidem poſtea editam reprobaret, unde *lib. contrà Conſtantium: Quidquid* (inquit) *apud te præter fidem unam eſt, perfidia, non fides eſt;* conſequens eſt, eum, etiam primam Sirmienſem formulam, quæ præter Nicænam erat, *perfidiam* vocare potuiſſe. Eſto autem eam laudaverit, ut ab Arianis conditam, potuit tamen eam carpere, ac reprehendere ut à Liberio firmatam. Etenim ſicut illi digni ſunt laude, qui à malo ad bonum ſenſim accedunt; ita qui à bono deficiunt, meritò vituperandi ſunt. Porrò Orientalibus, qui Filium ex nihilo, & intra tempus extitiſſe priùs aſſerebant, poſtea à Sirmienſi fide Ancyranis decretis illuſtratâ, eundem ante tempora, & ex Dei ſubſtantia prodiiſſe, confiteri, ad veram fidem proficere, & quodammodo Catholicos evadere fuit, ac proinde laude dignum. E contrà Liberio, qui Sirmienſis fidei confeſſione, etſi errorem non profiteretur, Sanctam tamen conſubſtantialis fidem ſuppreſſit, à vera fide deficere quodammodo fuit, & hæreticæ perfidiæ adulando, à vera fide prævaricare videri poterat; eò vel maximè, quia cum Sirmienſis fidei confeſſione Athanaſii damnationem conjungebat, cujus cauſa cum fidei cauſa tunc temporis connexa eſſe videbatur: & eò magis, quia poſt ſuſceptam fidem, cujus Auctores hæretici erant, cum eis communionem apertè profiteretur. Qui autem cum hæreticis communicat, & credendi legem ab ipſis pravo ſenſu conditam, licèt ſano intellectu ſuſcipit, Catholicus quidem fide, & interiori conſcientiâ eſſe poteſt; ſuſpicione tamen & rumore publico, ut hæreticus haberi poteſt: & in hoc ſenſu loquebatur Hilarius.

In hoc ſenſu quoque locutus eſt S. Hieronymus, dum *de viris Illuſtribus cap.* 97. de Fortunatiano Aquilenſi hæc ſcribit: *In hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanæ Urbis Epiſcopum pro fide ad exilium pergentem primus ſolicitavit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit.* Et in Chronico: *Liberius* (inquit) *tædio victus exilii in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit.* Hæreſi enim ſubſcripſiſſe dicit Liberium, non quia formulæ in ſe hære-

ſim continenti ſubſcripſerit; ſed quia formulæ ab hæreticis editæ, hæreticis inſtigantibus ſubſcripſit, & cum eis Athanaſio damnato, pro quo cauſa fidei ſtare videbatur, cum hæreticis palàm communicabat: quo peccavit peccato ſcandali, maximè cùm eſſet ſupremus Paſtor, atque in eum omnium oculi eſſent intenti.

XXXVII. Non eſſe autem mirandum, ſi S. Hilarius, Hieronymus, & alii Liberium, ut anathema, ut Apoſtatam, ut prævaricatorem, & hæreticum (quamvis reverà non fuerit) damnaverint, eo tempore, quo omnia confuſione, omnia ſuſpicione plena erant, teſtatur idem S. Hilarius in libello, quem obtulit Imperatori Conſtantio, dicens: *Conſcii nobis invicem ſumus, poſt Nicæni conventus Synodum nihil aliud, quàm Fidem ſcribi. Dùm in verbis pugna eſt, dùm de novitatibus quæſtio eſt, dùm de ambiguis occaſio eſt, dùm de auctoribus querela eſt, dùm de ſtudiis certamen eſt, dùm in conſenſu difficultas eſt, dùm alter alteri anathema eſſe cæpit: propè jam nemo Chriſti eſt. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: & aut dùm docemus, perturbamus, aut dùm docemur, erramus. Jam verò proximi anni fides, quid jam de immutatione in ſe habet? Primùm quæ homouſion decernit taceri: ſequens rurſum, quæ homouſion decernit, & prædicat: tertium deinceps, quæ Uſiam ſimpliciter à Patribus præſumtam per indulgentiam excuſat: poſtremum quartum, quæ non excuſat, ſed condemnat. Et quò tandem proceſſum eſt, ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, Sanctum exinde aliquid, atque inviolabile perſeveret &c.* Et inferiùs: *Annuas, atque menſtruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defenſos anathematizamus, aut in noſtris aliena, aut in alienis noſtra damnamus, & mordentes invicem, jam abſumti ſumus ab invicem. Fides deinde quæritur: quaſi fides nulla ſit. Fides ſcribenda eſt: quaſi in corde non ſit &c.* His, aliiſque lugendum Eccleſiæ ſui temporis ſtatum Conſtantio exponebat Hilarius, anno 360. in libello ipſi oblato, dùm Conſtantinopoli verſaretur, ut extremum imminens fidei periculum averteret. Quid ergo mirum (iterum dicam) ſi in tanta exundantis Eccleſiæ tempeſtate, Liberius quoque notâ hereſis, quam revera non ſubierat, à pluribus inureretur?

DUBIUM IV.

De Divinitate Spiritus Sancti.

§. I.

Hæreſis Macedoniana.

I. Dimiſſis Arianis, contra quos multum quidem, non tamen plus æquo, hactenùs contendimus, tranſimus ad Macedonianos. Quamvis enim ex Arii principiis ſequeretur, Spiritum Sanctum, ſicut & Filium, non eſſe Deum; cùm tamen id Arius apertè non protulerit; nec Alexandrina Synodus, nec Nicæna prima, in quibus ſolemniter damnatus eſt, hujus hæreſeos meminere. Quod tamen apertè Arius non docuerat, palàm deinceps aſſeruerunt ejus diſcipuli. Primò Aetius, & illius Auditor Eunomius, de quibus S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 54. *Aetiani* (inquit) *ab Aetio ſunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio Aetii diſcipulo, quo nomine magis innotuerunt; Eunomius quippe in Dialectica prævalens, acutiùs, & celebriùs defendit hanc hæreſim, diſſimilem per omnia Patri aſſerens Filium, & Filio Spiritum Sanctum.* Id quoque Ariani omnes, & etiam Semi-Ariani, qui Filium, ſimilis quidem ſubſtantiæ, non tamen ejuſdem aſſerebant, apertè tuebantur.

II. Qui verò hunc errorem apertiùs evulgavit, ac fecit ſuum, fuit Macedonius Arianarum partium ſectator, ex Concilio Tyrio Arianorum anno 335. contrà S. Athanaſium congregato, ad

Con-

Conſtantinum Imperatorem Legatus. Is à Sede Conſtantinopolitana Paulo viro Catholico deturbato, ab Arianis in ejus locum intruſus fuit, Ariano Antiſtiti, Ariano Imperatore Conſtantio favente. Sed cùm auſus fuiſſet, eo inconſulto, & magnâ populi multitudine reluctante, Cadaver Conſtantini ex Apoſtolorum Baſilica in aliam transferre, ob quod, ſeditione factâ, multæ cædes ſecutæ fuerunt; indignatus Imperator Conſtantius, eum in Conciliabulo Conſtantinopolitano deponi juſſit anno 359. ut refert Socrates *lib. 2. hiſt. cap.* 30. & 33. ei ſuffecto Eudoxio Antiocheno, viro ſimiliter Ariano.

III. Statim ac Epiſcopatu abdicatus fuit Macedonius, novam hæreſim ſpargere cæpit; nimirùm, Spiritum Sanctum non ejuſdem cum Patre, & Filio honoris participem, ſed utriuſque eſſe miniſtrum, & creaturam. Hinc hujus hæreſis ſectatores à Græcis *Pneumatomachi*, ideſt Spiritus Sancti impugnatores, appellati ſunt. Contigit hoc circa anno 360. Hæreſis tamen hæc, vix nata, damnata primò fuit in Synodo Alexandrina, poſt reditum S. Athanaſii celebratâ anno 362. Deinde in Synodo Illyrici anno 367. Tertiò in Synodo Romana ſub Damaſo paulò poſt convocatâ. Quartò in altera Synodo Romana ſub eodem Damaſo; de quibus Theodoretus *lib. 2. hiſt. cap.* 22. & *lib.* 5. *cap.* 11. Tandem in Synodo Æcumenica ſecunda, quę fuit Conſtantinopolitana prima anno 381. Damaſi Pontif. 15. Imperantibus Valentiniano, ac Theodoſio Magno, & Gratiano, *Kalendis Maii*.

Nedum autem Concilia Macedonio, ejuſque errori anathema dixerunt, ſed & Patres illius ſeculi adversùs ipſum calamum ſtrinxere. Primò Invictus Trinitatis aſſertor S. Athanaſius *epiſt. ad Serapionem*. Deinde S. Epiphanius *hæreſi* 74. Tertiò S. Baſilius *lib. ad Amphilochium* Iconii Epiſcopum. Scripſit quoque S. Gregorius Nyſſenus *lib. de SS. Trinitate, & contrà adverſarios Spiritus Sancti ad Euſtathium*. Sanctus denique Ambroſius *tribus libris de Spiritu Sancto* Gratiano Auguſto nuncupatis.

IV. Eſto autem Macedonius, utpote primò Arianus, malè ſenſerit de Divinitate, nedum Spiritus Sancti, ſed etiam Filii; Macedoniani tamen (ſaltem non omnes) de Filii divinitate malè non ſenſerunt. Ita S. Auguſtinus *libro de hæreſibus cap.* 52. ubi ait: *Macedoniani ſunt à Macedonio, quos &* Pneumatomachos *Græci dicunt; eò quòd de Spiritu Sancto litigent. Nam de Patre, & Filio rectè ſentiunt, quòd unius ſint, ejuſdemque ſubſtantiæ, vel eſſentiæ: ſed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes. Hos potiùs quidam Semi-Arianos vocant, quòd in hac quæſtione ex parte cum illis ſint, ex parte nobiſcum.* Unde *lib. 2. contra Maximinum cap.* 23. Arianos ſic coarguit: *Quapropter ſi Macedoniani hæretici eſſetis, qui de ſolo Spiritu Sancto Catholicæ Fidei conſentire detrectant, Patrem verò, & Filium duos quidem eſſe, ideſt illum Patrem, illum Filium, & æquales eſſe, atque unius, ejuſdemque ſubſtantiæ, nec tamen duos Dominos Deos, ſed ambos ſimul unum Dominum Deum eſſe conſentiunt: Si ergo & vos ſaltem hactenus erraretis, non utique his divinis vocibus urgeremini. Patrem quippe, & Filium aſſereretis unum Dominum Deum dixiſſe, non eſt alius præter me.* Ita S. Auguſtinus. Catholicam ergo veritatem etiam de Spiritu Sancto contra iſtos ſtatuamus.

§. II.

Spiritus Sancti Divinitas ex Scripturis.

V. Dico. Spiritum Sanctum verum Deum eſſe Scripturæ teſtantur. Probatur. Scriptura Spiritui Sancto tribuit abſolutè nomen Dei, & inſuper ea, quæ ſolius Dei propria ſunt; ergo &c.

Antecedens pro prima parte probatur.

Digitized by Google

tur. Spiritus Sanctus dicitur Deus *act.* 5. *v.* 3. & 4. ubi S. Petrus increpans Ananiam, eò quòd mentitus eſſet Spiritui Sancto, rationem reddit dicens: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Hoc textu ad probandum Spiritum Sanctum eſſe Deum utuntur Baſilius *lib.* 5. *contrà Eunom.* Et *lib. de Spiritu Sancto cap.* 16. Nazianzenus *orat.* 37. S. Ambroſ. *lib.* 1. *de Spirit. Sanct. cap.* 4. Et *lib.* 3. *cap.* 10. Et alii. Unde S. Auguſt. *lib.* 2. *contra Maximin. cap.* 21. ait poſt relata verba: *Atque oſtendent Deum eſſe Spiritum Sanctum, non es, inquit, hominibus mentitus, ſed Deo.*

VI. Rursùs: *Dominus Deus exercituum*, qui Iſaiæ 6. v. 9. dicitur locutus: *Audite audientes, & nolite intelligere:* accipitur à Paulo (act. 28. v. 25. 26.) pro Spiritu Sancto: *Quia benè Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: Vade ad Populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* Idem ergo eſt ex Paulo Dominus Deus exercituum, ac Spiritus Sanctus. Videatur S. Gregorius Nyſſenus *lib.* 1. *contrà Eunom.* S. Baſilius *lib.* 5. *contra eundem*: ubi conſiderans, quòd eadem verba, quæ locutus eſt *Dominus Deus exercituum*, ab Iſaia applicantur Patri; à Joanne Evangeliſta *cap.* 12. *v.* 40. Filio, à Paulo verò Spiritui Sancto, pulcherrimè, ait: *Propheta inducit Patris, in quem Judæi credebant, Perſonam: Evangeliſta, Filii: Paulus, Spiritus, illum ipſum qui viſus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem quem de hypoſtaſi inſtituerunt, diſtinxere, indiſtinctâ manente in eis de uno Deo ſententiâ.*

VII. Tertiò. Idem Apoſtolus 1. *Cor.* 12. percenſens Spiritus Sancti dona, ea promiſcuè Deo, ac Spiritui Sancto velut Auctori tribuit: *diviſiones verò* (inquit v. 4.) *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Et *verſ.* 6. *diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quibus ſigillatim commemoratis, ità concludit v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, pro ut vult. Docens* (ait D. Athanaſ. lib. de Trinitate & Spiritu Sancto) *operationem Dei eſſe Spiritus Sancti.* Et *lib. de Incarnatione, & contrà Arianos* ait: & *Poſtquam dixit, Patrem operari omnia in omnibus, paucis interjectis, ait: Spiritum Sanctum operari omnia in omnibus.* Videri poteſt idem S. Doct. *Epiſt.* 1. *ad Serapionem:* ubi allato etiam Pauli dicto 2. cor. 13. v. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*, ſubdit: *Ex his igitur una Trinitatis efficientia eſſe oſtenditur. Nec enim diverſa, & diviſa dari à ſingulis ſignificat Apoſtolus, ſed ea, quæ dantur, in Trinitate dari, omniaque ex uno Deo eſſe &c.*

VIII. Quartò. Hoc probant Chriſti Verba *Joann.* 15. *v.* 26. vocantis Spiritum Sanctum *Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit.* Sicut ergo Macedoniani Filium Deum eſſe non negabant, ejuſdemque naturæ cum Patre fatebantur, quia ex Deo procedit; cur etiam ejuſdem ſubſtantiæ non erit cum Patre Spiritus veritatis, qui à Patre procedit? Si Verbum Dei Deus eſt, cur Spiritus Dei Deus non eſt? *Sicut creata dici non poteſt ſapientia, quæ ex ore Dei procedit, nec Verbum, quod eructatur ex corde.... ita etiam creatus non poteſt Spiritus æſtimari, qui ex ore Dei funditur.* Ita S. Ambroſ. *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 7. & Paſchaſius *lib.* 1. *de Spiritu Sancto cap.* 12. notat, Chriſtum non dixiſſe: *Qui à Patre creatus eſt; ſed à Patre procedit, ideſt de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ.*

IX. Secunda verò pars antecedentis, quòd Spiritui Sancto conveniant ea, quæ ſolius Dei ſunt propria, probatur primò. Quia Templum habere ſolius Dei eſt: at Spiritus Sanctus habet templum; nam 1. *cor.* 3. *v.* 16. fideles Templum Spiritus Sancti dicuntur:

tur: *neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et ſubinde *cap. 6. v. 19. An neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* Ex quibus S. Athanaſius *Epiſt. 1. ad Serapionem* ſic arguit: *ſed ſi Spiritus Sanctus res creata eſſet: nulla ſanè Dei communicatio nobis in ipſo eſſet, ſed rei creatæ conjungeremur*; ergo ſi dùm Spiritus Sanctus habitat in nobis, Templùm non ſolius Spiritus Sancti, ſed Dei dicimur; & cùm Deo conjungimur, idem eſt Spiritui Sancto conjungi, ac conjungi Deo, eſſeque Templum, in quo habitat Deus.

Sanctus autem Auguſt. (*Collatione cum Maximin. Arian.* circa medium) obſervans, nos dici à Paulo Templum, non ſolùm Dei, ſed etiam Spiritus Sancti, ait: *Si Deus Spiritus Sanctus non eſſet, Templum utique nos ipſos non haberet .... Nonne ſi Templum alicui Sancto Angelo excellentiſſimo de lignis, & lapidibus faceremus, anathemaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei; quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantùm debetur Deo; Si ergo Sacrilegi eſſemus faciendo Templum cuicumque creaturæ; quomodo non eſt Deus verus, cui non Templum facimus, ſed nos ipſi Templum ſumus?*

X. Secundò probatur eadem ſecunda pars ex eodem Paulo 1. ad Cor. cap. 2. v. 10. & 11. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Ex quibus Patres colligunt, Spiritum Sanctum eſſe Deum, & ejuſdem cum eo ſubſtantiæ, hoc diſcurſu. Dei arcana cognoſcere, & profunda ſcrutari, creata res nulla poteſt, ſaltem naturaliter; quemadmodum nemo naturaliter novit interna hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt; ergo quemadmodum Spiritus hominis, qui naturaliter novit profunda, & ſecreta hominis, intraneus eſt, ac ejuſdem ſubſtantiæ cum homine, non extraneus; ita Spiritus, qui cognoſcit profunda Dei, ſicut Spiritus hominis profunda hominis, à Deo alienus, eique extraneus non eſt, ſed ejuſdem ſubſtantiæ cum Deo, & Deus eſt: *An non ſummæ impietatis fuerit dicere, rem creatam eſſe Spiritum, qui in Deo eſt, & qui profunda Dei ſcrutatur? Nam qui eâ mente eſt, fateri utique cogetur, ſpiritum hominis extra hominem eſſe, & Verbum, quod eſt in Patre, rem item creatam eſſe.* Ita Sanctus Athanaſius *Epiſt. 1. ad Serapionem num. 22.* Videte S. Ambroſium *lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12.*

XI. Tertiò probatur eadem ſecunda pars. Sanctificare homines, adoptare, remittere peccata, inſuper creare, ita propria Dei ſunt, ut nulli creaturæ veluti auctori principali tribui poſſint: at hæc omnia in Sacris litteris Spiritui Sancto tribuuntur; ergo &c. Minor pro prima parte probatur. Tùm *Rom. 1. v. 4.* ubi vocatur *Spiritus Sanctificationis*. Rom. 8. v. 15. *Spiritus adoptionis*. Hebræorum 10. v. 29. *Spiritus gratiæ*. Actor. 10. v. 45. *In nationes gratia Spiritus Sancti effuſa* dicitur, Roman. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa* dicitur *in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Ad Titum 3. v. 5. 6. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum &c.* Quarè S. Athanaſius Epiſt. 1. ad Serapionem num. 11. *Paraclitus* (inquit) *dictus eſt, & Spiritus adoptionis, Spiritus Sanctimoniæ & Chriſti Spiritus. At nunquam vel Angelus, aut Arcangelus, aut Spiritus Miniſterii, quales ſunt Angeli, appellatus eſt.* Et S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 5. *creatura* (inquit) *Sanctificatur; ſanctificat autem Spiritus Sanctus.... non ergo poteſt ſanctificatio, & corruptela unius eſſe naturæ: & ideò non poteſt gratia Sancti Spiritus, & creatura unius eſſe ſubſtantiæ.*

Tùm etiam: nam Chriſtus *Matth. 28. v. 19.*

28. *v.* 19. baptizari juſſit ſub hac forma, æqualiter cum Patre, & Filio exprimente Spiritum Sanctum: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Super quæ S. Athanaſ. *Epiſt. 3. ad Serapionem num. 6.* ait: *Quòd ſi Spiritus creatura eſſet, non eum cum Patre copulaſſet: ne Trinitas ſibi ipſi diſſimilis eſſet, ſi extraneum quidpiam, & alienum ipſi adjungeretur. Quid enim Deo deerat, ut quidquam diverſæ ſubſtantiæ aſſumeret, & cum illo glorificaretur?*

At quia Macedoniani reſpondebant, Spiritum Sanctum nominari quidem cum Patre, & Filio, ſed tertio loco, utpote dignitate, atque ordine inferiorem.

Contra eſt primò. Nam Filius nominatur ſecundo loco; & tamen juxta ipſos non eſt ſecundus, nec inferior dignitate, & ordine, ſed unius ſubſtantiæ cum Patre: cur ergo erit inferior Spiritus Sanctus quia tertio loco nominatur? eſt quidem Trinitatis Perſona ordine Tertia: *At in quandam naturam tertiam à Filio & Patre ejectum eum fuiſſe nunquam didicimus* (ait S. Baſilius lib. 3. adversùs Eunomium num. 2.) *Nam cùm res duæ dicantur, Deitas, & creatura, Dominium, & ſervitus, Potentia ſanctificans, & quæ ſanctificatur, Potentia poſſidens ſuaptè naturâ virtutem, & quæ eam ex arbitrio comparat; quâ in parte Spiritum locabimus? inter eos qui ſanctificantur? At ipſe eſt ſanctificatio. An inter eos, qui præclaris, ac egregiis facinoribus virtutem adepti ſunt? At bonus naturâ eſt. An inter eos, qui miniſtrant? At alii ſunt Spiritus miniſtratorii, qui ad miniſterium mittuntur. Non ergo principalem naturâ Spiritum fas eſt nobis conſervum dicere, neque unâ cum creaturis numerare eum, qui in divina & beata Trinitate pariter numeratur.* Ita Baſilius.

XII. Demùm quòd creare Spiritui Sancto conveniat, habetur Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pſalm. 103. v. 30. *emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Et Job. 26. v. 13. *Spiritus* Domini *ornavit Cœlos*. Quare S. Athan. Epiſt. 3. ad Serapionem num. 5. *Cùm hoc igitur ſcriptum ſit, manifeſtum eſt, Spiritum non eſſe creaturam, ſed in creando adeſſe. Pater enim per Verbum in Spiritu creat omnia, quandoquidem, ubi Verbum, illic & Spiritus: & quæ per Verbum creantur, habent ex Spiritu per Filium vim exſiſtendi. Ita enim ſcriptum eſt trigeſimo ſecundo Pſalmo:* Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Nimirùm ità Spiritus indiviſus eſt à Filio, ut ex ſupradictis nullus ſit dubitandi locus.*

§. III.

Macedonianis reſpondetur.

XIII. Objiciebant primò. In Scripturis nullibi legitur, Spiritum Sanctum eſſe Deum: nullibi eſſe adorandum; ergo non eſt Deus.

Reſpondeo primò, diſtingu. ant. nullibi expreſsè, ita ut hæc propoſitio: Spiritus Sanctus eſt Deus, eſt adorandus, nullibi in Scripturis legatur, concedo antecedens. Nullibi implicitè, & illativè, nego ant. Ex hoc enim, quòd Scripturæ eodem modo loquantur de Spiritu Sancto, ac de Patre, & Filio; ex hoc quòd ei tribuant, quæ ſoli Deo conveniunt, ut probatum eſt, evidenter colligitur, Spiritum Sanctum eſſe Deum ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & Filio.

XIV. Reſpondeo ſecundò, omiſſo antecedente, negando conſequ. Non enim eſt neceſſe, omnia Fidei dogmata in Scripturis exprimi; quoniam ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligimus. Ita S. Auguſtinus lib. 2. aliàs 3. contra Maximin. cap. 3. *Objicis* (inquit) *mihi, quòd dicam, Spiritum Sanctum æqualem eſſe Filio. Dico planè. Da, inquis, teſtimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus. Ut video, hinc eum vis oſtendi*

æqua-

æqualem Chriſto, ſi adoratur ut Chriſtus. Jam ergo confitere Chriſtum Patri æqualem, quem tu ipſe adorari confiteris ut Patrem. Quales autem homines eſtis, quàm religioſa humilitatis, qui Spiritum adorare non vultis, cùm legatis, Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Non vultis ergo adorare, quem vivificare animas non negatis, cùm Pater Abraham homines adoraverit (Gen. 23. 2.) *qui concesſerunt ei monumentum, ubi poneret mortua corpus uxoris... ſed da, inquis, teſtimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus: quaſi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar: tu ubi legiſti Patrem Deum ingenitum, vel innatum? Et tamen verum eſt. Quod verò aliquotiens dixiſti, etiam Filio eſſe incomparabilem Patrem, nec legis, nec verum eſt Si autem Religionem, quâ colitur Deus, ſicut dignum eſt, cogitares, multò plus eſſe cerneres, quòd habet Spiritus Sanctus Templum, quàm ſi eum legeres adoratum. Et homines enim, ſicut ſupra docui, à Sanctis novimus adoratos: Templum verò non eſt factum ab hominibus, niſi aut vero Deo, ſicut Salomon fecit, aut eis, qui pro diis habentur, ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Spiritus autem Sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum eſt, non in manufactis templis habitat, ſed corpus noſtrum Templum eſt Spiritus Sancti. Et ne corpora noſtra contemnas, membra ſunt Chriſti. Qualis ergo Deus, cui Templum ædificatur, & à Deo, & de membris Dei?* Ita egregiè in Ariano perſtringit & Macedonianum S. Auguſtinus.

XV. Audiendus quoque eſt S. Gregorius Nazianz. *orat* 37. qui Macedoniano (ut hæreticorum mos eſt) urgenti, ut pro divinitate Spiritus Sancti Scripturam afferret. Quatuor genera rerum poſſe conſiderari ſecundum morem, & uſum Sacræ Scripturæ. *Alia non ſunt*, ſed *dicuntur*; ut cùm Deus dicitur dormire, vigilare, iraſci, proficiſci, & pro throno Cherubinos habere. *Alia cùm ſint, minimè dicuntur*; & ſunt ea, quæ licèt in Scripturis non dicantur, in iis tamen, quæ Scriptura dicit continentur. *Alia nec ſunt, nec dicuntur*; ut quòd Deus ſit improbus, ſphera ſit quadrata, homo non ſit compoſitus, præteritum tempus ſit præſens. *Alia denique & ſunt, & dicuntur*: ut Deus, homo, Angelus &c. Dicit ergo, ad ſecundum genus rerum pertinere divinitatem Spiritus Sancti, nimirùm, quæ etſi non dicuntur, ex iis tamen, quæ dicuntur ſumtæ ſunt. Quod ſi Macedonianus hoc neget, ſic eum redarguit ex iis, quæ fatetur: *Unde nam tu voces illas tuas* Ingenitum, & Anarchum (*hoc eſt principii expers*) *accepiſti, aut nos etiam immortalis vocem? Hoc nominatim, & expreſsè oſtende, ac ea vel rejiciemus, quia in Scriptura non extant, vel expungemus. Atque ita tuiſmet ipſe principiis oppreſſus interibis, everſis nimirùm tibi vocabulis illis, perfugiique manibus, in quibus confidebas. Nonne perſpicuum eſt, hæc de iis ſumta eſſe, ex quibus colliguntur, tametſi minimè dicantur?.... Quid cauſa eſt, cur litteræ tantoperè ſervias, Judaicaque Sapientia te ipſum adjungas, relictiſque rebus, ſyllabas conſecteris?*

Deinde poſt multa ſic diſcurrit: *ſi enim Spiritus adorandus non eſt: quomodo me Deum per Baptiſmum efficit? ſi autem adorandus; an non colendus, & venerandus? ſi porrò venerandus; an non Deus? unum uni cohæret, ac verè aurea quædam, & ſalutaris eſt hæc catena.*

Quare autem divinitatem Spiritus Sancti non ſtatim, ſed proceſſu temporis, & ſubobſcurè Deus in Scripturis revelaverit, dixerat citato loco Nazianzenus. Deus enim erga homines ſe gerit, ſicut pedagogus, & medicus, qui non ſtatim pueris, & infirmis omnia tradunt, ſed ſucceſſivè, ſecundùm eorum capacitatem. Propterea *Vetus Teſtamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obſcuriùs. Novum autem nobis Filium perſpicuè oſtendit,*

& Spiritus divinitatem ſub obſeurè quodammodo indicavit. Nunc verò Spiritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondùm confeſſâ, Filium apertè prædicari, nec, Filii divinitate nondùm admiſſâ, Spiritum Sanctum velut graviorem quandam (ſi ità loqui fas eſt) ſarcinam nobis ingeri: ne alioqui velut cibis ultra vires gravati, ac Solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque, quibus præditi eramus, viribus periclitaremur. Qui deinde proſequitur, oſtendens, Chriſtum non ſtatim à principio omnia Apoſtolos docuiſſe, ſed paulatim, ac ſucceſſivè, & de Spiritu Sancto doctrinam quaſi altiorem, poſtremam reliquiſſe: *Habebat* (inquit) *quædam Salvator, quæ à diſcipulis licèt alioquì multiplici doctrinâ implerentur, tunc tamen portari poſſe negabat. Ac rursùs dicebat, fore, ut ab adveniente Spiritu omnia edocerentur. Ego unum ex eorum numero eſſe senſeo ipſam Spiritus Sancti Deitatem, impoſterum apertiùs declarandam: tùm videlicet, cùm, jam poſt Salvatoris in integrum reſtitutionem, maturæ, & perceptibilis eſſet ipſius cognitio, utpote cui, ob tam inſigne miraculum, fides non jam abrogaretur.*

XVI. Ita quoque reſpondet S. Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 29.* his verbis: *Si nihil aliud eſt receptum abſque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra Scripturam à nobis recepta ſunt, cum aliis pluribus etiam iſtud admittamus. Arbitror autem, Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis traditionibus inhærere.* Reſponſio hæc continet doctrinam de Traditionibus, quâ imbutus ſtudioſius Lector occurrere poterit Proteſtantibus, niſi quod ſcriptum eſt admittere volentibus; ideòque in ea aliquantiſper immorari oportuit.

XVII. Objiciebant ſecundò. In plurimis Sacræ Scripturæ locis Patris, & Filii fit mentio, imò nonnunquam & Angelorum, nulla verò Spiritus Sancti; non ergo eſt Perſona diſtincta à Patre, & Filio, ſed ſola Dei ſummi energia.

Retorqueo argumentum. In plurimis Sacræ Scripturæ locis nominatur Deus, quin ulla Filii mentio habeatur; ergo Filius non eſt Perſona diſtincta, ſed ipſamet Dei ſummi ſapientia. Retorqueo ſecundò ex S. Baſilio *lib. 5. contra Eunomium*. In plurimis Scripturæ textibus nominatur Spiritus Sanctus nullâ factâ mentione Filii, quos S. Baſilius ibi producit; ergo ne Filius non eſt? aut non eſt à Spiritu diſtinctus?

XVIII. Reſpondeo ergo, non oportere, ut dùm unius, vel alterius Perſonæ mentio fit, omnium expreſsè fiat. Cùm enim naturæ identitate unum ſint, dùm una nominatur, nominari cenſentur omnes; maximè quia earum opera ad extra, indiviſa ſunt, ſicut indiviſa eſt potentia: Etenim *ſicut qui benedicitur in Chriſto, benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia unum nomen, poteſtas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Fili, aut Spiritus deſignatur, non ſolùm ad Sanctum Spiritum, ſed etiam ad Patrem refertur, & Filium: nec ſolùm ad Patrem, ſed etiam ad Filium refertur, & Spiritum.* Ita S. Ambroſ. *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3.*

XIX. Objiciebant tertiò. De Spiritu Sancto dicitur Joann. 16. v. 13. & 14. *Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:* Sed qui à ſemetipſo non loquitur; qui ea tantùm loquitur, quæ audit ab alio, & ab alio accipit, Legati officio fungitur, quod Deum dedecet; ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus.

Retorquet inſtantiam S. Baſilius lib. 5. contrà Eunom. *Neque Filius à ſeipſo loquitur* (Joann. 12. v. 49.) *ſed qui me miſit Pater*, inquit, *ille mihi dixit, quid dicam, & quid loquar*; ergo nec Filius eſt Deus, ſed Legatus

Digitized by Google

tus Patris, quod tamen Macedoniani negabant.

XX. Reſpondeo ergo, Spiritum Sanctum ſicut & Filium, à ſemetipſis non loqui, ſed quæ audiunt loqui &c. non quia Patris Legati ſint; ſed quia ſcientia eorum, eſto eadem ſit cum ſcientia Patris, eam tamen habent acceptam à Patre, ſicut, & eſſe: *Quid eſt ergo, non enim à ſe loquitur? Hoc eſt non ſine me loquitur, qui loquitur veritatem ... non ſine Patre loquitur, quia Dei Spiritus eſt. Non à ſe audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit à Patre Filius, quia ipſe dixit: Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Omnia Patris habet Filius, quia iterum ait: Omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Et quæ accipit ipſe per unitatem naturæ, ex ipſo per eandem unitatem accipit & Spiritus... Quod ergo loquitur Spiritus, Filii eſt: quod dedit Filius, Patris eſt. Ita nihil à ſe aut Filius loquitur, aut Spiritus, quia nihil extra ſe Trinitas loquitur.* Hæc D. Ambroſ. *lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12.* Unde & S. Auguſtinus tract. 99. in Joann. *Ab illo* (inquit) *audiet à quo procedit: Audire illi ſcire eſt: ſcire verò eſſe... Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo, à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia: ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quàm ſcientia.*

Divus autem Baſilius *lib. 5. contrà Eunomium* laudato, ex hoc quòd Spiritus Sanctus nihil à ſe loquatur, probat, eum non eſſe creaturam dicens: *Hoc namque verè oſtendit Spiritum non eſſe Creaturam: quoniam rationalis omnis creatura modò à ſeipſa loquitur, modò ea, quæ Dei ſunt.* Et infra: *Non enim modò ſua, modò quæ Dei ſunt* (Spiritus) *loquitur; id namque pertinet ad creaturam. Verùm omnia Spiritus verba, Dei oracula ſunt; ſimiliter & Filii dicta. Quapropter ne Filius quidem à ſeipſo loquitur:* Qui enim miſit me Pater, *inquit*, ille mihi dixit, quid dicam, & quid loquar, *non quòd diſceret: hoc enim imperfecti erat, & neſcientis; ſed quòd quæcumque Pater loquitur, per Filium in Spiritu loquatur.*

XXI. Objiciebant quartò. Spiritus Sanctus ex dictis 1. Cor. 2. v. 10. *Omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*; ergo non eſt Deus: qui enim ſcrutatur, ſignum eſt, non habere clariſſimam, & perfectam cognitionem rerum.

Reſpondeo, Spiritum Sanctum dici ſcrutari profunda Dei, non pro ut ſcrutari inquiſitionem ſignificat eorum, quæ occulta ſunt, & ignota; ſed pro ut idem eſt, ac penetrare, & comprehenſivè noſſe, ita ut nihil lateat. Sic Deus, cui cordium noſtrorum explorata ſunt arcana, *Pſalm. 7. v. 10.* dicitur: *ſcrutans corda, & renes Deus.* Sic in Deo ponitur conſilium; non ut dicit incertitudinem inquiſitionis, ſed certitudinem judicii. Hinc Ambroſius lib. 2. de Spir. Sanct. cap. 11. *Similiter ergo* (inquit) *ſcrutator eſt Spiritus Sanctus ut Pater; ſimiliter ſcrutator, ut Filius, cujus proprietate ſermonis id exprimitur, ut videatur nihil eſſe, quod neſciat, quem nihil præterit.*

XXII. Objiciebant quintò. *Spiritus* Sanctus *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Roman. 8. v. 26. & v. 27.) *Secundùm Deum poſtulat pro Sanctis:* ſed gemere, orare, poſtulare Deo non convenit; ergo &c.

Reſpondeo cum S. Auguſtino *collat. cum Maximino Ariano*, & alibi, Spiritum Sanctum dici poſtulare, gemere, quia poſtulantes, ac gementes nos facit: *Sic enim dictum eſt, gemitibus interpellat, ut intelligeremus: gemitibus interpellare nos facit. Adeſt enim nobis, & infundendo caritatem nobis, facit nos interpellare gemitibus. Denique alio loco cum dicit Apoſtolus clamantem Abba, Pater; alio loco dicit: In quo clamamus Abba, Pater: expoſuit, quid ſit, clamantem Abba, Pater, dicendo: In quo clamamus. Ac per hoc quid eſt clamantem, niſi clamare facientem? De exemplum locutionis hujus. Nonne Deus eſt omnium præſcius futurorum? Quis hoc negabit inſanus? Tamen ait Apoſtolus* (Gal. 4. v. 9.) *Nunc autem cogno-*

gnoſcentes Deum, immò cogniti à Deo. Si nunc eos cognovit Deus, non eos noverat... Sed ſic dixit, nunc autem cognoſcentes Deum, immò cogniti à Deo, ut intelligerent, Deum feciſſe in eis cognitionem ſuam... Quid eſt cogniti eſtis à Deo? cognitores ſuos Deus vos fecit. Deus vobis dedit, ut cognoſcatis. Quomodo eſt & illud Domini: Nunc cognovi quoniam timeas Dominum.... Sed quid eſt nunc cognovi? Ideſt nunc cognoſcere te feci. Ita S. Auguſtinus, addens, quòd facere Spiritum Sanctum ſemper gementem, eſſet eum facere ſemper miſerum: *Quid enim eſt aliud ſemper gemens, quàm ſemper miſer? Ideo nos gemimus, quia miſeri ſumus.* Et concludit: *Gratias Spiritui Sancto, quia caritate æterni ſeculi facit nos gemere, propter quod dictus eſt gemens; Facit nos clamare, propter quod dictus eſt clamans; facit nos cognoſcere Deum, propter quod dictum eſt, imò cogniti à Deo; Facit Abraham Deus cognoſcentem, propter quod ei dixit nunc cognovi.* Addit S. Thomas in hunc Pauli locum lect. 5. quòd *ſi ex eo, quod dicit eum poſtulare, intelligimus, eum eſſe paſſibilem creaturam, & Patre minorem; conſequens eſt etiam, quod ex eo, quòd dicit gemitibus poſtulare, intelligamus eum eſſe paſſibilem creaturam beatitudine carentem, quod nullus unquam hæreticus dixit. Nam gemitus ex dolore eſt, qui ad miſeriam pertinet.* Quare ex SS. Auguſtino, & Thoma textus iſte Macedonianis non favet.

XXIII. Sed dices. Si dicitur Spiritus Sanctus poſtulare pro nobis, quia facit nos poſtulantes; pari ratione dici poterit, Patrem pro nobis poſtulare, quia & ille poſtulare nos facit: At hoc piæ aures non ſuſtinent; ergo &c.

Reſpondeo, negando ſequelam. Sicut enim ea tantum Perſona mitti dicitur, quæ ab alia procedit: ita ea tantum poſtulare dicenda eſt, quæ accipit ab alia, ut faciat homines poſtulantes. Mitti, & poſtulare reſpicit alterum, à quo, vel accipitur aliquid, vel expectatur. Quod Patri convenire non poteſt, benè tamen Spiritui Sancto.

XXIV. Objici poteſt ſextò. Si Spiritus Sanctus Deus eſt, aut ingenitus eſt; aut genitus: Si ingenitus; ergo erunt duo principii expertes. Si autem genitus, aut ex Patre; aut ex Filio: ſi ex Patre; ergo erunt duo Filii & Fratres. Si ex Filio; ergo Deum nepotem habebimus.

Reſpondeo negando utramque partem disjuncti. Etenim inter genitum, & ingenitum datur medium, nempè purè procedens, quod Spiritus Sancti character proprius eſt, quo à Chriſto notatur. Audiamus Nazianzenum *orat.* 37. citatâ, ubi Macedonianum non admittentem medium inter ingenitum, & genitum, ita perſtringit: *Ubi enim quæſo, pones id, quod procedit, quod quidem inter duas diviſionis tuæ partes interjectum eſſe conſtat, atque à Theologo multò te præſtantiori, nimirum à Chriſto introducitur? niſi fortaſſe vocem illam propter tertium tuum Teſtamentum ex Evangeliis ſuſtuliſti*, Spiritus Sanctus, qui à Patre procedit: *Qui quatenus ab illo procedit, creatura non eſt, quatenùs rursùs genitus non eſt, Filius non eſt. Quatenùs autem inter ingenitum, & genitum medius eſt, Deus eſt. Quæ eſt ergo hæc Proceſſio, inquies? Dic tu, quæ Patris ingenitura ſit, & ego Filii generationem, & Spiritus proceſſionem explicare aggrediar, ut ambo mentis veſaniâ præcipites agamur in Dei myſteria oculos injicientes.... Quid ergo eſt, inquiunt, quod Spiritui deeſt ad hoc ut ſit Filius? niſi enim aliquid deeſſet, Filius eſſet. Deeſſe nihil dicimus. Non enim Deo quicquam deeſt. Verùm manifeſtationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diverſa quoque ipſis nomina procreavit &c.* Hactenus Nazianzenus. Rationem autem Theologicam, cur Spiritus Sancti proceſſio generatio non ſit, inferiùs expendemus.

Demum noto, quòd eſto Veterum Patrum aliqui Spiritum Sanctum Deum

um eſſe reticeant, & quâdam æconomiâ ejus divinitatis nomen ſuppreſſerint, ipſum tamen eſſe Deum confeſſi ſunt; dùm ſemper eum creaturam eſſe negarunt; dùm ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre & Filio eſſe dixerunt; dum ea, quæ ſolius Dei ſunt propria, ei tribuerunt, ut ſatis ſuperiùs oſtenſum eſt.

DUBIUM V.

An exiſtentia Trinitatis cognoſci poſſit.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. IN duplici ſenſu procedere poteſt quæſtio. Primò, an ratione naturali haberi poſſit cognitio exiſtentiæ Trinitatis, ſive explicita, & diſtincta; ſive implicita, nempè in alio, ex quo deduci poſſit. Secundò, an ſuppoſito, quòd ſolà revelatione notitia Trinitatis haberi poſſit; hæc notitia aliquibus exemplis petitis ex rebus creatis, poſſit illuſtrari.

II. Dico primò. Per rationem naturalem nullam de exiſtentia Trinitatis cognitionem, ſive explicitam; ſive implicitam poſſumus comparare. Hanc veritatem manifeſtavit Chriſtus Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* Quod repetit *Joann. 6. v. 46. & 7. v. 28. & 8. v. 19. & 10. v. 15.* Quare Matth. *cap. 16.* cùm Petrus confeſſus fuiſſet, Chriſtum eſſe Filium Dei vivi, ſtatim ei dixit v. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt. Non ergo* (infert Chryſoſt. homil. 55. in Matth.) *poſſumus aliunde cognoſcere Filium, quàm à Patre, nec Patrem aliunde, quàm à Filio.* Et Divus Auguſtinus enumeratis variis ratiociniis, quibus ex hiſce inferioribus conari poſſumus ad cognitionem Trinitatis acquirendam, concludit (lib. 15. de Trinit. cap. 6.) *Et ecce jam quantum neceſſe fuerat, aut fortè pluſquàm neceſſe fuerat, exercitatâ in inferioribus intelligentiâ, ad ſummam Trinitatem, qua Deus eſt, conſpiciendam nos erigere volumus, nec valemus.*

III. Hanc veritatem docet D. Thomas 1. *part. qu.* 32. *art.* 1. cujus hæc eſt ratio. Homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non poteſt, niſi ex creaturis, quæ ſunt effectus Dei, quia omnis effectus demonſtrat exiſtentiam ſuæ cauſæ; ergo ex creaturis hoc ſolùm ratione naturali de Deo cognoſci poteſt, quod ei convenit, quatenùs eſt omnium entium principium: ſed Deus eſt omnium entium principium, non quatenùs Trinus, ſeu per ea, quæ pertinent ad Trinitatem, ſeu pluralitatem Perſonarum, ſed quatenùs unus, ſeu per ea, quæ pertinent ad unitatem eſſentiæ; virtus enim creativa una eſt, & communis toti Trinitati; ergo per rationem naturalem poſſumus quidem cognoſcere de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem eſſentiæ, non autem ea, quæ pertinent ad diſtinctionem Perſonarum.

IV. Confirmatur. Veſtigium, ſeu effectus non indicat exiſtentiam ſuæ cauſæ, niſi ſecundùm eam rationem, ſub qua ab ea procedit: qui enim videt veſtigium ab homine relictum, ex eo cognoſcit quidem, illàc hominem tranſiſſe, non verò hominis conditionem, qualitates, & alia, ſecundùm quæ homo non impreſſit veſtigium: & qui videt artefactum, etiamſi accuratè illud contempletur, non dignoſcit parvitatem, vel magnitudinem molis, vitia, aut virtutes, indumenta, aut alia accidentia artificis, quia ex talium influxu artefactum ab artifice non procedit; ſed ſolùm cognoſcit peritiam illius artificis, ex cujus influxu procedit artefactum. Cùm ergo creaturæ non procedant à Deo, ut Trino, quia ſecundùm quòd Trinus, nihil agit extra ſe; ſed à Deo ut uno, omnipoten-

tente, infinitè bono, juſto &c. indicabunt quidem, Deum eſſe unum, omnipotentem &c. non tamen eſſe trinum in Perſonis.

Addo, quòd creaturæ ducunt potiùs in cognitionem ejus quod eſt Myſterio Trinitatis contrarium. Cùm enim in univerſa creatura reperiatur, unius naturæ eſſe ſolùm unum ſuppoſitum; ſi ex naturis creatis vellemus aſcendere ad divinam, concluderemus potiùs, quòd Deus ſicut in natura unus eſt, ita unus ſit in Perſona, non Trinus.

V. Quapropter D. Thomas laudatus dicit, quòd qui probare nititur Trinitatem Perſonarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primò quidem dignitati ipſius fidei, quæ eſt, ut ſit de rebus inviſibilibus, quæ rationem humanam excedunt. Hæbr. 11. *Fides eſt de non apparentibus*. Et 1. Cor. 2. ubi vocatur ſapientia non hujus ſeculi, neque Principum hujus ſeculi, ſed *ſapientia in myſterio, quæ abſcondita eſt*. Secundo derogat utilitati trahendi alios ad fidem: *Cùm enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes, quę non ſunt cogentes, cedit in irriſionem Infidelium. Credunt enim, quòd hujuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.*

VI. Cæterùm etſi ratione naturali probari non poſſit, dari, aut eſſe poſſibile Myſterium Trinitatis; nulla tamen ratione naturali demonſtrari poteſt, hoc Myſterium eſſe impoſſibile. Nam hæc veritas: Myſterium Trinitatis eſt poſſibile, eſt neceſſariò vera; ergo iſta: Myſterium Trinitatis eſt impoſſibile, eſt falſa; quia vero non opponitur niſi falſum.

Hinc D. Thomas 1. *Contragentes toto cap.* 7. oſtendit, quòd veritati Fidei Chriſtianæ non contrariatur veritas rationis; quia verum non contrariatur vero, ſed ſolùm falſum. Ex quo concludit: *Evidenter colligi, quęcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principiis primis naturę inditis per ſe notis non rectè procedere: Unde nec demonſtrationis vim habent: ſed vel ſunt rationes probabiles, vel ſophiſticę: & ſic ad ea ſolvenda locus relinquitur.* Hinc Bannez adhunc articulum, & alii, dicunt, omnia argumenta, quæ fieri poſſunt contrà veritatem hujus myſterii, eſſe evidenter ſolubilia: non quia evidenter oſtendi poſſit veritas, aut oppoſita falſitas; ſed quia quocumque in contrarium prolato, ſemper poteſt reddi ratio, illud non concludere, & proinde non eſſe admittendum.

VII. Dico ſecundò. Suppoſito, quòd quis fide revelante didicerit, dari Trinitatis myſterium, ſeu Deum eſſe in Perſonis trinum, poteſt aliqua licèt valdè æquivoca, & imperfecta in rebus creatis invenire exempla, quibus illud aliqualiter explicet; proteſtando ſemper, maximè ſi cum Infidelibus agat, ſe hoc non facere animo demonſtrandi, nec ſe ob illa exempla ad confitendum tantum Myſterium adduci.

Primum exemplum præbet S. Auguſtinus *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 4. in anima, quæ una ſubſtantia eſt, & in ea tria ſunt; mens, notitia ejus, & amor ſui: *Igitur* (inquit) *ipſa mens, & amor, & notitia ejus tria quadam ſunt, & hęc tria unum ſunt; & cum perfecta ſunt, ęqualia ſunt.*

Secundum affert idem S. Doctor *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 21. in memoria, intelligentia, & amore (quod indicaverat etiam *lib.* 9. *cap.* 7.) quæ in eadem anima repeririuntur. Memoria enim aliud non eſt, quàm continuata notitia; cogitatio, ſeu intelligentia eſt actus, quo quis advertit ad id, quod mente revoluit; Amor eſt motus ad fruendum, & utendum eà re, de qua cogitatur. Dùm autem mens de re aliqua cogitat, format in ſe verbum ſimile in forma, quâ intelligit: & ſic dùm Pater ſeipſum cogitat, ut revera ſemper cogitavit, & cogitabit ſemper, generat Verbum omnino ſibi ſimile; quia verbum eſt omnino ſimile rei cognitæ, cùm res perfectè

ſectè cognoſcitur. Præterea anima, quæ ſeipſam amat, quæ ſui verbum formavit, movetur, ut illo verbo utatur, aut fruatur; proindeque producit amorem, ac impulſum, qui producitur quidem, ſed non paritur; ſolum enim verbum partus eſt mentis. Sic ergo Pater, & Verbum moventur ad ſui fruitionem, & producunt Spiritum Sanctum, ut impulſum, quo mutuò ſe amant, qui procedens eſt, at non genitus. Hæc aliaque adduci poſſent, ſed quàm diſſimiliter. Tria enim hæc in anima quidem ſunt, at anima non ſunt. Tria hæc in una Perſona ſunt, at tres Perſonæ non ſunt; affectiones, & accidentia ſunt, ſubſtantia non ſunt: *Ego per omnia illa tria memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria ſum, nec intelligentia, nec dilectio, ſed hęc habeo. Iſta ergo diei poſſunt ab una Perſona, quę habet hęc tria, non ipſa eſt hæc tria. In illius verò ſumma ſimplicitate naturę, quę Deus eſt, quamvis unus ſit Deus, tres tamen Perſonę ſunt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus... Verùm in illa ſumma Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas, ut cùm Trinitas hominum non poſſit dici unus homo, in illa unus Deus dicatur, & ſit. Nec in uno Deo ſit illa Trinitas, ſed unus Deus. Nec rurſùs quemadmodum iſta imago, quod eſt homo habens illa tria, una Perſona eſt, ita eſt illa Trinitas: ſed tres Perſonę ſunt, Pater Filii, & Filius Patris, & Spiritus Patris, & Filii.* Hactenus S. Auguſt. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 22. Videatur *contrà ſermon. Arianorum cap.*16.

§. II.

Solvuntur argumenta.

VIII. Primo objicitur contra primam aſſertionem. Homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Trinitatis: *Faciamus* (dixerunt tres divinæ Perſonæ Geneſ. 1. v. 26.) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* at qui naturaliter dignoſcit imaginem, naturaliter dignoſcit etiam eum, cujus eſt imago; ergo &c.

IX. Reſpondeo, diſt. min. Qui naturaliter dignoſcit imaginem, ut imago eſt, naturaliter &c. conc. min. imaginem materialiter, non ut imago eſt &c. nego min. Aliud eſt videre imaginem, aliud videre per imaginem: ad hoc enim neceſſe eſt videre habitudinem imaginis ad ſuum prototypum, ſeu imaginem ut repræſentativam, ſicut aliud eſt videre ſpeculum, aliud videre per ſpeculum. Naturali ergo lumine cognoſcimus hominem, qui eſt imago Trinitatis; attamen ut cognoſcamus hominem, ut imaginem, vel ut dicit habitudinem ad Trinitatem, quæ in eo repręſentatur, neceſſe eſt, ut fide credamus dari Trinitatem, & quòd homo ad imaginem illius factus ſit. Ita S. Auguſtinus *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 24. qui exponens illud Pauli 1. Cor. 13. v. 12. *videmus nunc per ſpeculum*, dicit: *Non enim ait Apoſtolus: Videmus nunc ſpeculum: ſed videmus per ſpeculum. Qui ergo videt ſuam mentem, quomodo videri poteſt, & in ea Trinitatem iſtam... nec tamen eam credunt, vel intelligunt eſſe imaginem Dei; ſpeculum quidem vident, ſed uſque adeò non vident per ſpeculum, qui eſt per ſpeculum nunc videndus, ut nec ipſum ſpeculum, quod vident, ſciant eſſe ſpeculum, ideſt imaginem.*

X. Reſpondeo ſecundò cum D. Thoma 1. *par. qu.* 93. *art.* 5. *ad* 3. hominem eſſe imaginem, quæ plus diſſimilitudinis habet, quàm ſimilitudinis; ideoque niſi fides ei oſtendat Trinitatem, quæ eſt in homine, eſſe ad imaginem Trinitatis divinæ, ex illa nunquam perveniet ad cognitionem iſtius: *Maxima* (inquit D. Thomas) *eſt differentia hujus Trinitatis, quæ eſt in nobis ad Trinitatem divinam, & ideò ut ipſe ibidem dicit* (S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 6.) *Trinitatem quæ in nobis eſt videmus potiùs, quàm credimus. Deum verò eſſe Trinitatem credimus potiùs, quàm videmus.*

XI.

XI. Sed dices. Quilibet effectus Dei aſſimilatur Deo ſolum imperfectè, ac cum maxima deficientia, & tamen facit nos cognoſcere exiſtentiam Dei ut unius; ergo licèt homo ſit imago imperfecta Trinitatis, poterit nos ducere in cognitionem Trinitatis.

Reſpondeo, diſt. antecedens. Facit cognoſcere ratione dependentiæ, quam habet à Deo, ut uno, conc. ant. Ratione ſimilitudinis, nego ant. & conſequentiam. Effectus enim, præſertim cauſæ æquivocæ, ducit in cognitionem exiſtentiæ ſuæ cauſæ, non ratione ſimilitudinis, ſed ratione dependentiæ; hanc autem habet à Deo Uno quilibet effectus etiam viliſſimus, ideòque Deum unum, creatorem &c. demonſtrat. At homo non poteſt Trinitatis exiſtentiam oſtendere ratione dependentiæ; non enim ullus effectus creatus dependet à Deo, quâ Trino: nec ratione ſimilitudinis; quia eſto ad imaginem Trinitatis ſit: cùm tamen ſit adeò imperfecta, & deficiens, non poteſt eam demonſtrare, niſi fides dicat, Trinitatem, quæ eſt in homine, eſſe imaginem Trinitatis, quæ Deus eſt: ſicut ſi aliquis ineptè pingat Aquilam, talis pictura non oſtendet Aquilam eſſe; niſi quis dicat, Aquila exiſtit, & hæc eſt imago Aquilæ.

XII. Objicitur ſecundò: Philoſophi Gentiles non pervenerunt ad cognitionem Dei, niſi per rationem naturalem: ſed multi ex illis aliqua de divina Trinitate dixerunt; ergo &c.

Min. prob. primò. Ariſtoteles *in* 1. *de Cælo & mundo text.* 2. ait: *Per hunc numerum* (ſcilicet ternarium) *adhibuimus nos ipſos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata.*

Secundò. Auguſt. dicit *lib.* 7. *Confeſs. cap.* 9. ſe legiſſe in libris Platonicorum, *multis, & multiplicibus ſuaderi rationibus quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* quibus verbis diſtinctio Perſonarum divinarum traditur.

Tertiò dicitur in Gloſs. *Rom.* 1. & *Exod.* 8. quòd Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, ideſt in notitia tertiæ Perſonæ, ſcilicet Spiritus Sancti, & ſic ad minus duas cognoverunt.

Quartò. Triſmegiſtus *in Pimandro dial.* 4. dixit: *Monas genuit monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem.* Per quod videtur generatio Filii, & proceſſio Spiritus Sancti indicari.

XIII. Reſpondeo ex D. Thoma 1. *par. qu.* 32. *art.* 1. cujus hoc eſt primum argumentum, quòd Philoſophi Gentiles non cognoverunt Trinitatem Perſonarum per propria, quæ ſunt Paternitas, Filiatio, & Proceſſio; ſed cognoverunt quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur Perſonis, ſicut potentia Patri, Sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto. Hinc

Ad primum dico, Ariſtotelem magnificaſſe numerum ternarium, non quia eum poneret in divinis; ſed ſolùm velle, cum eſſe numerum perfectum; ideòque antiqui eo utebantur in ſacrificiis, & orationibus.

Ad ſecundum dico, quòd Platonici ſuadebant rationibus, In principio fuiſſe Verbum &c. non ut exprimit Perſonam genitam in divinis; ſed ut dicit rationem idealem omnium, per quam Deus omnia condidit, quæ Filio appropriatur.

Ad tertium. Magi Pharaonis dicuntur defeciſſe in tertio, non quia primam, & ſecundam Perſonam Trinitatis cognoverint, & non tertiam; ſed quia cùm cognoviſſent potentiam, & Sapientiam Dei, quæ primæ & ſecundæ Perſonæ tribuuntur, defecerunt in cognitione bonitatis Dei, quæ attribuitur tertiæ, dùm cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt. Vel quia Platonici ponebant duo, nempe unum primum ens, quod vocabant Patrem univerſitatis rerum; & conſequenter ponebant aliam ſubſtantiam ſub eo, quam vocabant mentem, vel intellectum, in quo erant rationes omnium rerum; tertiam autem ſubſtantiam non ponebant ſeparatam, quæ

vide-

Digitized by Google

videretur correſpondere Spiritui Sancto. Nos autem non ponimus tres divinas Perſonas ſecundùm ſubſtantiam differentes (ſic enim eas ponebant Origenes, Arius, & alii ſequentes Platonicos) ſed ponimus eas unius ſubſtantiæ, quamvis perſonali proprietate diſtinctas; & hoc eſt Myſterium ad quod naturalis ratio non pervenit.

Ad quartum dico, quòd Triſmegiſti dictum: *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*, non eſt referendum ad generationem Filii, vel proceſſionem Spiritus Sancti, ſed ad productionem mundi. Nam unus Deus produxit unum mundum propter ſui ipſius amorem. Ita ex D. Thoma.

XIV. Reſponderi etiam poteſt cum aliis, plures ex Philoſophis Gentilibus notitiam aliquam Trinitatis accipere potuiſſe per traditionem, quæ ab Adamo uſque ad Noe, & ab iſto uſque ad Abrahamum propagata, ab Abrahamo autem & Moyſe Philoſophis Egyptiis fuit communicata; à quibus Sapientes Græci, maximè verò Orpheus, Pythagoras, & Plato eam accipere potuerunt. Præſertim verò Plato, quem refert Clemens Alexandrinus *lib. 5. Stromatum*, ſicut & Pythagoram, & Socratem multa ex libris Moyſis audiviſſe. Et S. Auguſt. *lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 28.* Platonem dicit peregrinatum in Ægyptum, Jeremiam, qui ibi tunc erat, vidiſſe, & ab eo multa de Libris ſacris didiciſſe. Et quamvis *lib. 8. de Civit. Dei cap. 11.* hanc opinionem retractet, cùm computus annorum non concordet; dicit tamen, contingere potuiſſe, Platonem, qui fuit accerrimi ſtudii, ſicut Ægyptiam, ita & Hebraicam linguam in Ægypto diſcere potuiſſe, aut ſaltem per interpretem aliqua ex ſacris Libris haurire, quæ in ſuam poſtea Philoſophiam transferret.

Addunt alii, talem cognitionem excerpere etiam potuiſſe ex Sybillarum dictis, & ſcriptis, maximè Erithreæ, quam fuiſſe vaticinatam multa de Chriſto refert S. Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei cap. 23.* confirmans teſtimonio Lactantii *lib. 4. Inſt. cap. 18. & 19.* Has autem in præmium Virginitatis lùmine prophetico fuiſſe à Deo donatas, teſtatur S. Hieronymus *lib. 1. contrà Jovinianum*.

Mitto alios volentes, potuiſſe ejuſmodi Philoſophos aliquâ Trinitatis cognitione imbui per ipſos quoque Dæmones, quibus ante lapſum hoc Myſterium fuerat revelatum. Nec mirum hoc videri debet; ad id enim moveri poterant Dæmones, vel à bonis Angelis, vel ab ipſo Deo, qui interdum ex ore falſitatis jubet prodire veritatem; vel ex ipſa Dæmonum malitia, ut nimirùm fidem divinitatis labefactarent. Nam trium Perſonarum fidem ingerentes facilè poterant inducere eos ad credendum tres, quoque Deos eſſe, nedum perſonâ, ſed ſubſtantiâ diverſos. Quomodocumque ſit: Philoſophi Gentiles, vel de Trinitate nullam notitiam habuerunt, ut ſentit D. Thomas; vel ſi aliqualem habuerunt, eam non ratione naturali adepti ſunt, ſed ex doctrina eorum, quibus fuerat revelata.

XV. Tertiò objicitur. Richardus de S. Vict. *lib. 1. de Trinit. cap. 4.* dicit: *Credo ſine dubio, ad quamcumque explanationem veritatis non modò probabilia, imò etiam neceſſaria argumenta non deſint*; ergo &c.

Hoc confirmatur primò. Probant enim aliqui, Trinitatem Perſonarum ex infinitate bonitatis divinæ. Cùm enim Deus ſit infinitè bonus, & infinitè bonum ſit infinitè communicativum ſui, & hæc infinita communicatio non poſſit fieri extra Deum; ſequitur, quòd fiat intra Deum per proceſſionem divinarum Perſonarum.

Secundò. Quia cùm nullius boni ſit jucunda poſſeſſio ſine conſortio, ſequitur, Deum ſummè beatum, & jucundè ſummum bonum poſſidentem, non eſſe ſolitarium, ſed conſortium habere divinarum Perſonarum.

Tertiò. D. Auguſt. lib. 10. *de Trinit. cap. 11. & 12. lib. 9. cap. 4.* & ali-

alibi probat Trinitatem ex proceſſione verbi, & amoris in nobis, ſeu in mente noſtra.

Tandem. D. Thomas 1. *par. qu.* 27. *art.* 1. proceſſionem Verbi probat hoc ratiocinio. Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit producit verbum intra ſe: ſed Deus eſt intelligens; ergo Deus producit Verbum.

XVI. Reſpondeo ex D. Thoma citatâ qu. 32. 1. par. art. 1. ad 2. *Quòd ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio. Uno modo ad probandum ſufficienter aliquam radicem: ſicut in ſcientia naturali inducitur ratio ſufficiens ad probandum, quòd motus Cœli ſemper ſit uniformis velocitatis. Alio modo inducitur ratio, non quæ ſufficienter probet radicem; ſed quæ radici jam poſitæ oſtendat congruere conſequentes effectus: ſicut in aſtrologia ponitur ratio excentricorum, & epicyclorum ex hoc, quòd hac poſitione factâ poſſunt ſalvari apparentia ſenſibilia circa motus Cœleſtes: non tamen ratio hæc eſt ſufficienter probans, quia etiam fortè aliâ poſitione factâ ſalvari poſſent. Primo ergo modo poteſt induci ratio ad probandum Deum eſſe unum, & ſimilia. Sed ſecundo modo ſe habet ratio, quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis, quia ſcilicet, Trinitate poſitâ, congruunt hujuſmodi rationes; non tamen ita, quòd per has rationes ſufficienter probetur Trinitas Perſonarum.*

Unde ad primam reſpondet, non ſufficienter probare. *Bonitas enim infinita Dei manifeſtatur etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis eſt ex nihilo producere. Non enim oportet, ſi infinitâ bonitate ſe communicat, quòd aliquid infinitum à Deo procedat, ſed ſecundùm modum ſuum recipiat divinam bonitatem. Similiter etiam* (ad ſecundam) *Quod dicitur, quòd ſine conſortio non poteſt eſſe jucunda poſſeſſio alicujus boni, locum habet, quando in una Perſona non invenitur perfecta bonitas. Unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem bono alicujus alterius conſociati ſibi.*

Neque tertia. *Similitudo* enim *intellectus noſtri non ſufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quòd intellectus non univocè invenitur in Deo, & in nobis. Et inde eſt quod Auguſtinus ſuper Joannem* (tract. 27.) *dicit, quòd per fidem venitur ad cognitionem, & non è converſo.* Hactenus D. Thom. Hinc ratio, quam ipſe adducit loco citato ad probandam proceſſionem Verbi, non inducitur ad probandam radicem, ſed hac, nimirùm proceſſione verbi, poſitâ per fidem, oſtendit congruere, ut fiat eo modo, quo verbum procedit. Cæterùm eſt nimis diſſimilis proceſſio verbi in nobis, ac ſit in Deo. Nam in nobis verbum procedens eſt accidentale, & non eſt in eſſe naturali res intellecta: in Deo eſt ſubſtantiale, & naturâ Deus. In nobis verbum procedit ex indigentia, ut in verbo intelligamus: in Deo procedit ex abundantia & quia perfectiſſimè intelligit. En quomodo ex proceſſione verbi in nobis non concluditur proceſſio Verbi in Deo, imò potiùs oppoſitum.

XVII. Quartò objicitur. Non minus eſt ſupernaturalis Deus ut unus, quàm ut trinus: ſed Deus ut unus poteſt ratione naturali cognoſci; ergo etiam Deus ut trinus.

Reſpondeo, diſt. maj. Deus ut unus in ratione cognoſcibilis quoad quid eſt, quàm &c. conc. maj. in ratione cognoſcibilis quoad an eſt, nego maj. Deus ergo ut unus licèt entitativè & quoad quid eſt, ſive ut in ſe, ſupernaturalis ſit, ideòque quidditativè, & ut in ſe eſt nequeat cognitione naturali cognoſci; in ratione tamen cognoſcibilis quoad an eſt, non eſt determinatè ſupernaturalis; quia huiuſmodi cognoſcibilitas non fundatur in entitate Dei, ut in ſe eſt, ſed ut dicit habitudinem, & connexionem cum effectibus; quia effectus demonſtrant eſſe ſuæ cauſæ. Cumque Deus ut unus, cui convenit eſſe cauſam, nedum dicat connexionem, & habitudinem ad effectus ſupernaturales, ſed

etiam ad naturales; ideò ex effectibus naturalibus cognoſcibilis eſt exiſtentia Dei ut unius. At Deus ut trinus, & in ſe ſupernaturalis eſt, & cum nullo effectu naturaliter cognoſcibili, imò cum nullo extra Deum, connexionem habet: *propria* enim *Perſonarum* (inquit D. Thom. qu. 10. de verit art. 13.) *ſunt relationes, quibus Perſonæ non ad creaturas, ſed ad invicem referuntur: unde naturali cognitione in propria Perſonarum devenire non poſſumus.*

XVIII. Quintò objicies. Effectus ad extra ponuntur à tota Trinitate, cujus indiviſa ſunt opera ratione naturæ, & potentiæ communis; ergo ſi ratione naturali cognoſcitur natura, & potentia communis, cognoſcentur tres Perſonæ, in quibus eſt: ſicut qui cognoſceret virtutem ſpirativam communem Patri, & Filio, cognoſceret Perſonam Patris, & Filii.

Confirmatur. Qui cognoſcit Deum unum, ſeu divinam naturam eſſe, cognoſcit ſaltem implicitè Trinitatem, quia cognoſcit id, in quo eſt Trinitas, ſeu id quod eſt Trinitas.

XIX. Reſpondeo, negando conſeq. & do diſparitatem. Nam virtus ſpirativa non eſt prædicatum abſolutum, eſſentiale, & toti Trinitati commune, ſed notionale tangens ex ſuo formali conceptu duas Perſonas diſtinctas: exprimit enim amorem amicabilem mutuum correlativum, ideòque inter duos: quapropter qui hanc virtutem ſpirativam cognoſceret, cognoſceret quoque Perſonas ſpirantes. At virtus creativa, ſeu omnipotentia eſt prædicatum prorsùs abſolutum, & commune, conveniens perſonis, non ut inter ſe ſunt diſtinctæ, ſed ut ſunt in eſſentia unum; cauſare enim ad extra dicuntur Perſonæ, non quidem perſeitate cauſæ, ſed ſolùm perſeitate rei; & ideò cognoſcens vim cauſativam, cognoſcit quidem, dari Deum unum, Deum tamen eſſe trinum in Perſonis cognoſcere nequit.

Ad conf. nego ant. ut enim aliquid implicitè cognoſcatur, non ſatis eſt cognoſcere id, in quo eſt, ſeu cum quo idem eſt; ſed requiritur præterea, ut ex eo cognito per argumentationem colligi poſſit. At ex eſſentia Dei cognitâ per vires naturæ colligi non poteſt Trinitas Perſonarum, propter rationes allatas; & ideò &c.

XX. Ex his omnibus colligitur, erraſſe Raymundum Lullum, qui cenſuit, evidenter demonſtrari poſſe divinarum Perſonarum Trinitatem; imò & omnes fidei articulos per rationes neceſſarias, & evidentes abſque ulla ſupernaturali illuſtratione. Ut enim refert Eymericus *direct. Inquiſ. qu. 9. par. 2.* aſſerebat Lullus: *Fidem eſſe quidem neceſſariam hominibus inſciis, ruſticis, miniſtralibus, & non habentibus intellectum elevatum, qui neſciunt cognoſcere per rationem, & diligunt cognoſcere per fidem ...., ſed homo ſubtilis faciliùs trahitur per rationem, quàm per fidem.*

QUÆSTIO II.

De Divinis Proceſſionibus.

STatutâ, ut par erat, Trinitate Perſonarum in Deo, quæ Religionis Chriſtianæ Articulus fundamentalis eſt, ac præcipuus; videndus eſt modus, quo divinæ Perſonæ inter ſe diſtinguuntur. Quia verò communiter dicitur, eas diſtingui ſecundum relationes originis; ideò de origine, ſeu proceſſione unius Perſonæ ab alia diſputationem inſtituere oportet.

DUBIUM I.

An in Divinis dentur reales Proceſſiones, & quot?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Proceſſionis nomine nil aliud venit, quàm emanatio, ſeu origo unius ab alio: ſic fluvius dicitur procedere à fonte, quia ab eo emanat; ſic radius à Sole, quòd ab eo oriatur.

Proceſſio unius ab alio duplex eſt, tranſiens, & immanens. Prior eſt ea, quâ aliquid extra principium emanat, ſeu quâ principium, ſeu cauſa operatur aliquid extra ſe: hac ratione proceſſio radii à Sole, quo aer illuminatur, ſeu caloris ab igne, quo aqua calefit, appellatur tranſiens, quia lux extra Solem, & calor extra ignem emanat in aliud; ſeu quia Sol, ex quo radius procedit, & ignis, ex quo calor emanat, extra ſe agunt, nimirum Sol in aerem, & ignis in aquam. Poſterior verò eſt, quâ aliquid intra principium emanat, ſeu quâ principium, ſeu cauſa non operatur in ſubiectum extra ſe poſitum: ſic intellectio eſt actio, & proceſſio immanens, quia ab intellectu procedit, ut ipſe (non alius) fiat intelligens; neque ut fiat intelligens, neceſſe eſt, ut exeat extra ſe ipſum, ſeu ut operetur in ſubjectum, quod extra ipſum intellectum poſitum ſit.

Proceſſionem ad extra relinquimus modò, cùm certum ſit Deo convenire; omnes enim res creatæ à Deo procedunt. Quæſtio agitur de proceſſionibus immanentibus, quarum nimirùm termini in Deo ſiſtant.

II. Porrò: Proceſſio immanens, ſeu tranſiens alia eſt proceſſio unius ab alio, ut à cauſa: alia eſt proceſſio unius ab alio, ut à puro principio. Illa dicit in termino procedente dependentiam à principio, à quo recipit eſſe, ut patet in proceſſione luminis à Sole; lumen enim à Sole in aerem procedit, cum dependentia à Sole. Iſta verò dicit in termino procedente eſſe acceptum quidem à principio à quo oritur, ſed abſque ulla dependentia; quia illud idem eſſe, quod eſt in principio fluit in terminum; ſicut eadem aqua, quæ eſt in fonte fluit, & manat in fluvium. His explicatis.

§. II.

Reſolutiones Dubii pro prima parte.

III. Dico primò. Dantur in Deo proceſſiones immanentes, quibus una Divina Perſona ab alia procedit. Eſt veritas de Fide revelata in Scripturis, tùm *Joann.* 8. *v.* 42. ubi Chriſtus de ſe: *Ego* (inquit) *ex Deo proceſſi*. Et cap. 7. v. 29. *Ego ſcio eum* (Patrem) *quia ab ipſo ſum*. Tùm *Eccleſ.* 24. *v.* 5. de divina Sapientia dicitur: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Hùc quoque ſpectant textus omnes, quibus Filius dicitur accepiſſe à Patre, primò Vitam. Joann. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*: Doctrinam: Joann. 7. v. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*: Poteſtatem: Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*. Et de Spiritu Sancto dicitur Joann. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Propterea veritas hæc in pluribus Conciliis definita fuit: Nicæno I. Conſtantinopolitano I. Lateranenſi, Florentino &c. & in omnibus Fidei Symbolis inſerta; præſertim in Nicæno, ubi Filius dicitur: *Deus de Deo, lumen de lumine, genitus non factus. Spiritus Sanctus autem qui à Patre*, Filioque *procedit*: quamvis verbum *Filioque* non in Nicæno poſitum, ſed poſtea additum fuerit, ut dicetur. In hoc conve-

veniunt Patres quotquot de Trinitate ſcripſerunt; quos hùc adducere nimis prolixum eſſet.

IV. Probatur hoc ratiocinio. Inter divinas Perſonas datur realis diſtinctio, ut ſuperiùs probatum eſt contra Sabellium: Sed hæc in nullo alio fundari poteſt, quàm in origine, & proceſſione unius ab alia; ergo &c. Minor probatur. Omnis diſtinctio in divinis, quæ realis ſit, non in alio fundari poteſt, quàm in aliqua relativa oppoſitione: non enim fundari poteſt in limitatione, cùm Deus illimitatus in omni genere ſit, & in Deo omnia ſint unum, ubi non obſtat relativa oppoſitio: ſed relativa oppoſitio in Deo non in alio fundari poteſt, quàm in origine, & proceſſione unius ab alio; ergo &c. Min. probatur. Omnis relativa oppoſitio, vel fundatur in ſimilitudine, aut æqualitate; aut in menſura, & menſurato; aut in productione, ſeu proceſſione: Sed oppoſitio relativa inter divinas Perſonas non poteſt fundari in ſimilitudine, aut æqualitate. Tùm quia divinæ Perſonæ non ſunt ſimiles, aut æquales in natura, ſed ejuſdem omnino naturæ divinæ. Tùm quia æqualitas, aut ſimilitudo non cauſat diſtinctionem, ſed eam ſupponit. Nec etiam fundari poteſt in ratione menſuræ, & menſurati. Tùm quia Perſonæ infinitæ perfectionis, quales ſunt divinæ, non poſſunt habere menſuram ſuæ perfectionis. Tùm quia relationes fundatæ in menſura, & menſurato non ſunt mutuæ: menſura enim non refertur ad menſuratum, Perſonæ autem divinæ mutuò referuntur; ergo ſupereſt, ut relativa oppoſitio inter illas ſit fundata in productione, ſeu proceſſione, quâ una Perſona originem trahit, & procedit ab alia.

V. Dices. Poſſe Perſonas divinas adhuc invicem relativè opponi, & diſtingui, etiam abſque origine unius ab alia, relationibus nimirùm diſparatis, & proinde diſtinctis; ſicut dicit Scotus, quòd Spiritus Sanctus, etſi non procederet à Filio, adhuc realiter diſtingueretur ab illo relatione diſparatâ.

VI. Sed contrà. Relationes non dicunt incommunicabilitatem, & conſequenter, nec diſtinctionem, niſi reſpectu termini ſibi correlativè oppoſiti: atqui relationes diſparatæ non ſe invicem reſpicerent, ut terminos relativè oppoſitos; ergo non dicerent invicem incommunicabilitatem, & diſtinctionem, ſed potiùs invicem communicabiles eſſent; & cùm omnis communicatio inter prædicata divina, ſit per identitatem, fieret inde, quòd relationes illæ diſparatæ divinæ invicem identificarentur, & tolleretur Trinitas Perſonarum: ſicut quia ſpiratio activa, & paternitas, eſtò diſparatæ, invicem tamen relativè non opponuntur, communicabiles ſunt, ideòque ſunt unum, & idem realiter.

Quòd verò Filius, etſi non produceret Spiritum Sanctum, adhuc ab illo diſtingueretur, ut vult Scotus, quamquam noſtrum non ſit reſpondere, adhuc tamen dicimus, latam eſſe diſparitatem. Nam Scotus non loquitur de Perſonis omnino improductis, nec ſentit, quòd ſi Perſonæ divinæ eſſent omnino improductæ, adhuc diſtinguerentur inter ſe; ſed loquitur de Perſona producta, nempe de Spiritu Sancto, quem dicit ex vi proceſſionis à ſolo Patre eſſe conſtitutam in ratione Perſonæ diſparatæ à Perſona Filii: & propterea, etſi à Filio non procederet, adhuc eſſet Perſona alia, & diſtincta à Filio.

VII. Dico ſecundò. Proceſſiones inter divinas Perſonas non ſunt unius ab alio, ut à cauſa, ſed ut à puro principio originis. Probatur. Quælibet Perſona divina procedens procedit in eodem omnino eſſe cum Perſona, à qua procedit; ita ut eſſe, quod accipit Filius à Patre, ſit idem omnino eſſe Patris, & eſſe, quod accipit Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ſit idem omnino eſſe Patris, & Filii communicatum, Filio quidem per generatio-

nem,

nem, Spiritui Sancto autem per proceſſionem: ſic ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſint unius eſſentiæ, & unus Deus, ut contrà Arianos, & Macedonianos probatum eſt, ergo Perſona procedens reſpicit eam, à qua procedit non ut cauſam ſui, ſed ut principium; quia cauſa in quantum talis non communicat ſuum eſſe effectui, ſed in eo producit eſſe diverſum, ideòque quod non ſit eſſe à ſe, ſed ab alio dependens: ratio autem puri principii ſolùm dicit originem, cum qua ſtat, quòd idem omnino eſſe ſit in eo, à quo oritur, & in eo quod oritur; in uno ut dante, & communicante, in altero ut accipiente.

VIII. Hic advertenda eſt doctrina D. Thom. *qu.* 10. *de potentia art.* 1. *ad* 9. Nempe: *quod inter omnia ad originem ſpectantia magis convenit in Divinis hoc nomen* principii. *Quia enim divina comprehendi à nobis non poſſunt, convenientiùs à nobis ſignificantur per nomina communia, quæ indefinitè aliquid ſignificant, quàm per nomina ſpecialia, quæ definitè rei ſpecies exprimunt. Unde hoc nomen* qui eſt, *quòd ſecundùm Damaſcenum ſignificat ſubſtantiæ pelagus infinitum, convenientiſſimum nomen Dei dicitur eſſe* Exod. 3. *Sicut autem cauſa communior eſt, quàm elementum, quòd ſignificat aliquid primum, & ſimplex in genere cauſæ materialis: ita etiam principium eſt communius, quàm cauſa. Nam prima pars motus, vel linea dicitur* principium, *ſed non* cauſa. *In quo patet, quòd* principium *poteſt dici aliquid, quod non eſt ſecundùm eſſentiam diſtinctum, ut punctum lineæ; non autem cauſa, maximè ſi loquamur de cauſa originante, quæ eſt cauſa efficiens.*

Et proſequitur: *Quamvis autem Pater dicatur eſſe principium Filii, & Spiritus Sancti: non tamen videtur indifferenter dicendum, quòd Filius ſit principiatum, vel etiam Spiritus Sanctus, licèt etiam hoc modo loquendi Græci utantur, & poſſit apud ſanè intelligentes concedi. Tamen ea, quæ minorationem aliquam importare videntur, refugere debemus, ne Filio, vel Spiritui Sancto attribuantur, propter Arianorum errorem vitandum. Sicut Hilarius, etſi concedat, Patrem eſſe majorem Filio, propter auctoritatem originis, non tamen concedit quòd Filius ſit minor Patre, cui eſt æquale eſſe donatum à Patre. Et ſimiliter non eſt extendendum nomen ſubauctoritatis vel principiati in Filio, licèt nomen auctoritatis, vel principii concedatur in Patre.* Hactenùs D. Thom. quod docuit etiam 1. *part. qu.* 33. *art.* 1. *ad* 2. *& ad* 1. ubi ait: *Quod Græci utuntur in divinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principii, ſed Latini Doctores non utuntur nomine cauſæ, ſed nomine principii.* Et data ratione ut ſupra, quia principii nomen eſt communius, quàm cauſa, nomina autem communia convenientiùs aſſumuntur in divinis: *Quia nomina quantò magis ſpecialia ſunt, tantò magis determinant modum convenientem creaturæ*, ſubdit: *Unde hoc nomen cauſa videtur importare diverſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper invenitur diſtantia inter cauſam, & id, cujus eſt cauſa, ſecundùm aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his, quæ nullam hujuſmodi differentiam habent, ſed ſolùm ſecundùm quendam ordinem; ſicut cùm dicimus punctum eſſe principium lineæ; vel etiam cùm dicimus frontem lineæ eſſe principium lineæ.* Hoc idem docet qu. 10. de Potentia art. 1. ad 8.

Ex quibus apparet, quòd etſi aliqui Patres Græci nomine cauſæ in divinis uſi ſint, hoc contingit, ait D. Tho. citato loco de pot. ad 8. *Quia Græci abſolutiùs utuntur nomine cauſæ, ex ipſo ſolam originem ſignificantes... Aliquid enim inconvenienter in lingua latina dicitur, quod propter proprietatem idiomatis convenienter in lingua græca dici poteſt. Non autem oportet, ſi nomen cauſæ confitemur in divinis ſecundùm Græcos, quòd eodem modo accipiatur, ſicut*

cùm

cùm de creaturis dicitur. Mentem Sancti Thomæ fuſè exponere placuit: quia ex ea diſcere poterit ſtudioſus modum cautè in hoc Myſterio loquendi, & rurſus hæreticis illud oppugnantibus occurrere. Reliqua inferiùs ſolvemus.

§. III.

Solvuntur contraria.

IX. PRimò objicitur. Omne procedens poſterius eſt eo, à quo procedit: ſed inter divinas Perſonas non datur prius, & poſterius, cùm omnes invicem coexiſtant; ergo &c. Major probatur. Nomen enim principii à prioritate ſumitur.

Reſpondeo, neg. maj. Id enim, quod procedit ab alio, ut à puro principio, dicit quidem ordinem originis ad illud, non tamen ordinem poſterioris ad prius. Ad probat. reſpondeo cum D. Thoma 1. par. qu. 33. art. 1. ad 3. quòd *licèt hoc nomen Principium, quantùm ad id à quo imponitur ad ſignificandum, videatur à prioritate ſumtum, non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem. Non enim idem eſt, quod ſignificat nomen, & à quo nomen imponitur*. Quod repetit qu. 10. de potentia art. 1. ad 10. & 1. part. qu. 42. art. 3. *In divinis* (inquit) *dicitur principium ſecundùm originem abſque prioritate... & hic vocatur ordo naturæ ſecundùm Auguſtinum* (lib. 2. contrà Maximin. cap. 14.) *non quò alter ſit prius altero, ſed quo alter eſt ex altero*. Quatenùs licèt Perſonæ divinæ ſemper fuerint, una tamen ſemper fuit cum ordine originis ab alia, ſicut (proportione tamen ſervatâ) licèt fluvius ab æterno fuiſſet, ſemper fuiſſet cum ordine originis, ac ſemper emanaſſet à ſuo fonte. Quare Gregorius Nazianzenus orat. 35. *Quid ergo, inquies, ſi Filius, & Spiritus Sanctus Patri coæterni ſunt, quid afferri poteſt, quin principii quoque, quemadmodum & ille, ſint expertes?* Cui ſic reſpondet: *Quia ab ipſo ſunt, licèt non poſt ipſum. Quòd enim principio caret, æternum quoque eſt: quòd autem æternum eſt, non protinùs quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem velut ad principium, & originem refertur*.

X. Secundò objicitur. Perſona divina debet eſſe à ſe, aliàs non eſſet Deus; cùm Deus ſit eſſentialiter ens à ſe, & non ab alio: ſed Perſona procedens non eſt à ſe, ſed ab alio; ergo &c.

Confirmatur. Eſſe Perſonæ, quæ ſit ſubſtantialiter Deus non poteſt eſſe receptum ab alio; quia quod habet eſſe ab alio receptum, non habet eſſe ex ſe, & à ſe, ſed indiget alio, ut ſit: ſed Perſonæ procedentes haberent eſſe ab alio receptum; ergo &c.

XI. Reſpondeo, diſt. maj. & non ab alio, ut à cauſa, conc. maj. ut à puro principio originis, nego abſolutè maj. & eodem modo diſtinctâ min. nego conſeq. eſt quidem contra eſſentiam Dei, qui eſt primum ens, & prima cauſa, quòd procedat ab alio, ut à cauſa; aliàs haberet eſſe dependens, & diverſum ab eſſe cauſæ, quod eſt contrà eſſentiam Dei, & cujuſcumquæ prædicati divini, quod eſſentialiter debet eſſe ens à ſe, unum, ac independens à quocumque. Procedere autem ab alio, ut à puro principio originis, licèt non ſit de eſſentia Dei, cum Pater ſit Deus, & à nullo naſcatur, ſeu procedat; non tamen eſt contra eſſentiam Dei, aut Perſonæ divinæ. Ita ſenſerunt Nicæni Patres, qui *Chriſtum Filium Dei Unigenitum, èx Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum*, declararunt. Ratio autem eſt: quia cùm Perſona procedens ab alia, ut à puro principio ſuæ originis, accipiat idem numero eſſe cum eo, quod habet Perſona, à qua procedit; ideò ſicut eſſe Perſonæ à qua procedit, eſt à ſe, & divinum, ita à ſe & divinum erit eſſe, quod communicatur Perſonæ procedenti. Nec etiam Perſona

ſona

ſona procedens excogitari poteſt dependens ab ea, à qua procedit. Non quidem in eſſe, quod accipit; quia dependentia eſt inter duo diverſa, eſſe autem, & natura in Perſona producente, & productâ eadem omnino ſunt: quare ſi abſque dependentia eſt in producente, erit quoque in Perſona procedente, & productâ. Nec etiam in perſonali proprietate; cùm enim hæc ſit relatio, ex parte ejus dependentia attendi non poteſt, quia relativa ſunt ſimul natura; unde inter illa dependentia excogitari non poteſt, quæ neceſſariò dicit prioritatem, & poſterioritatem cauſalitatis, ſed ſolus ordo originis; quatenùs licèt ambo ſimul ſint, & ſimul intelligantur, unum tamen concipitur, ut principium originis, alterum ut terminus; unum ut dans, alterum ut accipiens.

XII. Simile argumentum S. Gregorio Nazianzeno opponebat Eunomianus *Orat.* 35. Ajebat enim: non idem ſunt genitum, & ingenitum; ergo nec Filius cum Patre idem eſt; ergo alteruter à divinitate ſubmoveri debet. Probabat aſſumtum: nam, vel ingenitum eſſentia Dei eſt, vel genitum. Si primum; ergo genitum Deus non eſt. Si ſecundum; ergo ingenitum Deus non erit.

Cui S. Gregorius præfatus ſic reſpondet: ſi per hæc verba ingenitum, & genitum nihil aliud intelligis, quàm increatum, & quod creatum, *in eadem ipſe quoque ſum ſententia: neque enim naturâ idem eſt, quod principio caret, & quod procreatum eſt. Sin autem his verbis eum qui genuit, & eum qui genitus eſt, accipis, haud quaquam rectè id abs te dicitur. Idem enim omnino eſſe neceſſe eſt; Hac quippe geniti natura eſt, ut idem, ſi naturam ſpectes, ſit cum eo, qui genuit.* Deinde ſic proſequitur: *Quid per ingenitum, & genitum intelligis? Si ipſam ingeniti, & geniti proprietatem, non idem ſunt. Si verò intelligis ea, quibus hæc inſunt, quid vetat quominus idem ſint?* Et hoc explicat exemplo; nam inſipiens, & ſapiens inter ſe quidem non idem ſunt; in eodem tamen homine conſiderantur, *nec ſubſtantias ſcindunt, ſed circa eandem ſubſtantiam ſcinduntur.* Fortè ingenitum & genitum circa eandem naturam eſſe non poſſunt? at Adam à ſolo Deo factus fuit, & non genitus; qui tamen homo eſt ejuſdem naturæ, ac ille, qui ab eo genitus eſt: eſſe enim genitum, vel ingenitum proprietas, & conditio Perſonæ eſt, non natura. *Si magnum eſt Patri à nullo profectum eſſe, non minus illuſtre Filio erit ex tali Patre prodiiſſe: nam præterquam quòd gloria illius, qui cauſam à nullo habet, particeps eſt; quia ex eo eſt, accedit etiam generationis decus.*

At, inquiet. Si Filius ejuſdem eſſentiæ cum Patre eſt: ſi Pater ingenitus eſt, Filius quoque ingenitus eſſe deberet. Reſpondet: *Rectè, ſi ingenitum eſſentia Dei diceretur*, & non potius Perſonæ proprietas. At eſſe ingenitum eſſentia Dei non eſt: Ingenitum enim, & genitum ſe habent ut privatio, & habitus; privatio autem deſtruit habitum, & habitus privatione prior eſt; ergo & Pater deſtrueret Filium, & Filius Patrem; & Filius præcederet Patrem. Rurſus: *quoniam habitus privationibus priores ſunt, ac privationes habitus ipſos extinguunt, non ſolùm antiquior erit Filii eſſentia, quàm Patris, ſed etiam à Patre extinguetur, ac de medio tolletur.* Ita diſcurrit Nazianzenus.

XIII. Ad confirm. dico, quòd licèt eſſe Perſonæ divinæ non poſſit eſſe receptum, ideſt cauſatum, poteſt tamen eſſe communicatum. Ratio eſt: quia eſſe cauſatum poteſt quidem eſſe ſimile cum eo, quod eſt in cauſa, ſed non poteſt eſſe omnino idem. At eſſe purè communicatum eſt omnino idem cum eſſe, quod eſt in communicante. Sic licèt Filius habeat eſſe ſibi communicatum à Patre, habet tamen idem omnino eſſe, ac eandem numero naturam, quam habet Pater, & conſequenter ſubſtantialiter divinam.

Ne-

Digitized by Google

Neque ex eo quòd Filius accipiat eſſe à Patre dici poteſt indigens. Eſſet quidem indigens, ſi aliquando fuiſſet, aut potuiſſet eſſe Pater, quin eſſet Filius, ac Filius potuiſſet carere tali eſſe: at cùm Pater non potuerit eſſe, quin Filio communicaret eſſe & Patri æquè eſſentiale ſit habere eſſe divinum, & illud Filio communicare; & rursùs cùm Filius, nec unquam fuerit, nec potuerit eſſe abſque eſſe ſibi communicato à Patre, non poteſt eſſe indigens illo. *Recipiens* enim (ait D. Thom. qu. 10. de potentia art. 1. ad 13.) *antequam recipiat indiget: ad hoc enim accipit, ut indigentiam repleat. Sed poſtquam jam acceperit non indiget, habet enim, quo indigebat. Si ergo aliquid eſt, quod receptioni non praexiſtit, ſed ſemper eſt in recepiſſe, hoc nullo modo eſt indigens. Filius autem non ſic accipit à Patre, quaſi priùs non habens, & poſtea accipiens; ſed quia hoc ipſum quod eſt, habet à Patre: unde non ſequitur, quòd ſit indigens.*

XIV. Sed contra primò. *Creatura qualibet eſt indigentis natura, & tamen non praexiſtit receptioni, quâ recipit eſſe à Deo. Non ergo excludit indigentiam à recipiente hoc, quod receptioni non praexiſtit.*

Contrà ſecundò. *Quòd non habet aliquid, niſi ſecundùm quòd recipit illud ab alio, in ſe conſideratum caret illo; ſicut aer in ſe conſideratus caret lumine, quod ab alio recipit. Si ergo Filius & Spiritus Sanctus non habent eſſe, niſi per hoc quòd recipiunt à Patre, quod oportet dicere, ſi à Patre procedunt, neceſſe eſt, quòd, ſi in ſe conſiderentur, ſint nihil. Quod autem in ſe conſideratum nihil eſt, ſi habeat eſſe ab alio, oportet, quòd ex nihilo ſit, & ita quòd ſit creatura &c.* Ita ſibi opponit laudato loco D. Thomas 14. & 15. argumento.

Quibus reſpondet: *Ad 14. dicendum, quòd creatura accipit à Deo eſſe quoddam, quod non eſſet permanens, niſi divinitùs conſervaretur. Et ideò etiam poſtquam eſſe accipit, indiget divinâ operatione, ut conſervetur in eſſe, & ſic eſt natura indigentis. Filius autem accipit à Patre idem numero eſſe, & eandem naturam numero, quam Pater habet. Unde non eſt natura indigentis.* Addi poteſt, quòd creatura ſic accipit eſſe, ut potuerit eo carere, at Filius ſic accipit eſſe, ut eo carere non potuerit, ſicut nec Pater.

Ad alterum reſpondet: *Ad 15. dicendum, quòd Filius in ſe conſideratur, ſecundùm illud, quod abſolutè habet, quod eſt Patris eſſentia, & ſecundùm hoc non eſt nihil, ſed unum cum Patre; ſecundùm verò quod refertur ad Patrem conſideratur, ut recipiens eſſe à Patre. Unde nec ſic etiam eſt nihil. Et ita nullo modo Filius eſt nihil. Eſſet autem in ſe conſideratus nihil, ſi eſſet in eo aliquid abſolutum diſtinctum à Patre, ſicut eſt in creaturis.*

XV. Tertiò objicitur. Eſſe, quod identificatur cum alio realiter diverſo, debet eſſe realiter diverſum: ſed eſſe Perſonæ productæ, puta Filii, identificatur cum Filio, qui eſt relativè oppoſitus, & realiter diſtinctus à Perſona Patris producentis; ergo eſſe Filii non eſt idem cum eſſe Patris. Major explicatur: quia enim eſſe, quod eſt in Petro identificatur cum Petro, qui realiter diſtinguitur à Paulo; ideò eſſe, quod eſt in Petro diſtinguitur realiter ab eſſe, quod eſt in Paulo.

XVI. Reſpondeo, majorem eſſe veram, quando eſſe identificatur cum realiter diverſo, cujus diverſitas oritur ex limitatione; ſecùs verò, ſi identificetur cum realiter diverſo, cujus diverſitas oritur ex pura oppoſitione relativa, ut contingit in divinis Perſonis. Tunc enim non oportet, ut diverſitas extendatur ad ipſum eſſe. Cùm autem tota diverſitas inter divinas Perſonas ex oppoſitione relativa oriatur, & ipſum eſſe, ſeu natura Perſonæ producentis, non opponatur relativè cum eſſe Perſonæ productæ; ideò quamvis eſſe relativum productum ſit diverſum realiter à producen-

cente, non tamen eſſe abſolutum erit diverſum ab illo.

Ex quibus patet etiam, quòd Perſona producens non eſt perfectior Perſonâ productâ; quia Perſona producta accipit omnem, imò eandem perfectionem Perſonæ producentis, cùm eidem communicet eandem eſſentiam cum omnibus attributis. Sed de his inferiùs.

§. IV.

De numero Divinarum Proceſſionum, quæ eſt ſecunda pars.

PRoceſſio conſiderari poteſt activè; & ſic eſt actio, quâ Perſona producit: & rurſùs paſſivè; & ſic dicit terminum productum, ſeu Perſonam procedentem. His ſtantibus.

XVII. Dico ſecundò. Duæ tantùm ſunt in Deo proceſſiones Paſſivæ. Probatur. Duo tantùm ſunt termini producti per proceſſiones activas divinas, nempe Verbum, & Spiritus Sanctus: Pater enim, cùm ſit fons, origo, & Principium totius Deitatis, ita alias Perſonas producit, ut ipſe à nulla alia perſona produci poſſit. Quapropter ejus character, & perſonalis proprietas, eſt eſſe innaſcibilem, & ingenitum, ut oſtendit D. Thom. 1. *par. qu.* 33. *art.* 4. Ergo duo tantùm ſunt termini &c. ſeu paſſivæ proceſſiones.

XVIII. Dico tertiò. Duæ ſolùm ſunt in Divinis proceſſiones activæ, duæ inquam, virtualiter diſtinctæ, non realiter. Hæc ſecunda pars conſtat; quia activæ proceſſiones in Deo ſunt actus, quibus divinæ Perſonæ procedunt: ſed actus in Deo realiter non multiplicantur, ſed ſolum virtualiter, quia quidquid divinum ad genus abſolutum pertinet, unum realiter, ac ſimplex eſt; ergo &c. Major patet: quia, ut dicemus, proceſſio activa Verbi eſt actus divini intellectus; proceſſio verò activa Spiritus Sancti eſt actus divinæ voluntatis.

Prior verò pars probatur ex D. Thoma 1. *par. qu.* 27. *art.* 5. Primò. Quia tot ſunt proceſſiones, quot ſunt procedentes: ſed procedentes ſunt tantùm duo, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus, ut dictum eſt; ergo duæ tantùm ſunt proceſſiones. Secundò. Proceſſiones enim activæ in divinis accipi non poſſunt, niſi ſecundùm actiones, quæ in agente manent; atqui hujuſmodi actiones in natura intellectuali, & divinâ non ſunt niſi duæ, ſcilicet intelligere, & velle: *Nam ſentire, quod etiam videtur eſſe operatio in ſentiente, eſt extra naturam intellectualem, neque totaliter eſt remota à genere actionum, quæ ſunt ad extra. Nam ſentire perficitur per actionem ſenſibilis in ſenſum*; ergo &c. Maj. probata fuerat à D. Tho. eàdem quæſt. art. 1. *Cùm enim Deus ſit ſuper omnia, ea, quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundùm modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, à quibus etiam ſimilitudo accepta deficit à repræſentatione divinorum. Non ergo accipienda eſt proceſſio ſecundùm quòd eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicujus cauſæ in exteriorem effectum, ut calor à calefaciente in calefactum; ſed ſecundùm emanationem intelligibilem verbi intelligibilis à dicente*, & impulſus ab amante, quæ manent in ipſo.

XIX. Contrà dicta argues primò. Sicut aliquid poteſt eſſe procedens à procedente, ità poteſt aliquid eſſe natum ex nato, ut patet in hominibus, in quibus is, qui naſcitur ab uno, habet alium de ſe natum: ſed in divinis datur proceſio procedentis à procedente, nempe Spiritus Sancti à Filio; ergo dari poterit quoque proceſſio nati a nato, nempe Filii à Filio.

XX. Confirmatur. Major eſt fæcunditas in Deo, quàm in nobis: ſed in nobis non eſt tantùm una proceſſio verbi, ſed multæ, quia in nobis ex uno verbo procedit aliud verbum, & ſi-

Digitized by Google

& ſimiliter ex uno amore alius amor; ergo &c.

XXI. Reſpondetur, Spiritum Sanctum procedere à procedente, nimirùm à Filio, non eâdem proceſſionis ſpecie, ſcilicet ut natus ex ipſo, ſed ut amor, & impulſus: duæ autem proceſſiones diverſæ ſpeciei dari poſſunt in Deo, non verò duæ proceſſiones ejuſdem ſpeciei, puta duæ proceſſiones Verbi, vel Amoris.

XXII. Ad confirmationem, reſpondet S. Thomas 1. par. qu. 27. art. 5. ad 3. *Quod Deus unico actu omnia intelligit, & ſimiliter omnia vult: unde in eo non poteſt eſſe proceſſio Verbi ex Verbo, neque Amoris ex Amore: ſed eſt in eo ſolùm unum Verbum perfectum, & unus amor perfectus; & in hoc ejus perfecta fœcunditas manifeſtatur.* Ita D. Thom. Sicut enim per hoc, quòd uno actu omnia intelligat, & uno actu omnia amet, ejus ſumma vis in cognoſcendo, & amando apparet; ita per hoc, quòd uno Verbo omnia dicat, & unico impulſu omnia amabilia complectatur, ejus ſumma fæcunditas manifeſtatur.

Ex quibus patet, impoſſibile eſſe in Deo aliud Verbum, & alium impulſum procedere. Quotieſcumque enim aliqua potentia producit totum effectum, quem poteſt producere, impoſſibile eſt, alium effectum per eam produci: atqui Pater æternus, gignendo Filium per omnia ſibi æqualem, coæternum, & conſubſtantialem, totum producit, quod ejus potentiâ generativâ produci poteſt, nec in divinis alia potentia generativa eſt; & idem dicito de potentia ſpirativa; ergo impoſſibile eſt, in divinis alium Filium generari &c. Quia verò in humanis unicus filius nec adæquat potentiam generativam, nec ſpeciem humanam, & diverſa potentia generativa eſt in Filio genito, ac ſit in generante, diverſam enim potentiam, ſicut & naturam, accipit à genitore homo, qui gignitur; idcircò poteſt in humanis homo, qui gignitur, habere alium ex ſe genitum, & ex ſe natum.

XXIII. Argues ſecundò. Eſt in divinis proceſſio per modum naturæ, ſecundùm quam Filius nominatur: eſt etiam proceſſio per modum intellectus, ſecundùm quam nominatur Verbum: eſt inſuper proceſſio per modum voluntatis, ſecundùm quam nominatur amor; ergo ſunt tres proceſſiones.

Reſpondeo ex D. Thom. *qu.* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 11. quòd in divivinis proceſſio, quæ eſt per modum intellectus non diſtinguitur à proceſſione, quæ eſt per modum naturæ, propter tria. Primò. Quia ſicut proceſſio, quæ eſt per modum naturæ eſt prima, nec præexigit aliam proceſſionem; ita proceſſio, quæ eſt per modum intellectus, ad differentiam proceſſionis per modum voluntatis, quæ neceſſariò præexigit proceſſionem, quæ eſt per modum intellectus. Secundò. Quia ſicut natura intendit producere ſimilitudinem ſui; ita intellectus, tàm intùs, quàm extra. Intùs quidem ſicut Verbum eſt ſimilitudo rei intellectæ, & ipſius intellectus intelligentis ſeipſum: extra autem, ſicut forma intellecta ab artifice inducitur in artificiatum: ad differentiam voluntatis, quæ non intendit inducere ſimilitudinem, nec intra, nec extra; nec eſt ſimilitudo aliqua voluntatis, aut voliti, ſed quædam impreſſio relicta ex voluntate in volito, aut quædam unio unius ad alterum. Tertiò. Quia proceſſio naturæ eſt tantùm ab uno, ſicut ab agente, ſi ſit perfectum agens; & quamvis in animalibus generetur aliquid ex duobus, ſcilicet ex Patre, & Matre, ſolus tamen Pater eſt agens; ſimiliter autem proceſſio intellectus eſt ab uno ſolo: ſed amicitia, quæ eſt amor mutuus, procedit ex duobus invicem ſe amantibus. Ita ferè iiſdem verbis S. Thomas.

XXIV. Sed dices. Proceſſiones creaturarum ſunt ad exemplar proceſſionum divinarum; ſed in creatis alia

Digitized by Google

eſt proceſſio naturæ, ſecundùm quam homo generat hominem, & alia proceſſio intellectus, ſecundùm quam producit verbum; ergo & in divinis &c.

Reſpondetur, proceſſiones creaturarum maximè diferre ab exemplari proceſſionum divinarum. Primò. Quia in creaturis materialibus (in quibus ſolis eſt) proceſſio per modum naturæ materialis eſt, & non niſi naturali tranſmutatione perficitur; proceſſio autem intellectus immaterialis eſt: ideòque proceſſio naturæ in creaturis à proceſſione intellectus diverſa eſt. Secundò. Quia verbum, quod procedit in creaturis, dùm intelligunt, neque eſt ſubſiſtens, neque ejuſdem naturæ cum intelligente, ideòque quod procedit per intellectum, non poteſt procedere proceſſione naturæ, ſicut procedit quod generatur, quod procedit ut ſubſiſtens in eadem natura cum generante: Qui verò in divinis procedit per modum intellectus, procedit ut ſubſiſtens, & in eadem cum genitore ſubſtantia; ac proinde nihil obſtat, quin poſſit eſſe una, eademque proceſſio per modum intellectus, & per modum naturæ.

XXV. Argues tertiò. Proceſſio, quæ eſt in divinis debet procedenti communicare naturam divinam, quia omne, quod in Deo procedit, Deus eſt: ſed per proceſſionem, quæ eſt à voluntate non poteſt communicari natura, ut patet in creatis, & quia nihil accipere poteſt naturam, niſi viâ generationis; ergo &c.

Confirmatur. Quod procedit in natura procedit naturaliter, non voluntariè; ſed quod procedit per voluntatem procedit voluntariè, & cùm voluntas ſit libera, procedit etiam liberè, & poteſt procedere, & non procedere; ergo non poteſt procedere ut habens naturam divinam, neque ut ens neceſſarium, & à ſe, qualis debet eſſe Deus.

XXVI. Reſpondeo ex D. Thoma 1. par. qu. 27. art. 3. ad 2. *quod quid eſt in Deo Deus eſt, quod non contingit in aliis rebus. Et ideò per quamlibet proceſſionem, quæ non eſt ad extra, communicatur divina natura, non autem alia natura.* Idem docet *qu.* 10. *de potentia art.* 2. *ad.* 6.

Ad confirm. reſpondet D. Thomas *qu.*10. *de potentia art.*2.*ad* 4. Quòd licèt quod producitur per voluntatem non procedat per modum naturæ, quia hoc modo procedit ſolum id, cui ex vi proceſſionis communicatur natura; procedit tamen naturaliter, ſi naturaliter ad illud voluntas feratur. Cùm ergo Deus naturaliter amet ſuam bonitatem, ſicut etiam naturaliter intelligit ſuam veritatem, & quæcumque potentia naturaliter comparetur ad ſuum objectum; Ideò ſicut Filius naturaliter procedit à Patre, ut Verbum, ita Spiritus Sanctus procedit naturaliter ab eo, ut Amor: naturaliter, inquam, non per modum naturæ: *dicitur enim aliquid produci naturaliter propter naturalem habitudinem, quam habet ad ſuum principium; per modum verò naturæ produci dicitur, quod producitur ab aliquo principio ſic producente, ſicut natura producit.*

Neque proinde Spiritus Sanctus, etſi procedat per voluntatem, ſic liberè procedit, ut poſſit non procedere, ſed procedit neceſſariò, ut non poſſit non procedere: nec naturalis neceſſitas repugnat voluntati, ſed ſola violentia & coactio. Unde ſicut Deus ſuâ voluntate amat ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum, ſic Pater & Filius voluntate producunt Spiritum Sanctum, licèt de neceſſitate, ſeu naturaliter ipſum producant. Vide Divum Thomam mox citatum *ad* 5.

XXVII. Argues quartò. Si ponantur duæ proceſſiones in divinis, oportet, ut differant vel numero tantùm, vel ſpecie. Si numero tantùm; ergo utraque proceſſio erit ejuſdem ſpeciei, ſcilicet generatio, & uterque procedens erit Filius. Si verò differant ſpecie; ergo natura per proceſſionem communicata erit ſpecie diverſa. Sic enim ſpecie differt proceſſio hominis, & equi

equi à ſuo principio, non autem proceſſio Sortis & Platonis; ergo cum una tantùm ſit natura divina, non poſſunt eſſe duæ proceſſiones ſpecie differentes per hoc, quòd una eſt à procedente, alia non. Ita ſibi opponit D. Thom. *qu.* 10. *de potentia art.* 2. citato.

XXVIII. Cui (quod eſt 12.) reſpondet, proceſſiones in divinis diſferre, quaſi ſecundùm ſpeciem propter differentiam proprietatum perſonalium, licèt in procedentibus ſit una natura communis. *Sciendum* enim *eſt, quòd generatio in rebus creatis per ſe ordinatur ad ſpeciem: natura enim intendit generare hominem; unde & natura ſpeciei per generationem multiplicatur in rebus creatis. Proceſſio autem divina eſt ad multiplicationem hypoſtaſum, in quibus natura divina una numero invenitur.* Unde ex quo proceſſiones divinæ quaſi ſpecie differant, ſequitur quidem hypoſtaſes ſuis proprietatibus perſonalibus invicem differre ſpecie, ſeu potiùs quaſi ſpecie (cùm in divinis nec ſit genus, nec ſpecies propriè talis) non tamen, quòd natura, cujus ſunt illæ hypoſtaſes, ſpecie differat. Cujus etiam aliquale exemplum afferre poſſumus in creatis: nam Petrus, & Paulus, ſi conſiderentur quatenùs ſubſiſtunt in natura humana, unum ſpecie ſunt; ſi verò conſiderentur ſecundùm proprietates individuales, diſtinguuntur ſecundùm ſpeciem proprietatis.

XXIX. Tandem argues. Bonitas videtur eſſe principium proceſſionis, cùm bonum ſit ſui diffuſivum; ergo videtur ponenda tertia proceſſio ſecundùm bonitatem.

Reſpondetur ex S. Thom. 1. *par. qu.* 27. *art.* 5. *ad* 2. Quod bonitas pertinet ad eſſentiam, non ad operationem, niſi fortè ſicut objectum voluntatis. Unde cùm proceſſiones divinas ſecundùm aliquas actiones neceſſe ſit accipere; ſecundùm bonitatem, & alia hujuſmodi attributa, non accipiuntur aliæ proceſſiones, niſi Verbi, & Amoris; ſecundùm quòd Deus ſuam eſſentiam, veritatem, & bonitatem intelligit, & amat.

DUBIUM II.

De principio Divinarum Proceſſionum.

§. I.

Quædam pro intelligentia.

I. Duplex hæc in re diſtingui poteſt principium, unum dictum principium *quod*; aliud dictum principium *quo*. Principium *quod* eſt hypoſtaſis, ſuppoſitum, ſeu perſona, cui tribuitur operatio, tritum enim eſt axioma: actiones ſunt ſuppoſitorum. Principium *quo* eſt virtus, quâ principium *quod* operatur. Sit exemplum: dùm ignis calefacit, ſuppoſitum ignis eſt principium *quod* calefacit, calor autem eſt principium *quo*, ſeu virtus, quâ ignis calefacit.

II. Rursùs. Principium *quo* ſubdividitur in principium *quo* remotum, ſeu radicale; & principium *quo* proximum. Primum eſt illud, quo ſuppoſitum mediatè ſolùm, & radicaliter operatur. Secundum verò eſt, quo immediatè, & proximè operatur. Sicut dùm ſuppoſitum ignis calefacit, principium radicale eſt ipſa ſubſtantia, ſeu natura ignis; proximum verò eſt ipſe calor. Sic manus eſt principium *quo* remotum, & pennicillus eſt principium proximum *quo* pingendi; quia Pictor, qui eſt principium *quod*, immediatè pingit per pennicillum, mediatè verò per manum.

III. De principio *quod* divinarum proceſſionum non diſputamus: hoc enim certum eſt, eſſe ſuppoſitum, ſeu Perſonam, à qua alia procedit. Sic Pater eſt principium *quod* proceſſionis Filii; & Pater, & Filius ſunt principium *quod* proceſſionis Spiritus Sancti. De principio *quo* controverſia eſt, ſive proximo, ſive remoto; ſeu quænam ſit virtus, quâ una divina Perſona,

Digitized by Google

ſona, ſive immediatè, ſive mediatè producit alteram. Pro cujus reſolutione

§. II.

An eſſentia divina ſit principium quo *proximum.*

IV. Dico primò. Eſſentia divina non eſt principium *quo* proximè una Perſona producit aliam. Eſt contrà Durandum, qui propterea cenſurâ notatur, utpote in re gravi à communi Theologorum ſenſu recedens; & etiam à locutione Scripturæ, & Patrum. Scripturæ quidem: nam in Scripturis Filius vocatur *Verbum*, Spiritus Sanctus *Amor*, ſeu caritas: Verbum autem, & amor non procedunt immediatè à natura prævie ad intellectum, & voluntatem; ſed Verbum procedit medio intellectu, Amor mediâ voluntate. Patrum quoque: nam hi eodem modo, ac Scriptura Filium vocant Verbum, & Sapientiam; Spiritum Sanctum, Amorem. Gregorius Nazianzenus *orat.* 35. Cyrillus *lib.* 1. *in Joann. cap.* 5. *& lib.* 7. *Theſaur. cap.* 5. Baſilius *homil. in cap.* 1. *Joann.* Et inter cæteros S. Auguſtinus qui *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 10. oſtendit, Verbum eſſe in principio apud Deum ex ſimilitudine verbi, quod intra nos procedit. Et *cap.* 17. vocat Spiritum Sanctum Amorem procedentem. Et lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Eo* (inquit) *Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius:* atqui principium immediatum *quo* Verbum eſt, intellectus eſt; ergo principium immediatum *quo* Filius eſt, intellectus eſt.

V. Dicere autem, ut Durandus loqui videtur, Scripturam, & Patres, dùm Filium Dei vocant *Verbum*, ſumere Verbum impropriè, & metaphoricè, voluntarium eſt, imò temerarium. Tùm quia eâdem ratione poſſet dici, quòd Scriptura, & Patres vocent eum Filium ſolùm metaphoricè, & aperiri via ad dicendum, quòd omnia, quæ Scriptura dicit de hoc, & aliis myſteriis captum noſtrum excedentibus, ſint intelligenda, non propriè, ſed metaphoricè. Tùm quia hoc eſſet in modo loquendi ſaltem convenire cum hæreticis; ſive cum Sabellio negante Trinitatem Perſonarum propriè talium; ſive cum Alogianis Ario antiquioribus, qui teſte Auguſtino *de hæreſibus cap.* 30. & Epiphanio *hæreſ.* 51. negaverunt in Deo Verbum: Imò cum Arianis ipſis negantibus, dari Verbum propriè tale, quod ſit intra Deum. Tùm denique, quia D. Thomas 1. *par. qu.* 34. *art.* 1. *ad* 1. cenſet, Origenem fuiſſe fontem Arianorum, quia opinatus fuit, cùm Filius Dei Verbum dicitur, non eſſe propriè dictum.

VI. Rursùs directè ſic probo. Ex dictis proceſſiones divinæ debent accipi ſecundùm aliquam actionem, quæ in agente maneat: ſed hujuſmodi in natura intellectuali non ſunt à natura, niſi medio intellectu, & voluntate; ergo &c.

Ulteriùs: ſi proceſſiones divinæ æquè immediatè à natura ſunt prævie ad intellectum, & voluntatem, non erit ratio, cur una dicatur generatio, & altera non; cùm utraque ex eadem natura, & eodem modo emanet: cur ſint tantùm duæ: cur una ſit prior alia: cur Filius ab una ſolùm Perſona, & Spiritus Sanctus à duobus ſit.

VII. Sed opppones cum Durando primò. Ex eo, quòd Filius dicatur Verbum, non debet argui, quòd dicatur Verbum propriè, ideſt ex ſua perſonali proprietate, ſed ſolùm per appropriationem, ſicut quoque dicitur ſapientia. Et quemadmodum omnipotentia, ſapientia, bonitas non ſunt alicujus Perſonæ proprietates, ſed omnibus communes, dicuntur tamen per appropriationem potiùs de una, quàm de alia: ut omnipotentia Patri appropriatur, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto: ſic ratio Verbi, quamvis non ſit proprietas perſonalis Filii, dici poteſt de Filio per ap-

Digitized by Google

appropriationem, potiùs, quàm de alia Perſona; unde non ſequitur, Filii proceſſionem eſſe per intellectum.

VIII Sed contrà primò. Nam Divus Thomas 1. *par. qu.* 34. *art.* 1. & 2. probat, Verbum eſſe nomen non eſſentiale, & commune, ſed perſonale, & proprium Filii; quia Verbum ex ſua ratione formali, cùm ſit dictum, vel prolatum, dicit ordinem originis, & proceſſionis à dicente, & proferente, qui ordo ſolùm attenditur inter propria Perſonarum. Eâdem ratione licèt ſapientia, & notitia prout dicit actum cognitionis ſit communis; ut tamen dicit terminum per cognitionem locutum, quo pacto vocatur notitia, & ſapientia genita, ſic eſt nomen proprium, ac perſonale Filii, ut nequeat aliis Perſonis, neque per appropriationem aptari.

Secundò. Hujuſmodi loquendi modus viam ſternit Sabellianis, & Arianis. Sabellianis quidem, quia ſi ratio Verbi eſt prædicatum commune, & ſolùm appropriatum uni Perſonæ, nempe Filio; ergo Verbum quâ Verbum non erit Perſona diſtincta à Patre: cùmque pari ratione dicturus ſit Sabellius, neque Filium dicere proprietatem perſonalem, ſed dici ſolùm ſecundùm appropriationem; neque Filius, quâ Filius erit Perſona diſtincta à Patre. Nam ſicut ſapientia, quæ attribuitur Filio non facit, Filium diſtingui à Patre; ità nec ratio Verbi, aut Filii, quod volebant Sabelliani.

Arianis quoque: quia omnipotentia attribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, non ſecundùm operationem ad intra, ſed ſecundùm operationem ad extra; ergo ſi idem dicitur de ratione Verbi, jam aperitur via Arianis, ut dicant, in divinis dari Verbum, non ſecundùm emanationem ad intra, ſed ſecundùm proceſſionem ad extra: cùmque eodem modo loquerentur de Filio, ac de Verbo, conſequeretur, Verbum eſſe Verbum ad extra, & Filium non per naturam, & ſecundùm proprietatem, ſed puram creaturam.

Tertiò. Si ratio Verbi eſt quid commune toti Trinitati, licèt appropriatum Filio; ergo dùm dicitur Joann. 1. *Verbum caro factum eſt*, tres divinæ Perſonæ forent incarnatæ, licèt Incarnatio appropriaretur ſoli Filio: ſicut noſtra ſanctificatio, licèt attribuatur Spiritui Sancto, & opus creationis licèt attribuatur Patri, reverà tamen commune eſt toti Trinitati, & à tota Trinitate procedit.

IX. Dicendum ergo eſt, Verbum eſſe nomen, non appropriatum, ſed proprietatem perſonalem ſecundæ Perſonæ, ut ab aliis diſtinctæ, quod indicavit Joannes cap. 1. dum ait: *Et Verbum erat apud Deum*. Qui enim apud aliquem eſt, alius ab eo eſt, ut contrà Sabellium ſupra oſtendimus. Sed audiat Durandus S. Auguſtinum lib. 7. de Trinitate cap. 2. laudato: *Pater igitur, & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia. Sed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum, quia non ſimul ambo unus Filius; ſicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur: ita & Verbum ad eum, cujus eſt Verbum, refertur. Eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum quo Filius.*

X. Opponit ſecundò. Principium *quo* proximum divinarum proceſſionum non debet eſſe aliquid commune, ſed proprium: atqui intellectus, & voluntas ſunt aliquid commune; ergo &c.

Retorqueo inſtantiam. Nam etiam eſſentia divina eſt prædicatum commune, non proprium; ergo neque eſſentia divina poterit eſſe principium *quo* proximum divinarum proceſſionum.

Reſpondeo ergo, quòd (ut infra dicetur) licèt intellectus, & voluntas abſolutè, & ſecundùm ſe communes ſint omnibus Perſonis; ut tamen ſunt in hac Perſona ſic modificantur ejus proprietate perſonali, ſic fiunt prædicata ejus propria, ut notionalia dican-

cantur, & fæcunda ſint ad aliam Perſona producendam. Sic ſapientia communis eſt; at ſapientia ut genita, ita propria ſit ſecundæ Perſonæ, ut non poſſit ſupponere niſi pro ea.

XI. Opponit tertiò. Productio Perſonarum in divinis proportione ſervatâ dari debet, ſicut in creatis productio rerum: at in creatis productio rerum eſt per naturam; ergo &c. Minor probatur. Natura creata ex vi ſuæ naturæ fæcunditatem habet ad ſe communicandum, & non ex vi actionis intelligendi: unde generatio dicitur opus naturæ, & in Deo communiter dicunt Patres Filium procedere naturâ. Additur, quòd operationes immanentes nihil producunt; ergo &c. Et conſequenter prævie ad hujuſmodi actiones habetur tota vis, & ratio divinarum Proceſſionum.

Et confirmatur. Quia naturam divinam eſſe in tribus Perſonis, eiſque communicari, provenit immediatè ex infinitate ipſius eſſentiæ; ergo ex eadem infinitate immediatè proveniet, quòd una Perſona procedat ab alia.

XII. Reſpondeo, diſt. min. per naturam mediante aliqua actione tranſeunte, conc. min. immediatè, nego min. Communicatio ergo naturæ, ſive in creatis, ſive in in divinis, aliquâ actione fieri debet. Si natura, quæ communicatur ſit creata, quia communicatur alteri extra ſe, communicatio ſit actione tranſeunte, quæ poteſt præcedere actiones immanentes; quia talis fæcunditas non eſt ad germinandum aliquid intra ſe, ſed extra ſe. At ſi natura, quæ communicatur divina ſit, cùm hæc fæcunditatem ſuam explicet germinando aliquid intra ſe, cui ſe ipſam indiviſam communicat, exigit, hoc perfici actione immanenti; quæ eſto extra nihil producat, aliquid tamen germinare facit in ipſo agente manens: aut Verbum, ſi ſit actio intellectus; aut impulſum, ſi ſit voluntatis.

Ad confirm. dico, ex infinitate quidem divinæ eſſentiæ procedere, ut fæcunda ſit ad ſui communicationem; mediâ tamen aliquâ actione perficiendam; cùm enim in tribus Perſonis non quomodocumque ſit, ſed in duabus ut procedentibus, & in alia ut producente non productâ, ſit, ut non poſſit eſſe in illis abſque proceſſionibus, & proceſſiones ſine actionibus.

XIII. Opponit quartò. Relationes divinæ proprietates ſunt, ſeu attributa divinæ naturæ: ſed omnes proprietates immediatè emanant à natura, ſicut & cætera attributa; ergo &c.

Reſpondeo, diſtingu. maj. proprietates convenientes naturæ ex ſe, nego maj. naturæ, ut communicatæ, conc. maj. eſt ergo differentia inter attributa divina abſoluta, & relationes; quòd illa conveniunt naturæ divinæ ex ſe, & ideò ab illa immediatè emanant: at iſtæ cùm non conveniant naturæ divinæ, niſi ut communicatæ alicui Perſonæ, ideò nequeunt convenire divinæ naturæ, niſi mediâ actione, quâ fiat talis communicatio ad intra; quæ actio in natura intellectuali, cui convenit producere terminum non extra, ſed intra ſe, alia eſſe nequit, niſi actio intellectus, & voluntatis.

§. III.

An eſſentia, ſeu Natura Divina ſit principium quo *radicale.*

XIV. Dico ſecundò. Eſſentia, ſeu natura divina eſt principium *quo* radicale, ſeu primordiale divinarum Proceſſionum. Probatur primò. Illud eſt principium radicale, & remotum divinarum proceſſionum, cui primò, & radicaliter convenit fæcunditas, & vis proxima producendi terminum ad intra: ſed hoc primò convenit eſſentiæ divinæ, ratione cujus Deo convenit omnis perfectio, & in qua omnia divina continentur & radicantur; ergo &c.

Secundò probatur ratione D. Thomæ *1. par. qu. 41. art. 5.* Illud eſt prin-

principium *quo* radicale divinarum proceſſionum, cui aſſimilantur termini per illas procedentes; omne enim producens aliquid, producit ſibi ſimile in forma, quâ primò agit; ſicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cujus virtute pater poteſt generare hominem: ſed termini divinarum proceſſionum procedunt ſimiles in natura divina, quælibet enim Perſona procedens Deus eſt; ergo &c. Unde Hilar. lib. 5. de Trinit. *Nativitas* (inquit) *Dei non poteſt eam, ex qua profecta eſt, non tenere naturam: nec enim aliud, quàm Deus, ſubſiſtit, quod non aliunde, quàm de Deo ſubſiſtit.*

Notat tamen S. Thomas ibi *ad* 3. quòd cùm dico eſſentia eſt principium generandi, non ſumo eſſentiam abſolutè, ut communis eſt, ſed ſumo eſſentiam in recto, & in obliquo generationem: *Sicut ſi dicerem eſſentiam Patris. Unde quantùm ad eſſentiam, quæ ſignificatur, potentia generandi communis eſt tribus Perſonis; quantùm autem ad notionem, quæ connotatur, propria eſt Perſonæ Patris.*

XV. Dices. Quod non generat, nec generatur, non eſt principium, aut terminus divinarum proceſſionum: atqui eſſentia divina nec generat, nec generatur; nam in Concil. Lateran. IV. anno 1215. ſub Innocentio III. damnatus fuit libellus, quo Abbas Joachim aſſeruerat, eſſentiam, & generare, & generari.

Reſpondeo, diſt. maj. quod &c. non eſt principium *quod*, aut terminus *qui*, conc. maj. non eſt principium *quo*, aut terminus *quo*, nego maj. Sicut ergo licèt anima ſit principium *quo* radicale generationis hominis, non tamen verificatur quod anima generat, ſed homo; quia actiones propriè ſunt principii *quod*, & ſuppoſiti: ita eſto eſſentia divina Patris, ſit principium *quo* radicale generationis, non ſequitur, quòd dici poſſit: *eſſentia divina generat, aut generatur.* Et ideò Concilium Lateranenſe meritò damnavit libellum Abbatis Joachim, dicendo: eſſentia non eſt generans, neque genita, neque procedens, ſed *eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus Sanctus, qui procedit;* quod ad ſolum principium *quod* referri poteſt.

XVI. Porrò, quòd Concilii mens fuerit negare, eſſentiam eſſe principium *quod* divinarum proceſſionum; non verò negare, eam eſſe principium *quo*, patet ex ratione, quam adducit ibi cap. 2. *Damnamus*, nempè, *ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura.* Diſtinctio autem, quæ debet eſſe in Perſonis, attendi debet in principio *quod*, quia nihil poteſt eſſe producens, & productum, non autem in principio *quo* radicali: imò in hoc attenditur ſimilitudo, & unitas inter generans, & genitum. Ecce doctrinam S. Thomæ laudatâ *qu.* 41. *art.* 5. *ad* 1. his terminis: *Agens autem diſtinguitur à facto, & generans à generato. Sed id, quo generans generat, eſt commune genito, & generanti; & tantò perfectiùs, quantò perfectior fuerit generatio. Unde cùm divina generatio ſit perfectiſſima, id, quo generans generat, eſt commune genito, & generanti, & idem numero, non ſolùm ſpecie, ſicut in rebus creatis. Per hoc ergo, quòd dicimus, quòd eſſentia divina eſt principium, quo generans generat, non ſequitur, quòd eſſentia divina diſtinguatur; ſicut ſequeretur ſi diceretur, quòd eſſentia divina generat.* Hoc autem ſequebatur in ſententia Abbatis Joachim, qui, cùm reprehenderet Petrum Lombardum, eò quòd dicendo, *quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens:* Non tam Trinitatem aſſereret, quàm quaternitatem, nimirùm *tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam.* Volens propterea, quòd, ſicut Pater generat, ita eſſentia generat, coactus fuit ponere diſtinctionem, nedùm in Perſonis, ſed in eſſentia, & dicere: *nulla res eſt, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec eſt eſſen-*

eſſentia, *nec ſubſtantia*, *nec natura*, *quamvis* concederet, *quòd Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus ſunt una eſſentia*, *una ſubſtantia*, *una natura* unitate tamen non *verâ*, & *propriâ*, *ſed quaſi collectivâ*, & *ſimilitudinariâ*; *quemadmodum dicuntur multi homines unus populus*, & *multi fideles una Eccleſia*. Quare Joachim ponebat diſtinctionem nedum in Perſonis, ſed in eſſentia, ut refert præfatum Concilium citato Capite *Damnamus*.

§. IV.

An principia quo *proxima divinarum proceſſionum ſint relationes paternitatis*, & *ſpirationis activa*.

XVII. Dico tertiò. Principium *quo* proximum divinarum proceſſionum non eſt in recto adhuc inadæquatè relatio, puta paternitas, aut ſpiratio activa. Eſt expreſſa D. Thomæ *qu*. 41. *laudatâ art*. 5. & *qu*. 2. *de potentia art*. 2. Et probatur ratione ſuperiùs allatâ ex S. Doct. Principium *quo* actionis eſt illud, quo agens producit ſibi ſimile, ſeu in quo productum aſſimilatur producenti; omne enim producens aliquid per ſuam actionem producit ſibi ſimile quantùm ad formam, quâ agit: atqui relatio, puta paternitatis, non eſt id, in quo productum aſſimilatur producenti; Filius enim Dei non aſſimilatur Patri in paternitate, cùm non ſit Pater, nec generet; & Spiritus Sanctus non aſſimilatur Patri, & Filio in ſpiratione activa, cùm non ſpiret; ergo &c.

Secundò probatur ex eodem S. Doctore. *Paternitas licèt ſignificetur ut forma Patris*; *eſt tamen proprietas perſonalis habens ſe ad Perſonam Patris*, *ut forma individualis ad aliquid individuum creatum*: ſed *forma individualis in rebus creatis conſtituit* quidem *perſonam generantis*, *non autem eſt*, *quo generans generat*, *alioquin Socrates generaret Socratem*; ergo *neque paternitas divina poteſt intelligi ut quo Pater generat*, *ſed ut conſtituens Perſonam generantis*, *alioquin Pater generaret Patrem*.

XVIII. Dices primò. Principium *quo* proceſſionum debet eſſe illud, quo producens, & productum diſtinguuntur; principium enim relativè dicitur: atqui in Deo producens, & productum ſolis relationibus diſtinguuntur; ergo principium *quo* in divinis debet eſſe aliquid relativum, & notionale.

Reſpondeo, negando maj. Nam principium *quo* ex ſua ratione formali non eſt ratio diſtinctiva producentis à producto, ſed potiùs aſſimilativa utriuſque; cùm ex dictis agens intendat aſſimilare ſibi terminum in principio *quo*, ſive in forma, quâ agit. Diſtinctio ergo ſumitur ex principio *quod*, & ex forma ipſum conſtituente in ratione principii *quod*, ſeu perſonæ, quæ quidem eſt relatio. At *potentia* (ait D. Thom. 1. par. qu. 41. art. 5. ad 1.) *non ſignificat ipſam relationem principii*, *alioquin eſſet in genere relationis*, *ſed ſignificat id*, *quod eſt principium*, *non quidem ſicut agens dicitur principium*, *ſed ſicut id*, *quo agens agit*, *dicitur principium*. Deinde ſubjungit verba ſuperius laudata, oſtendens in principio *quo* attendi potius ſimilitudinem, & in principio *quod* diſtinctionem. Et qu. 2. de potentia art. 2. ad 3. *In rebus creatis* (inquit) *principium generationis eſt duplex*, *ſcilicet generans*, & *quo generat*. *Sed generans quidem per generationem diſtinguitur à genito*, *cùm nulla res generet ſeipſam*. *Sed id*, *quo generans generat non diſtinguitur*, *ſed eſt commune utrique*.

Quòd verò potentia ſeu principium *quo* relativè dicatur, per ſe loquendo, falſum eſt; nam potentia à Philoſopho ponitur in genere qualitatis, non relationis. Potentia enim, præſertim ſi ſit immanens, per ſe eſt quidem principium actionis, non tamen ſemper eſt principium termini per actionem producti, multæ enim dantur actiones, quæ non habent aliquid operatum.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ergo potentia ſit principium, & actionis, & termini per actionem producti, accidit ei, ex quo tali, vel tali modo in hac, vel illa perſona modificatur; ſicut imaginativa pro ut in homine perfectiorem habet actionem, quàm ut in bruto; & vis cognoſcitiva poſita in duobus hominibus, ex conditione individuali unius habet, quòd clariùs alio intelligat. Sic ergo ſi aliquod commune tribus divinis Perſonis (puta intellectio) ut poſitum in una Perſona ſit productivum termini, & relationi conjunctum, hoc non habet per ſe, ſed ex conditione individuali illius Perſonæ. Quare concludit S. Thomas, cujus eſt hæc doctrina qu. 2. de potentia art. 2. in corp. *in ratione potentiæ includitur quodammodo paternitas, etiam quantùm ad id, quod eſt generationis principium*: ita ut tamen potentia ſignificetur in recto, & relatio in obliquo: ſicut ſi dicam potentiam Patris, ut docet idem S. Doct. 1. *par. qu.* 41. *art.* 5. *ad* 3.

XIX. Dices ſecundò. Illud in recto eſt principium proceſſionum, quo Pater, & Filius conſtituuntur in ratione principii: atqui in eſſe principii conſtituuntur per relationes paternitatis, & ſpirationis activæ; ergo &c.

Si reſpondeas, per relationes conſtitui quidem Patrem, & Filium in ratione principii ſubſiſtendi, ſeu in ratione perſonæ, non tamen in ratione principii operandi; quia ſubſiſtentia facit quidem ſubſiſtere in ſe, & incommunicabiliter alteri, & eſt conditio ad operandum ut *quod*, non tamen facit operari, neque eſt forma, ſeu principium operandi,

XX. Contra eſt. Si Perſonæ non conſtituuntur in ratione principii operandi per relationes, conſtituentur per aliquid abſolutum, & commune; ergo cùm omne abſolutum in qualibet Perſona ſit, jam vis generativa erit in Filio, & Filius erit potens generare; & vis ſpirativa erit in Spiritu Sancto, qui ſimiliter erit potens ſpirare.

Reſpondeo, diſt. ant. commune, ut commune, nego ant. ut proprium hujus Perſonæ, conc. ant. & nego conſ. Reſponſio patet ex D. Thoma nuper allato qu. 41. 1. par. art. 5. ad 3. *cum dico* (inquit) *potentiam generandi, potentia ſignificatur in recto, & generatio in obliquo, ſicut ſi dicerem eſſentiam Patris. Unde quantùm ad eſſentiam, quæ ſignificatur, potentia generandi communis eſt tribus Perſonis; quantùm autem ad notionem, quæ connotatur, propria eſt Perſonæ Patris.* Sed hæc ex ſequentibus clariora fient.

§. V.

An principium quo *proximum divinarum proceſſionum ſint intellectus, & voluntas.*

XXI. Dico quartò. Principia *quo* proxima divinarum proceſſionum ſunt, reſpectu proceſſionis Verbi, intellectus, non eſſentialis, ſed notionalis, ſeu ut Patris; reſpectu verò proceſſionis Spiritus Sancti, voluntas, ut notionalis, ſeu, ut Patris, & Filii: ita tamen, ut principium in recto ſit intellectus, & voluntas; relatio autem, ſive paternitatis, ſive ſpirationis activæ ſit conditio modificans, requiſita, ut ſint principium.

XXII. Quamvis ſenſus hujus Aſſerti explicatus maneat ex dictis §. *præcedenti*, ſecundùm D. Thom. doctrinam in reſponſ. ad primam inſtantiam; attamen pro clariori luce aliqua addere inutile non erit. Novum non eſt, quòd eadem forma poſita in diverſis ſubjectis, & diverſimodè modificata diverſos præſtet effectus in uno, quos in alio non præſtat. Sic calor in animali generat carnem, quam in igne non generat: in fœmina producit lac, non in viro. Gratia in nobis, qui ſumus perſonæ extraneæ Deo, facit nos filios adoptivos; non in Chriſto, qui eſt Perſona divina. Ita ergo intellectus, ut in Patre, in quo invenit conditionem fœcunditatis, quia Pater

eſt, habet rationem potentiæ generativæ, & de facto generat Filium, quod in Filio non facit, quia deficit conditio paternitatis: & voluntas in Patre & Filio, quia modificatur relatione ſpirationis activæ, habet vim potentiæ ſpirativæ, & de facto ſpirat, quod in Spiritu Sancto, in quo eſt voluntas, ſed abſque tali modificatione, & conditione non præſtat.

XXIII. His ità explicatis probatur prima pars, nempe quòd principia proxima divinarum proceſſionum ſint intellectus, & voluntas. Nam Perſonæ, quæ procedunt, una procedit ut Verbum, altera ut Amor, & his nominibus propriis, & notionalibus exprimuntur in Scripturis, & Patribus: ſed Verbum immediatè procedit per intellectum, & Amor per voluntatem; ergo &c.

XXIV. Secunda verò pars, nempe quod intellectus, & voluntas ſint principia, non ſecundùm ſe, ſed ut modificantur relationibus paternitatis, & ſpirationis activæ, probatur. Si potentia proxima generandi Filium, & ſpirandi Spiritum Sanctum ſiſteret in intellectu, & voluntate, ut præcisè abſoluta ſunt, & communia, jam potentia generandi eſſet in omnibus Perſonis, ſicut & potentia ſpirandi; ergo Filius poſſet generare Filium, & Spiritus Sanctus alium Spiritum ſpirare: & cum id, quod eſt poſſibile in Deo, de facto in Deo ſit, Filius de facto haberet Filium, & Spiritus Sanctus haberet Spiritum Sanctum; & ſic in Deo plures, imò infinitæ perſonæ eſſent. Vel ſi intellectus non eſſet generativus in Filio, cur eſſet in Patre? Si voluntas non eſſet ſpirativa in Spiritu Sancto, cur eſſet in Patre & Filio, cum ejuſdem rationis in omnibus ſit?

XXV. Secundò probatur eadem ſecunda pars. Relationes ſolæ in divinis illæ ſunt, quæ prædicata abſoluta, eſſentialia, & communia reddere poſſunt notionalia, & propria, juxta, effatum: *omnia in divinis communia ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio*: ſed potentia generandi, & ſpirandi notionalia ſunt, & propria; ergo id habent, quia modificantur relatione.

XXVI. Dices primò. Quod fundatur in generatione, & ideò ſupponit generationem, nequit concurrere adhuc per modum conditionis modificantis ad conſtituendum principium, ſeu potentiam generativam: ſed relatio paternitatis fundatur in generatione, & illam ſupponit, ideò enim eſt Pater, quia genuit; ergo non poteſt concurrere, adhuc ut conditio &c.

Reſpondeo, diſt. min. relatio paternitatis, ut relatio eſt referens Patrem ad Filium, fundatur &c. conc. min. ut conſtituens Perſonam Patris, nego min. Reſponſio hæc eſt D. Tomæ *qu.* 10. *de potentia art.* 3. ubi poſtquam docuit, relationes in nobis, quia accidentia ſunt, non poſſe conſtituere perſonam, quæ eſt aliquid ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ, benè tamen in Deo, in quo, quia relatio ſecundùm rem eſt ipſa natura divina, Hypoſtaſim divinam conſtituere poteſt, proſequitur: *Eſt ergo alius modus intelligendi, quo intelligitur relatio, ut conſtitutiva divinæ Perſonæ, & alius quo intelligitur relatio, ut relatio eſt. Unde nihil prohibet, quod quantùm ad unum modum intelligendi relatio præſupponat proceſſionem, quantùm verò ad alium ſit è converſo. Sic ergo dicendum eſt, quòd ſi conſideretur relatio, ut relatio eſt, præſupponit proceſſionis intellectum. Si autem conſideretur, ut eſt conſtitutiva Perſonæ, à qua eſt proceſſio, eſt prior ſecundùm intellectum, quàm proceſſio; ſicut paternitas, in quantùm eſt conſtitutiva perſonæ Patris, eſt prior ſecundùm intellectum, quàm generatio. Relatio autem, quæ eſt conſtitutiva Perſonæ procedentis, etiam inquantùm eſt conſtitutiva perſonæ eſt poſterior ſecundùm intellectum, quàm proceſſio; ſicut filiatio, quàm nativitas. Et hoc ideò, quia Perſona procedens intelligitur ut terminus proceſſionis*. Hæc D. Thomas.

XXVII.

XXVII. Dices ſecundò. Potentia generativa eſt in Filio: at ſi neceſſariò connotaret paternitatem, non eſſet in Filio; ergo &c. Major probatur. Tùm quia potentia generativa continetur ſub Omnipotentia: unde Auguſtinus *lib. 2. aliàs 3. contra Maximin. cap. 7.* dicit, quòd ſi Deus non potuit generare ſibi æqualem, *ubi eſt Omnipotentia Dei Patris?* at Omnipotentia eſt in Filio; ergo &c. Tùm etiam, aliàs Filius non eſſet æqualis Patri, cùm careret potentiâ generativâ, quam Pater habet. Tùm quia Auguſt. *lib. 2. al. 3. contra Maximin. cap. 12.* oſtendens, Patrem non eſſe potentiorem Filio, etſi Pater genuerit Creatorem, Filius verò non, dicit: *Neque enim non potuit* (Filius generare) *ſed non oportuit*; ergo in Filio vim generativam fatetur Auguſtinus, eſto non actum, quia non oportuit.

XXVIII. Reſpondeo, diſt. maj. potentia generativa quantùm ad rectum, pro ut ſcilicet nominat intellectum, conc. maj. quantùm ad connotatum, ſeu modificativum relationis, nego maj. Ad prob. primam dico, potentiam generativam non claudi ſub Omnipotentia abſolutè, & ut communi, ſed, ut ait Auguſtinus, ſub *Omnipotentia Dei Patris*, ſeu ut modificatâ paternitate.

XXIX. Ad ſecundam probat. nego illatum. Nam, ut ait D. Thom. 1. par. qu. 42. art. 6. ad 3. *ſicut eadem eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio; ita eadem eſt potentia, quâ Pater generat, & quâ Filius generatur. Unde manifeſtum eſt, quòd quidquid poteſt Pater, poteſt Filius: non tamen ſequitur, quòd poſſit generare, ſed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio ſignificat relationem in divinis. Habet ergo Filius eandem potentiam, quàm Pater, ſed cum alia relatione. Nam Pater habet eam, ut dans: & hoc ſignificatur, cùm dicitur, quod poteſt generare. Filius autem habet eam, ut accipiens: & hoc ſignificatur, cùm dicitur, quòd poteſt generari.*

XXX. Ad tertiam dico, Petavium *lib. 7. Theologic. dogmat. de Trin. cap. 13. nu. 6.* exiſtimaſſe, mentem Auguſtini fuiſſe, quòd Filius reverâ potuerit alium Filium generare. Sed abſit, ut hoc tanto Doctori tribuamus. Dùm ergo ait, *neque enim non potuit*, ſolùm indicare voluit, quòd non ex impotentia ſui, ſed ex rei natura venit, quòd Filius non generet. Ita reſpondet S. Thomas *qu. 9. de potentia art. 9. ad 1.* his Verbis: *Ideo dicit Auguſtinus, quòd non eſt dicendum, quòd Filius non potuit generare, ſed non oportuit, quia non ex impotentia Filii eſt, quòd non generat, ut hoc quod dicit* non potuit *ſumatur privativè, & non ſimpliciter negativè. Per hoc autem quòd dicit, quòd* non oportuit, *ſignificat, quòd ſequeretur inconveniens ſi in divinis Filius alium Filium generaret.* Quod ex quatuor capitibus oſtendit D. Thom. imò ipſemet Auguſtinus poſt relata verba ſubjungens: *immoderata enim eſſet divina generatio, ſi genitus Filius Nepotem gigneret Patri, quia & ipſe Nepos, niſi Avo ſuo Pronepotem gigneret, ſecundùm veſtram mirabilem ſapientiam* (Maximinum, & Arianos alloquitur) *impotens diceretur. Similiter etiam ille ſi Nepotem non gigneret Avo ſuo, & Pronepotem Proavo ſuo, non à vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur, nec eam perficeret ullus, ſi non ſufficeret unus.* Illud ergo *non oportuit* Auguſtini indicat generationem alterius Filii in Deo nedum de facto non eſſe, ſed nec eſſe poſſe: non ex defectu potentiæ in Filio genito, ſed naturâ rei ità poſtulante.

DUBIUM III.

An Verbi proceſſio ſit vera generatio?

§. I.

Generationis Idea.

I. OBſervat S. Thomas 1. par. qu. 27. art. 2. *quòd generationis nomine dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & ſic generatio nil aliud eſt, quàm* mutatio de non eſſe ad eſſe. *Alio modo propriè in viventibus: & ſic generatio ſignificat* originem alicujus viventis à principio vivente conjuncto: *& hæc propriè dicitur* nativitas. *Non tamen omne hujuſmodi dicitur genitum, ſed propriè, quod procedit ſecundùm rationem ſimilitudinis, in natura*, non ſolùm ejuſdem generis, ſed *ejuſdem ſpeciei*.

II. Hæc definitio generationis propriæ viventis ſic tradita à D. Thom. explicanda eſt. Dicitur *origo*, ad ſignificandum, quòd, ut vivens generetur, debet oriri, naſci, & procedere à ſuo principio. Dicitur *viventis à vivente*, quo denotatur, genitum debere oriri à generante modo vitali diffundente ſe per ſubſtantialem vitæ ſuæ communicationem; & inſuper ly *à vivente* ponitur ad indicandum, genitum debere procedere de ſubſtantia ipſius generantis, in quo à creatione diſtinguitur: quod enim creatur non fit de ſubſtantia alterius, ſed prorsùs ex nihilo. Additur ly *conjuncto*, quia generans debet conjungi cum genito, non ſolùm ſecundùm ſuam virtutem (hoc enim habent omnia agentia) ſed ſecundùm ſuam ſubſtantiam, vel ſaltem ſuæ ſubſtantiæ portionem. Animantia enim ſeipſa ad generandum movent, non ſolùm externâ efficientiâ, & diffuſione virtutis, ſicut diffuſione caloris ignis generat ignem; ſed portione ſuæ ſubſtantiæ ad hoc elaboratâ, & à ſe deciſâ genito conjunguntur. Sic arbor ſemine à ſe deciſo, & terræ mandato arborem gignit. Sic mas parte prolifica à ſe in fœminam immiſsâ, proli, quam generat, conjungitur: Adeòque conſentanea eſt generationi viventium iſta conjunctio ſubſtantiæ generantis cum genito, ut quò perfectior ſit generatio, eò perfectior, & intimior debeat eſſe iſta conjunctio.

III. Additur *in ſimilitudinem naturæ*, ut indicetur, quòd genitum, ut verè genitum ſit, debet procedere, ut omnino ſimile in natura cum generante; & non hoc ſolùm, ſed ulteriùs debet procedere per actionem deſtinatam à natura ad aſſimilandum genitum in natura generantis; defectu cujus Heva eſto proceſſerit ſimilis in natura Adamo, non tamen fuit genita, aut filia Adami, quamvis ex portione ſubſtantiæ ab ipſo extractâ formata; quia ab eo non proceſſit actione datâ ad formaliter aſſimilandum in natura. Et ſi ex digito ſuo aliquis alium hominem formaret, eâdem ratione non diceretur generaſſe illum.

IV. Rursùs addit S. Thomas *qu. 27. citatâ art. 2.* ut aliquod genitum ſit, procedere debet actione formaliter aſſimilativâ illius cum generante in natura, non ſolùm genericâ, ſed etiam ſpecificâ: nam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licèt ſit ſimilitudo ſecundùm genus; & licèt per generationem hominis generentur etiam pili, capilli &c. hi tamen non dicuntur geniti, aut filii, ſed ſolus homo, qui procedit ſimilis in natura ſpecifica hominis generantis; quod ſi ab hac ſimilitudine defecerit, monſtrum potiùs dicitur; ſicut monſtruoſa eſt generatio Muli, qui à ſimilitudine ſpecifica cum ſuis generantibus deficit.

V. Concludit tandem S. Doctor, quòd in viventibus, quæ procedunt de potentia ad actum vitæ, ſicut ſunt homines, & animalia, generatio utramque generationem includit; nimirùm

Digitized by Google

rùm & propriam viventium, & etiam communiter dictam, pro ut eſt mutatio de non eſſe ad eſſe: *Si autem aliquod ſit vivens, cujus vita non exeat de potentia in actum, proceſſio (ſi qua in tali vivente invenitur) excludit omnino primam rationem generationis* (quæ dicit mutationem de non eſſe ad eſſe) *ſed poteſt habere rationem generationis, quæ eſt propria viventium.*

§. II.

Generationis Idea applicatur Verbo Divino.

VI. ANimadvertentes Ariani, quòd ſi ſemel admitterent, Filium Dei eſſe verè, ac propriè genitum, neceſſariò admittere deberent, eum fore ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, eique conſubſtantialem, ut contra illos ſtrenuè contendebant Patres, inter quos Hilarius, præſertim *lib. 6. de Trinit.* totam artem, & arma ſua converterunt ad removendam à Deo veram generationem, aſſerentes, eam multa indigna Deo ſecum afferre: nimirùm deciſionem, ac profluvium ſubſtantiæ generantis, & proinde mutationem. In quorum ſententiam quantùm ad hoc præiverat Sabellius, adimens & ipſe Filio divino veram filiationem, & conſequenter generationem. Verùm cum Eccleſia Catholica.

VII. Dico. Proceſſio Verbi divini veram notionem generationis habet, & conſequenter Verbum procedens eſt verè genitum, & Filius. Hoc teſtatur David Pſalm. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie* (ideſt in æternitate, quæ continuum hodie eſt ſine heſterni, & craſtini viciſſitudine) *genui te.* Quæ verba ad probandam veram & naturalem Filii Dei generationem aſſumit S. Paulus *Hebr* 1. *v. 4. 5. &c.* dicens: *cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Quibus verbis extollit Filium Dei ſupra Angelos ex qualitate, & excellentia filiationis: at ſi eſſet Filius merè adoptivus, & non naturalis, malè concluderet, cùm & Angeli filiatione adoptivâ ornati ſint; ergo &c. Rursùs: ante præfata verba dixerat Paulus, quòd Filius Dei eſt *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, hoc eſt nomen Filii: at hæc differentia in nomine Filii non ſubſiſteret, niſi Filius Dei eſſet Filius naturalis; ergo &c. Tandem ut ſe explicet, eum vocat ità Filium, ut ſit *figura* (ideſt imago perfecta) *ſubſtantiæ ejus* (ideſt Dei Patris) *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Quis autem niſi inſanus aptaret hæc omnia, niſi Filio naturali Dei, per omnia Deo Patri conſubſtantiali?

VIII. Idem colligitur ex *Pſalm.* 109. ubi *v.* 3. dicitur: *In ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te. Ex utero* (inquit Hilarius lib. 6. de Trinit. num. 16.) *ut non ex nihilo creatio ſubſtitiſſe, ſed ex ſe Unigeniti ſui naturalis nativitas doceretur.* Item Iſaiæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* ubi loquitur de generatione æterna, nam temporalis enarrari poteſt. Inſuper de generatione naturali, nam adoptivam quis non intelligit? Pariter Joann. 3. v. 16. *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Et hoc Christus ipſe in Evangelio ſæpè teſtatur, vocans ſe Filium Dei, Deum verò Patrem ſuum.

IX. Accedunt Patres, qui variis rationibus contrà Arianos veram Verbi generationem oſtendunt. Ex quibus Athanaſius *de Decret. Nicænæ Synodi num.* 11. oſtendit, quòd, ſicut non eodem modo creant homines, nec eodem modo ſunt, quo creat, & eſt Deus; *ita aliter procreantur homines, & aliter Filius ex Patre naſcitur. Fœtus enim hominum, partes quodammodo ſunt gignentium, quippe cùm nec ipſa corporum natura ſimplex ſit, ſed fluxa, atque ex partibus compoſita. Nam homi-*

miner gignendo emittunt ex ſe aliquid, quædamque rursùs ex cibis, quos accipiunt, in eos defluunt, quæ quidem cauſa eſt, cur multorum liberorum pro tempore parentes fiant. Deus autem individuus eſt, ac proinde abſque diviſione, nihilque patiendo Filii eſt Pater. Nihil enim ex re incorporea effluere, nihilve in eam, uti hominibus accidit, poteſt influere. Quocirca cùm Deus ſit naturâ ſimplex, unius quoque, ac ſolius Filii eſt Pater &c.

X. Si Arianus dixerit, Deum habere quidem Filium, ſed diſſimilem in natura. Et rursùm: generationem in Deo non eſſe accipiendam propriè, & conſequenter nec Filium propriè.

Contra primum ſtat S. Auguſt. *lib.* 2. *al.* 3. *contra Maxim. cap.* 6. ubi poſtquam dixit, quòd animalia *quamvis terrena, & mortalia, hoc tamen gignunt, quod ipſa ſunt, ut homo hominem, canis canem*; ad Arianos converſus ſic ait: *Quandoquidem creaturam corruptibilem cernitis, hoc quod ipſa eſt gignere fœtum ſuum; & Deum Patrem omnipotentem creditis non potuiſſe niſi ejus degenerante naturâ gignere unicum ſuum?* Et *cap.* 6 hoc diſcurſu eos urget: Deus Pater æqualem ſibi gignere Filium, aut potuit, aut noluit. *Si non potuit, infirmus. Si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falſum eſt. Patri igitur Deo Filius verus æqualis eſt.*

Lib. autem primo *contra eundem cap.* 6. poſtquam oſtendit, Arianos plus dare fœtibus animalium, quàm Filio Dei; nam illa generant quod ipſa ſunt, & fœtibus eorum conceditur creſcere, & ad robur parentum pervenire: *Filius autem Dei, ut vos dicitis, & docetis, minor Patre genitus ſic remanſit, atque ut ad Patris formam non poſſet pervenire, nec crevit*; at proinde Patrem generaſſe Filium degenerem: poſt multa ſic pergit: *Audiant Catholici, unde erubeſcant hæretici. Filius viri fortis, ſi non habeat fortitudinem, degener dicitur; & tamen homo eſt, quod & Pater eſt, atque in diſſimili vita, non eſt tamen aliena ſubſtantia. Vos Unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipſam Patris ei ſubſtantiam denegetis: minorem natum, minorem remanſiſſe jactatis: non ullam datis ætatem, quâ poſſit augeri, non datis eandem formam, quâ poſſit æquari.*

Hoc idem urget *ſerm.* 51. *de verbis Domini nunc* 139. ubi cap. 2. ulteriùs hoc diſcurſu procedit: *Si ergo Filius alterius ſubſtantiæ eſt quàm Pater, monſtrum generavit Pater. Quando enim creatura, ideſt, mulier parit, quod non eſt homo, monſtrum dicitur. Ut autem non ſit monſtrum, hoc eſt qui natus eſt, quod eſt ille qui genuit, ideſt, homo & homo, equus, & equus, columba, & columba, paſſer, & paſſer.* Vel ergo Filius Dei eſt monſtrum, vel eſt hoc, quod eſt Pater, nimirùm Deus.

XI. Contra ſecundùm reſurgunt omnia ſuperiùs allata ex D. Paulo, & nuper ex Auguſtino. Et ulteriùs Divus Hilarius *lib.* 6. *de Trinit. nu.* 45. ſic arguit. Paulus Roman. 8. v. 32. *Qui etiam* (inquit) *proprio Filio ſuo non pepercit*. Si filius eſt propriè; ergo eſt propriè genitus. *Nunquid nam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen?* Deinde ex Cyrillo *Dialog.* 2. *de Trinitate*, ſic arguo. Dantur veri filii Dei adoptivi, & extranei in natura à Deo; dari ergo debet verus Filius naturalis Dei ejuſdem naturæ cum Deo. Conſequentia probatur. Filiatio adoptiva eſt conſequens, & exemplata à filiatione naturali, & imago ejus: ſed ubi datur conſequens, datur & antecedens, ubi datur exemplum, datur & exemplar, ubi datur imago datur & archetypus; ergo &c. Major probatur ex Paulo Epheſ. 3. v. 15. ubi *Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti* dicit eſſe, *ex quo omnis Paternitas in Cœlis, & in terra nominatur*. Ex quibus Sanctus Athanaſius *orat.* 1. *contra Arianos nu.* 23. ait, quod ſicut concipimus, Deum aliter eſſe, ac operari, nec eo modo eſſe, & operari, ſed alio modo, quam nos: *Similiter quoque clarum eſt,*

eum

Digitized by Google

eum gignere, non ut gignunt homines, ſed ut gignit Deus: neque enim Deus hominem imitatur, ſed potiùs homines propter Deum, qui propriè, & ſolus verè Pater ſui ipſius Filii eſt, patres quoque ſuorum liberorum ſunt appellati: *Nam ex ipſo:* omnis paternitas in Cœlis. & in terra nominatur.

XII. Ut verò generationis propriè talis ideam Filio Dei, ut poſſumus, applicemus (non pro ut in nobis, in quibus invenitur cum mutatione de non eſſe ad eſſe, ſed ſecundùm conceptum proprium generationis viventium) ſic diſcurramus. Ea eſt vera generatio, cui propriè convenit, quòd ſit origo viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ; ita ut quò intimior fuerit conjunctio, & perfectior ſimilitudo in natura, eò magis propria, & perfecta ſit generatio, ut ſuperiùs cum D. Thoma dictum eſt: ſed totum hoc convenit generationi Verbi Dei: eſt enim origo viventis, nam Verbum oritur, & naſcitur à Patre: eſt à vivente, à Patre nimirùm, qui eſt ipſa vita: eſt à principio conjuncto, non quidem per deciſionem, aut partitionem ſuæ ſubſtantiæ, ſed per integram, perfectam, & totalem ſuæ naturæ communicationem: eſt tandem in ſimilitudinem naturæ cum Patre, quia Verbum, ut dicemus, procedit actione formaliter aſſimilativâ; & ſuâ proceſſione accipit non tantùm ſimilem, ſed eandem prorsùs naturam, quam habet Pater, & quâ Pater Deus eſt.

§. III.

Arianorum ratiunculæ contra generationem Filii.

HUc ſpectant omnia, quæ contra Verbi divinitatem ab Arianis ſupra oppoſita, & à nobis ſoluta ſunt. Ulteriùs tamen ad præſens.

XIII. Arguebant primò ſic. Generatio importat mutationem: ſed hæc eſt indigna Deo; ergo &c.

Si reſpondeas ex dictis, generationem quidem communiter dictam, & ut in creaturis, quæ tranſeunt de potentia in actum, invenitur, eſſe mutationi conjunctam; non tamen generationem propriam viventium, quæ ex ſua notione præſcindit à mutatione; unde poſitam in Deo, qui non tranſit de potentia in actum, eſſe omnis mutationis expertem.

XIV. Contra. Ideò generatio creata involvit mutationem, quia per illam genitum accipit eſſe ab alio: ſed etiam Verbum accipit eſſe ab alio; ergo &c.

Si reſpondeas, non ideò præciſè generationem in creatis involvere mutationem, quia genitum per illam accipit eſſe ab alio; ſed quia accipit eſſe diverſum à generante, quòd priùs vel ſaltem ſuapte naturâ non habebat: at Verbum divinum generatione ſuâ accipit quidem eſſe à Patre, ſed idem omnino, quod habet Pater; nec unquam fuit, nec potuit eſſe ſine illo, cùm Filius ita ſit eſſentialiter Deus, ſicut eſt Pater.

XV. Contra ulterius. Verbum divinum ex vi generationis verè producitur: ſed productio importat novum eſſe, & diſtinctum; ergo &c.

Reſpondetur, quod Verbum divinum verè producitur quoad eſſe perſonale, & relativum, quo opponitur, & diſtinguitur à Patre, non tamen quoad eſſe eſſentiale, & abſolutum: hoc enim ei à Patre communicatur, & eſt ipſiſſimum, quod habet Pater.

XVI. Dices. Verbum producitur quantum ad eſſe Perſonale; ergo ſaltem quoad eſſe perſonale mutabitur.

Nego conſequentiam, & ſuppoſitum. Nam omnis mutatio dicit acquiſitionem novæ actualitatis, & perfectionis: cùm autem eſſe præciſè perſonale, vel non dicat propriam actualitatem, vel iſta incluſa ſit in actualitate eſſentiæ divinæ, quæ eadem eſt in Filio, ac in Patre; ideò nulla ſequitur mutatio. Quare D. Thom. 1. par.

par. qu. 27. art. 2. ad 3. *In ipſa* (inquit) *perfectione divini eſſe continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, ſicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent.*

XVII. Objici poteſt ſecundò. Proceſſio Verbi non eſt in ſimilitudinem naturæ; ergo non eſt vera generatio. Probatur ant. ſimilitudo petit diſtinctionem: ſed Verbum divinum eſt ejuſdem prorsùs naturæ cum Patre; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. ad prob. dico, quòd ſimilitudo petit quidem diſtinctionem inter ſubjecta, vel perſonas, quæ dicuntur ſimiles, non tamen in forma, in qua ſunt ſimiles. Si enim duo homines haberent eandem albedinem, hi dicerentur maximè ſimiles in illa; quia, cùm ſimilitudo fundetur in unitate, quò perfectior erit unitas, eò perfectior erit ſimilitudo. Et hac ratione S. Thomas concedit, divinas Perſonas eſſe etiam invicem æquales 1. *par. qu.* 42. *art.* 1. *ad* 4. dicens: *in divinis Perſonis nihil eſt conſiderare, niſi eſſentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus diſtinguuntur. Æqualitas autem utrumque importat, ſcilicet diſtinctionem Perſonarum (quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale) & unitatem eſſentiæ; quia ex hoc perſonæ ſunt ſibi invicem æquales, quòd ſunt unius magnitudinis, & eſſentiæ.*

XVIII. Objici poteſt tertiò. Proceſſio Verbi in creatis non eſt generatio; ergo neque in Deo.

Reſpondetur cum D. Thoma hâc *qu.* 27. *art.* 2. *ad* 2. negando conſ. *quòd intelligere in nobis non eſt ipſa ſubſtantia intellectus. Unde Verbum, quod ſecundùm intelligibilem operationem procedit in nobis, non eſt ejuſdem naturæ cum eo, à quo procedit;* unde *non propriè & completè competit ſibi ratio generationis. Sed intelligere divinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis: unde Verbum procedens, procedit, ut ejuſdem naturæ ſubſiſtens, & propter hoc propriè dicitur genitum, & Filius.* Ut verò hæc D. Thomæ doctrina meliùs percipiatur ſit.

DUBIUM IV.

Cur proceſſio Verbi generatio ſit?

§. I.

Referuntur, & refelluntur aliquæ opiniones.

I. HUic quæſtioni occaſionem dederunt Macedoniani, qui, teſte Athanaſio *Epiſt.* 1. *ad Serapionem num.* 15. hoc ratiocinio Spiritus Sancti divinitatem oppugnabant. *Si Spiritus res creata non eſt, neque unus ex Angelis, ſed ex Patre procedit; igitur Filius quoque ipſe dicendus eſt, proindeque ſunt duo Fratres, ipſe ſcilicet, & Verbum. Quod ſi Frater eſt; quî fieri poteſt, ut Unigenitum ſit Verbum?* Eodem argumento utebantur Ariani. Unde Maximinus (*in collatione apud D. Auguſtinum*) ſic ajebat: *miror namque cariſſime. Cùm enim & Spiritum Sanctum de ſubſtantia Patris eſſe dicatis, ſi Filius ex ſubſtantia Dei Patris eſt, de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus, cur unus Filius eſt, & alius non eſt Filius? Quid vobis deliquit, cùm ex eadem ſit ſubſtantia, cùm æqualis ſit Filio, ut dicis; quare enim non & ipſe hæres omnium conſtitutus, quare non & ipſe Filius?*

II. Cui argumento Patres, dùm reſponderent, monuerunt, evidentem rationem reddi non poſſe, cur proceſſio Filii à Patre generatio dicatur, & ſit, potiùs, quàm proceſſio Spiritus Sancti à Patre, & Filio. Unde S. Auguſtinus Maximino, ut ſupra opponenti, reſpondens lib. 2. contra Maximinum cap. 14. *Ecce* (inquit) *reſpondeo, ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus Sanctus: ſed ille genitus, iſte procedens: ideò ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus; iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit*

dit

Digitized by Google

dit . . . . . . Quid autem inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, quamvis omne procedat, quod naſcitur; ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamvis bipes ſit omnis, qui homo eſt. Hæc ſcio: diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.

Eſto autem rationem evidentem hujus diſcriminis, ſe non invenire proteſtatus ſit Auguſtinus, & cum eo alii Patres; aliquas tamen veroſimilitudines ad hoc explicandum excogitarunt, ex quibus eam, quæ nobis magis placuerit eligemus.

III. Primò ergo putarunt aliqui, ideò Spiritus Sancti proceſſionem non eſſe generationem, benè tamen proceſſionem Filii; quia ille procedit à duobus, & inde ſequeretur, eum à duobus Patribus generari. Ita videtur reſpondere S. Auguſtinus citato *lib. 2. contra Maxim. cap. 14. & lib. 15. de Trinit. cap. 27.* dicens: *hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos ſumus, intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spirtus Sanctus; quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris, & matris: abſit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale ſuſpicemur.*

IV. Verùm hæc ratio ſuas habet difficultates. Nam primò ex hac ſequitur, quòd ſaltem apud Græcos, qui Spiritum Sanctum dicunt procedere à ſolo Patre, dicendus eſſet Filius Patris, & frater Verbi, quod tamen Græci non concedunt. Secundò. Nam eſto in creatis genitum non procedat à duobus, niſi unus ſit pater, alia mater; quare, ſicut de generatione divina dicitur Filius gigni à Patre ſine matre, dici non poſſet Spiritum Sanctum gigni, & naſci à duobus nomen unius Patris habentibus, ſi actione per ſe aſſimilativâ in natura ab illis procederet?

V. Alii propterea dixerunt, quòd Verbum ſit Filius, quia procedit, ut natus; Spiritus Sanctus non, quia procedit ut datus. Et colligunt ex S. Auguſtino *lib. 5. de Trinit. cap. 14.* de Spiritu Sancto dicente: *exiit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus, & ideò non dicitur Filius: quia neque natus eſt, ſicut Unigenitus; neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem naſceretur, ſicuti nos.* Quod coincidit cum aliorum opinione, quam tuetur Scotus, nimirùm Filium eſſe genitum, quia procedit naturaliter, non verò Spiritum Sanctum, quia procedit voluntariè.

VI. Sed hoc non videtur diſcrimen ſufficiens, & intraneum; quia ſumtum ex parte noſtri. Dicit enim Auguſtinus ibi: *quod enim de Patre natum eſt, ad Patrem ſolum refertur, cùm dicitur Filius. Et ideò Filius Patris, non & noſter. Quod autem datum eſt, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos, quibus dedit.* Ex quo infert, quòd Spiritus Sanctus ſit Spiritus *non tantùm Patris & Filii, qui dederunt, ſed etiam noſter, qui accepimus.* Quis autem non videt, hanc differentiam non eſſe intraneam proceſſioni Spiritus Sancti? Imò videtur peti principium: adhuc enim reſtat quærenda cauſa, cur Filius procedat, ut natus, non autem Spiritus Sanctus, de quo eſt dubitatio, cùm utrique communicetur natura divina.

Dicere autem, Verbum procedere ut natum, quia procedit naturaliter; non verò Spiritum Sanctum, quia procedit voluntariè: adhuc relinquit quærendum, quare Filius naturaliter procedat, & Spiritus Sanctus voluntariè. Quod ſi reſpondeatur cum Fraſſen, quia ille procedit per intellectum, iſte per voluntatem; rurſùm quæretur: quare procedens per intellectum procedit naturaliter, ut natus, & Filius; qui verò procedit per voluntatem, etſi illi eadem natura communicetur, non

Digitized by Google

procedat ut natus, & Filius? Nunquam quieſcet interrogans, niſi cum D. Thoma inferiùs dicatur, hoc ideò eſſe, quia procedens per intellectum procedit formaliter ut ſimilis in natura; procedens verò per voluntatem, eſto ſimilis ſit in natura, non tamen hoc habet ex vi ſuæ proceſſionis.

VII. Alii excogitarunt, proceſſionem Verbi eſſe generationem, non autem Spiritus Sancti; quia illud ex vi proceſſionis accipit naturam fœcundam ad producendam aliam Perſonam, iſte non.

VIII. Sed certè non video, quid conferat ad rationem Filii eſſe fœcundum ad producendum alterum: dummodo enim procedat homo in ſimilitudinem naturæ, hunc ego vocabo Filium, etſi infœcundus ſit ad alium producendum. Quare ſi Filius, ut Græci volunt, non produceret Spiritum Sanctum, adhuc eſſet Filius. Et ſi à Patre auferretur vis ſpirativa, adhuc eſſet Pater; ergo adhuc eſſet Filius abſque tali virtute ſpirativa, quia Pater eſſe non poteſt ſine Filio. Et ratio horum eſt: quia vis ſpirativa alterius diſparatè ſe habet ad rationem Patris, & ad rationem Filii.

IX. Putarunt alii, Verbum procedere ut Filium, non verò Spiritum Sanctum; quia illud procedit per modum imaginis, iſte non.

X. Sed inſufficienter. Tum quia ratio imaginis fundatur in ratione Filii: ideo enim eſt imago, quia Filius, & quia accepit naturam ſimilem Patri. Tum quia adhuc quærendum ſupereſt, quare Verbum procedat ut imago, non autem Spiritus Sanctus; cùm uterque accipiat eandem naturam à Patre. Alia ergo ratio quærenda eſt.

§. II.

Ratio D. Thomæ.

XI. Dico. Congruentior eſt modus, quo D. Thomas hac. *qu.* 27. *art.* 2. explicat, Verbum eſſe Filium, dicendo: Ideò Verbum eſſe Filium, ejuſque proceſſionem eſſe veram generationem; quia procedit per intellectum, qui ex proprio conceptu aſſimilativus eſt: & ſi ſit ſuum eſſe, aſſimilativus eſt in natura, ſeu in eſſe naturali. Probo. Quia hâc frequentiùs utuntur Patres: Scriptura enim pro eodem ſumit Filium in Deo, ac Verbum. Et Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 2. *Eo* (inquit) *Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*; & ſæpè Filium comparat notitiæ, quam intra nos formamus, ut ſupra diximus: ſed Verbum eò eſt Verbum, & notitia, quia procedit per intellectum, ut ſimilitudo formæ, quæ eſt intelligendi principium; ergo hâc eadem ratione eſt Filius. Baſilius quoque homil. in cap. 1. Joannis: *cur* (inquit) *Verbum dicitur? ut oſtendatur ex mente proceſſiſſe?* Nazianzenus orat. 36. *Verbum porrò* (dicitur) *quia ita ſe habet ad Patrem, ut ſermo ad mentem.* Athanaſius autem *de Decretis Nicænæ Synodi* arguens Arianos, qui Verbum Dei fatebantur, Filium verò Dei negabant, ſic ait: *ſi ſemel concedant, Deum Verba proferre, illum Patrem eſſe omnino ignorare non poſſunt ..... Verum Dei quidem Verbum eſſe nolunt inficiari, ſed illud eſſe Dei Filium non conſentiunt; quod profectò ex veritatis ignorantia, & divinarum Scripturarum inſcitia provenit. Nam ſi verè Deus Pater eſt Verbi: cur qui gignitur Filius non ſit? ... ſive enim Filium dixeris, id quod ex ipſa naturâ oritur ſignificaſti: ſive Verbum eſſe cogitaveris, rursùs id, quod ex illo naſcitur, & ab eodem nequit ſeparari cogitaſti.*

XII. Proponitur ergo, & exponitur ratio D. Thomæ ſic. Ab eo habet proceſſio Verbi, quòd ſit generatio, ex quo habet, quòd ſit origo viventis à vivente &c. in ſimilitudinem naturæ: ſed hoc habet, quia per intellectum eſt; ergo &c. min. prob. Et quidem, quòd ex eo, quòd ſit ab intellectu ſit origo viventis à vivente, non crediderim poſſe negari: quòd verò pro-

Digitized by Google

proceſſio ſit in ſimilitudinem naturæ formaliter, & ex natura talis proceſſionis, & non ſolùm concomitanter, & identicè, ſic explico. Intellectus, dùm intelligit, & intelligendo producit Verbum, intendit illud aſſimilare, ſeu ut ſit ſimilitudo formæ, quæ illi eſt principium, *quo* intelligendi; quia omne agens intendit aſſimilare terminùm in principio quo agit: ſed forma, quâ divinus intellectus fœcundatur ad intelligendum, & ut in Patre eſt, etiam ad producendum Verbum, eſt divina natura, quæ illi ſtat pro ſpecie, & forma; ergo dùm producit Verbum, intendit producere illud ſimile in natura. Rursùs. Quia Pater producit Verbum non ex indigentia, ſeu ut in Verbo intelligat, non producit Verbum, ut præcisè in eo intelligat, ſeu ut ſibi repræſentet naturam divinam: ſed quia producit Verbum ex abundantia, & quia ſeipſum, & naturam ſuam abundantiſſimè intelligit, producit Verbum non præcisè, ut naturam divinam repræſentet, ſed ut in divina natura ſubſtantialiter, & naturaliter ſit, & ſubſiſtat, ſicut ipſe; ideòque ut ſimile ſibi in natura, nedùm in eſſe repræſentativo, ſed naturali.

XIII. Sic explicatâ ratione D. Thomæ evaneſcunt objectiones, quæ contra illam fieri ſolent, & præcipuè, quòd ex proceſſione per intellectum ſolum ſequatur, quòd terminus procedat ut ſimilis in eſſe intentionali, ſeu ut repræſentet; non ut ſit Deus.

XIV. Nam reſpondetur, quòd licèt id verum ſit de intellectu producente Verbum ex indigentia, nec valente exprimere in eo ſimilitudinem perfectam, & ſubſtantialem ſui, quia intelligere, & intelligi non eſt ſuum eſſe: non tamen de intellectu perfectiſſimo, cuius intelligere, & intelligi, eſt ſuum eſſe, producente Verbum ex abundantia, & exprimente perfectiſſimam ſimilitudinem ſui. Hic enim debet producere ſimilitudinem, quæ non ſolùm repræſentet Deum, ſed etiam quæ Deus ſubſtantialiter ſit, & quæ ſit partus ejus, nedùm intentionalis, ſed naturalis. His clauditur tota energia rationis D. Thomæ, & omnia ei contraria diſſipantur. Quod ſequenti Dubio magis apparebit.

DUBIUM V.

Cur proceſſio Spiritus Sancti generatio non ſit?

§. I.

Ratio D. Thomæ ut congruentior eligitur.

SPiritum Sanctum non procedere per generationem, & ut natum, ſeu genitum, fides docet; cujus eſto ex ſupradictis reddi non poſſit ratio evidens, congruentiam tamen dat Sanctus Thomas, cum quo

I. Dico. Spiritus Sancti proceſſio non eſt generatio, nec Spiritus Sanctus procedit ut genitus, & Filius, quia procedit per actum voluntatis, qui per ſe, & ex conditione ſua aſſimilativus in natura non eſt. Ita Divus Thomas *hâc qu.* 27. *art.* 4. Probatur. Ideò Spiritus Sanctus non eſt Filius, neque genitus, quia ex vi proceſſionis non evadit ſimilis in natura divina: ſed ideò ex vi proceſſionis non evadit ſimilis in natura divina, quia procedit per voluntatem, quæ ex ſui conditione non eſt aſſimilativa in natura; ergo &c. Min. prob. Modus operandi voluntatis non eſt per aſſimilationem, ſed per inclinationem; neque ejus proprium eſt producere ſimilitudinem, ſed impulſum, & inclinationem amantis in amatum; ergo terminus, qui procedit per voluntatem formaliter, & ex vi characteriſtica ſuæ proceſſionis non evadit ſimilis in natura, ſed inclinatio, & impulſus. Quare concludit D. Thomas citatus: *et ideò quod procedit in divinis per modum amoris non procedit ut genitum, vel ut Filius, ſed magis procedit, ut Spi-*

Spiritus. Quo nomine quadam vitalis motio, & impulſio deſignatur: pro ut aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum.

II. Et hoc benè conſiderandum eſt: actus enim voluntatis ex ſua natura non tendit ad reddendum objectum ſimile ipſi volenti, ſicut intellectus, qui fit in actu per hoc quòd res intellecta ſit in ipſo ſecundùm ſuam ſimilitudinem: ſed potiùs, cùm voluntas amans exeat quaſi extra ſe, & excurrat ad objectum, quòd amat, ipſa ſuo amore fit ſimilis ei, & quadam ratione in ipſum transformatur, juxta tritum axioma: *Anima magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat.* Hinc fit, ut qui aliquem amat, omnes illius affectiones induat; nec ſui ſimilitudinem alteri communicare, ſed potiùs alterius ſimilitudinem in ſe exprimere ſtudeat. Quamobrem rectè Auguſtinus: talem (inquit) eſſe animam, qualis eſt illius amor: cœleſtem quidem, ſi cœleſtia deſideret, terreſtrem verò, ſi fluxæ, ac labentis naturæ rebus ſtudio, & affectu inhæreat.

§. I I.

Solvuntur contraria.

III. Primò argues. Spiritui Sancto ex vi ſuæ proceſſionis communicatur natura divina; ergo procedit in ſimilitudinem naturæ. Ant. prob. Quidquid habet Spiritus Sanctus, habet ex vi ſuæ proceſſionis: ſed Spiritus Sanctus habet naturam divinam, eſt enim Deus; ergo &c. Major probatur. Quidquid enim Spiritus Sanctus habet, habet ſibi communicatum per proceſſionem; ergo habet ex vi proceſſionis.

IV. Reſpondeo negando ant. ad prob. nego maj. Ad cujus probationem, conc. ant. nego conſeq. Non enim valet: Spiritus Sanctus quidquid habet, habet per proceſſionem: & per proceſſionem habet naturam divinam; ergo quidquid habet, & ipſam naturam divinam habet ex vi proceſſionis; cùm fiat tranſitus à ſenſu identico ad formalem. Reverà quidquid habet Spiritus Sanctus habet ſibi communicatum à Patre, & Filio per proceſſionem, cùm ſit tertia Perſona ab utroque procedens: At non omnia habet ex vi, & ex ratione characteriſtica ſuæ proceſſionis; ſed hoc modo id ſolùm habet, ad quod ejus productio per ſe eſt ordinata. Hoc explicatur in hoſtia conſecrata. In hac enim per conſecrationem ponitur non ſolùm Corpus, ſed Sanguis, Anima Chriſti, & Divinitas: at non omnia hæc ex vi conſecrationis formaliter ponuntur, ſeu non omnia ſunt terminus ſpecificativus tranſubſtantiationis panis, ſed ſolum Corpus Chriſti; quia hoc ſolum ex ſua ſignificatione exprimunt verba: cætera autem ſolùm concomitanter veniunt, quia nimirùm Corpori Chriſti conjuncta ſunt. Quare ſi in triduo mortis Chriſti hoſtia conſecrata fuiſſet, facta fuiſſet vera tranſubſtantiatio; & tamen in ſolum Corpus ſinè Sanguine, & Anima. Nunc autem de facto ponuntur, quia de facto Corpori Chriſti conjuncta ſunt. Sic ergo in caſu. Ex vi proceſſionis Spiritus Sancti ſolùm producitur Spiritus, ſeu impulſus, quia ad hunc producendum actio per quam procedit eſt inſtituta; unde ſola ratio impulſus eſt terminus formalis amoris: ſed quia iſte impulſus eſt in Deo, & quidquid in Deo eſt, Deus eſt, habens naturam divinam; ideò Spiritui Sancto, eſto ex vi proceſſionis non communicetur natura divina, illam tamen accipit concomitanter, & per proceſſionem.

V. Sed dices. Ideò Verbum eſt Filius, quia ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut Deus: ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut Deus; ergo &c. Minor probatur. Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut ſubſiſtens: ſed non procedit, niſi ut ſubſiſtens in natura divina; ergo &c.

VI. Reſpondeo, vel conc. majori, ne-

negando min. vel diſt. maj. procedit ut Deus formaliter, & objectivè, conc. maj. ut Deus merè identicè, & ſubjectivè, nego maj. & diſtincta min., nego conſequ. Pater ergo, & Filius producendo Spiritum Sanctum ex vi productionis, & ex natura ſpirationis non intendunt formaliter, & immediatè producere Deum, ſeu communicare naturam divinam; ſed ſolùm producere ſpiritum, & impulſum: unde ratio objectivè terminans proceſſionem amoris eſt ſpiritus, ſeu impulſus. Quòd autem talis ſpiritus, & impulſus ſubſiſtens ſit, & in natura divina, non habet ex ratione formali ſuæ proceſſionis, ſed ex conditione ſubjecti; quia nimirùm eſt ſpiritus, & impulſus Dei, & quidquid Dei, & in Deo eſt, Deus eſt, ac in natura divina ſubſiſtens eſt. Quod exemplo ſenſibili manifeſtatur. Dùm artifex format anulum, quòd anulus ſit talis figuræ nempè rotundæ, per ſe habet anulus, ex quo anulus procedit ab artifice: quòd verò ſit aureus, vel argenteus, vel æneus, habet ſolùm ratione ſubjecti, & materiæ. Sic dùm Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, quòd Spiritus Sanctus ſit impulſus, & ſpiritus, hoc habet, quia ſpiritus, & ex vi characteriſtica ſuæ proceſſionis: quòd verò ſpiritus ille ſit aureus auro divinitatis, hoc habet ex conditione ſubjecti, quia eſt impulſus Dei. At intellectio ex propria ratione formali producit ſimile; & ſi ſit perfectiſſima, & ſuum eſſe, producit ſimile in eſſe, ſeu in natura.

Quare cautè diſtinguite inter propoſitiones, quæ de Spiritu Sancto formari ſolent. Iſtæ enim: *Spiritus Sanctus formaliter eſt Deus*: *formaliter eſt Perſona divina*, veræ ſunt, & concedendæ. Iſtæ autem: *Spiritus Sanctus procedit formaliter ut Deus*, *formaliter ut Perſona*, falſæ ſunt, & negandæ: proceditur enim à modo ſubjectivo ad modum conſtitutivum, & variatur appellatio de materiali in formalem.

VII. Sed contra dicta multa obſunt. Primò. Quia Spiritus Sanctus, ex vi ſuæ proceſſionis procedit formaliter ut diſtinctus à ratione carentibus; ergo ut perſona ſubſiſtens in natura rationali, & divinà.

Secundò. Quia procedit formaliter ut oppoſitus Patri, & Filio; ergo ut Perſona ſubſiſtens.

Tertiò. Quia ex vi ſuæ proceſſionis habet exiſtentiam divinam; ergo etiam eſſentiam divinam.

Quartò. Ex vi ſuæ proceſſionis procedit formaliter, ut Spiritus Sanctus: ſed Spiritus Sanctus formaliter eſt Deus; ergo procedit formaliter ut Deus.

Quintò. Omne agens intendit producere ſibi ſimile in princio *quo* radicali: ſed principium *quo* radicale proceſſionis Spiritus Sancti eſt natura divina, ut ſupra dictum eſt; ergo &c.

VIII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum, nego ant. Licèt enim Spiritus Sanctus ſit formaliter diſtinctus à ratione carentibus, ex vi tamen ſuæ proceſſionis ab hoc præſcindit; cùm ex vi illius ſolùm habeat, quòd ſit impulſus.

IX. Ad ſecundum. Vel nego conſequentiam; quia ex eo, quòd procedat ut formaliter oppoſitus Patri, & Filio, ſequitur ſolùm, quòd Spiritus Sanctus procedat, ut ſpiritus relativè utrique oppoſitus. Vel diſtinguo conſequens, ut Perſona relativè ad Patrem, & Filium, tranſeat, quia terminat amorem utriuſque. Ut Perſona quatenùs modificativa divinæ naturæ, nego conſequ. Quia, ut dictum eſt, naturam divinam Spiritus Sanctus accipit quidem, ſed non immediatè, & formaliter ex vi proceſſionis.

X. Ad tertium. Vel nego ant. quia terminus actionis debet quidem exiſtere; at non ſemper formaliter, & immediatè ex vi actionis, ſed aliquando identicè, & concomitanter: ſicut natura humana Chriſti exiſtit quidem, & ſubſiſtit, non tamen exiſtentiâ, & ſubſiſtentiâ ex vi generationis ei commu-

municatâ; cùm exiſtat, & ſubſiſtat ſubſiſtentiâ, & exiſtentiâ diviui Verbi.

Vel dato antecedente, nego conſequ. Quia exiſtentia communicatur Spiritui Sancto, non ut terminus ſpecialis, & ſpecificus, ſed ut conditio communis omnibus productionibus; quæ ad hoc tendunt, ut dent exiſtentiam ſuo termino. Unde non ſequitur, quòd ex vi proceſſionis accipiat naturam divinam, ut terminum ſpecificum illi ex vi ſuæ proceſſionis communicatum, ſed tantùm per proceſſionem.

XI. Ad quartum. Conc. maj. & min. nego conſ. Arguitur enim in quatuor terminis, & variatur appellatio. Nam in minori, ly *Deus* ſumitur ſubjectivè ſolùm, & in conſequenti ſumitur conſtitutivè. Nam Spiritus Sanctus licèt ſit formaliter ſubjectivè Deus, non tamen Deus eſt conſtitutivè, & ex vi ſuæ proceſſionis, ſed impulſus.

XII. Ad quintum. Nego maj. Non enim omnis actio eſt aſſimilativa in natura, ſeu in principio *quo* radicali, ſed ſolùm ea, quæ à natura inſtituta eſt ad communicandam ſubſtantiam generantis: ſicut non omnis actio hominis eſt generativa, & productiva alterius hominis, quamvis omnis ejus actio radicetur in natura. Actio autem communicativa naturæ in Deo eſt intellectio, non volitio, quæ ſolùm eſt impulſiva.

XIII. Sed petes. Quid ergo ex vi actionis productivæ communicatur Spiritui Sancto? Dico. Formaliter Spiritui Sancto ex vi ſuæ proceſſionis communicari bonitatem divinam, concomitanter verò cætera. Licèt enim in eſſe natura ſit prior bonitate, reſpectivè tamen ad voluntatem, bonitas eſt prior, & immediatior, quàm natura.

XIV. Aliter ſolvi poſſunt allatæ inſtantiæ. Quòd eſto Spiritus Sanctus procedat ut Deus, & ut Perſona ſubſiſtens in natura divina, non tamen dici debet genitus, aut Filius; quia non procedit actione per ſe aſſimilativâ in natura. Sicut Heva proceſſit ab Adamo, ut perſona ſubſiſtens in natura humana, non tamen proceſſit, ut nata, ut genita, ut filia; quia non fuit formata per actionem ex ſe aſſimilativam in natura. Et ſi homo ex ſuis carnibus, vel arte, vel virtute divinitùs ſibi conceſsâ alium hominem formaret; homo ille ſic formatus, non diceretur, nec eſſet filius, nec procederet, ut genitus, ſed ut artefactus. Ita D. Thom. 4. *contrag. cap.* 23.

XV. Secundo argues, & inſtabis. Semel dato, quòd proceſſio per intellectum in Deo ſit generatio, negari non poteſt, quin etiam proceſſio per voluntatem generatio ſit; ergo &c. ant. prob. primò. Sicut intellectus per ſe tendit ad efficiendam ſimilitudinem objecti, quod intelligitur cum principio intelligente; ita voluntas per ſe tendit ad efficiendam unitatem objecti amati cum principio amante: ut enim ait D. Thomas hâc *qu.* 27. *art.* 3. ſecundùm proceſſionem amoris *amatum eſt in amante, ſicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta eſt in intelligente.*

Secundò prob. ant. Tota ratio, quare proceſſio per voluntatem non ſit generatio, eſt, quia terminus per illam procedens, eſto ſit ſimilis in natura, id tamen non habet ex vi proceſſionis per voluntatem, ſed ſolùm ratione ſubjecti; quia nempè illa proceſſio divina eſt, & terminus procedens divinus eſt: ſed quòd terminus per intellectum procedens ſit ſimilis in natura, & proindè Filius, non habet ex vi, & natura proceſſionis per intellectum (hæc enim ex vi ſua producit ſolùm ſimilitudinem in eſſe intentionali, non verò in eſſe naturali) ſed habet ex conditione ſubjecti; quia nempè procedit per intellectum divinum, in quo idem eſt eſſe, & intelligere, & quia Verbum divinum eſt; ergo vel utraque eſt generatio, vel neutra.

XVI. Reſpondetur, negando ant. Ad primam probat. diſparitas eſt: quia vo-

voluntas eſto per ſe, & ex natura ſua tendat ad efficiendam unitatem cum objecto amato; hæc tamen unitas, pro ut ſpectat ad lineam voluntatis, ex ſua ratione formali non eſt niſi unio moralis, & affectiva: unde quòd in divinis ſit unitas etiam per identitatem in eadem natura, id prorsùs eſt extra naturam, & lineam voluntatis, ſed accidit ex conditione ſubjecti. At intellectus per ſe, & ex natura ſua tendit ad efficiendam ſummam ſimilitudinem in forma, quâ intelligit: quod ſi evadit ſimilitudo imperfecta, & ſolùm in eſſe intentionali, hoc procedit, quia intellectus imperfectus eſt, & ejus intelligere, & forma, quâ intelligit non eſt ſuum eſſe. Quòd ſi intellectus perfectiſſimus ſit, & intelligat per ſpeciem, quæ ſit natura, & ipſum eſſe intelligentis, producet ex ſua ratione formali ſimilitudinem perfectiſſimam, ideſt, quæ non ſolùm repræſentet naturam intelligentis, ſed habeat ipſam, & in tali natura ſubſiſtens ſit.

Ad ſecundam probat. ant. triplicem do diſparitatem. Primam ex D. Thoma hâc qu. 27. art. 4. ad 2. *Quod ſimilitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem. Nam ad verbum pertinet, in quantùm ipſum eſt ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis: ſed ad amorem pertinet, non quòd ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed in quantùm ſimilitudo eſt principium amandi*. Secunda diſparitas ex dictis eſt: quòd enim terminus productus per voluntatem evadat ſimilis ipſi volenti, omnino extraneum eſt voluntati, quæ non intendit producere ſimilitudinem, ſed impulſum, nec ſibi aſſimilare amatum, ſed potiùs ipſa amato aſſimilari. At intellectus ex natura ſua eſt productivus ſimilitudinis. Tertia diſparitas eſt: quòd voluntas per ſe ſolùm tendit ad unionem affectivam: unde quòd unio ſit nedùm affectiva, ſed realis, ac identica, prorsùs eſt extra naturam voluntatis, ſed ex conditione ſubjecti. At quòd ſimilitudo ſit ſumma, nimirùm nedùm in eſſe intentionali, ſed in eſſe naturali, & reali, non eſt extra naturam intellectus, qui ſi ſit perfectiſſimus, & producat verbum non ex indigentia, & ut intelligat, ſed potiùs ex abundantia, & quia intelligit, producit illud, non ſolùm, ut repræſentet, ſed ut ſit id quod repræſentat, & conſequenter, ut ſit ſimilitudo, non ſolùm in eſſe repræſentativo, ſed naturali.

XVII. Quæres. Si proceſſio Spiritus Sancti non eſt generatio, quo nomine vocanda erit?

Reſpondeo. Simplici, & communi *Proceſſionis* nomine eſſe exprimendam. Non enim alio, quàm Proceſſionis nomine Sancti Spiritus originem exprimunt tùm Scriptura, quæ *Joann. 15. v. 26.* dicit: *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Tùm traditio, & Patres. Quare in Symbolo, quod in Concilio Conſtantinopolitano I. editum eſt, dicitur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit*. Cauſa autem hujus eſt penuria terminorum: *Deum* enim (ait D. Thom. qu. 27. laudatâ art. 4. ad 3.) *nominare non poſſumus, niſi ex creaturis, ut dictum eſt ſupra* (qu. 13. art. 1.) *Et quia in creaturis communicatio naturæ non eſt, niſi per generationem, proceſſio in divinis non habet proprium, vel ſpeciale nomen, niſi generationis. Unde proceſſio, quæ non eſt generatio, remanſit ſine ſpeciali nomine; ſed poteſt nominari Spiratio, quia eſt proceſſio Spiritus*.

QUÆSTIO III.

De Divinis Relationibus.

Relatio ex Logicis eſt habitudo, ſeu ordo unius ad alterum, quia per relationem non conſtituitur res, ut ſit ad ſe, ſed ut ſit ad alterum. Duplex eſt autem: alia realis, alia rationis. Realis eſt ordo, qui reperitur inter duo ante quam-

cumque mentis conſiderationem. Rationis verò eſt, quæ per ſolam conſiderationem mentis inducitur. De relatione reali hìc ſermo erit.

DUBIUM I.

An in Deo ſint Relationes reales, & quot?

§. I.

Relationes reales in Deo ſtatuuntur.

I. DIco. Dantur in Deo relationes reales. Eſt de Fide contrà Sabellium. Et quidem ſi Trinitas Perſonarum, quæ realis ſit, in Deo ſtatuenda eſt (ut ſupra) neceſſariò admittendæ in Deo ſunt relationes reales. Ut enim ait D. Thomas 1. par. qu. 28. art. 1. in arg. ſed contra: *Pater non dicitur niſi à paternitate, & Filius à filiatione* (quæ relationes ſunt) *ſi igitur paternitas, & filiatio non ſunt in Deo realiter, ſequitur, quòd Deus non ſit realiter Pater, aut Filius, ſed ſecundùm rationem intelligentiæ tantùm: quod eſt hæreſis Sabelliana.*

II. Hanc veritatem probat D. Thomas in corp. art. hâc ratione. *Cùm aliquid procedit à principio ejuſdem naturæ, neceſſe eſt, quòd ambo, ſcilicet procedens, & id, à quo procedit, in eodem ordine conveniant, & ſic oportet, quòd habeant reales reſpectus ad invicem: ſed proceſſiones in divinis ſunt in identitate naturæ, ut oſtenſum eſt; ergo neceſſe eſt, quòd relationes, quæ ſecundùm proceſſiones divinas accipiuntur, ſint relationes reales.*

III. Confirmatur. Dari debet in Deo id, quod neceſſarium eſt, ut una Perſona realiter ſit principium, & altera ab eo principio realiter procedat, & oriatur, una generet, & ſit Pater, altera ſit genita, & ſit Filius, duæ ſpirent, & tertia ſit ſpirata: ſed hæc intelligi non poſſunt abſque realibus relationibus inter generantem, & genitum, inter ſpirantem, & ſpiratum; ergo &c.

Urgetur hoc. Dari debet realiter in Deo id, quo Perſonæ Patris, & Filii realiter inter ſe diſtinguantur: ſed id aliud eſſe non poteſt, quàm relatio: in natura enim, & cæteris prædicatis abſolutis ſingulæ Perſonæ conveniunt, & realiter idem ſunt; ergo &c.

IV. Hinc in Concilio Toletano XI. anno 675. in confeſſione fidei dicitur: *In relativis verò Perſonarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utroſque refertur; quæ cùm relativè tres perſonæ dicantur, una tamen natura per ſubſtantiam creditur... Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt: & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt: ſimiliter & Spiritus Sanctus non ad ſe, ſed ad Patrem, & Filium relativè refertur, in eo quòd Spiritus Patris, & Filii prædicatur.* Et in Concil. Florentino Joannes de Monte Nigro noſtri Ordinis, & Provinciæ Lombardiæ Provincialis, qui Latinorum partes contra Græcos propugnabat anno 1438. ſeſs. 18. ſic diſcurrebat: *Eſt ſecundùm Doctores tàm Græcos, quàm Latinos ſola relatio, quæ multiplicat Perſonas in divinis productionibus, quæ vocatur originis: ad quam duo tantùm ſpectant à quo alius, & qui ab alio.* Ex quibus poteſt confici hoc argumentum. Id, quo Perſonæ referuntur ad invicem, id, quo inter Perſonas conſtituitur numerus, id, quod Perſonas realiter multiplicat in divinis, realiter debet poni in Deo: atqui ex laudatis Conciliis id præſtant relationes in Deo; ergo &c.

§. II.

Solvuntur contraria.

V. PRimò arguitur. Relatio non facit extrema diſtincta, ſed illa jam diſtincta ſupponit, ut patet in creatis; ergo diſtinctio Perſonarum in divinis non eſt petenda à relationibus;

Digitized by Google

bus; ergo ex hoc capite non ſunt ponendæ in Deo relationes.

Reſpondetur, antecedens verum eſſe in relationibus creatis, quæ cùm ſint accidentia non faciunt ſuum ſubjectum, ſed ſupponunt; non autem in relationibus divinis, quæ, cùm ſint ſubſtantia, non accidens, non ſupponunt ſuum ſubjectum, ſed illud faciunt, & conſtituunt, & per ſe ipſas illud diſtinguunt. Quomodo autem hoc contingat, diximus *qu. præced. Dub.* 2. §. 5. ex D. Thom. *qu.* 10. *de potentia art.* 3.

VI. Secundò arguitur. Relatio eſt ordo unius ad aliud: ſed inter divinas Perſonas non eſt ordo; ergo &c. Minor probatur primò. Quia quidquid in Deo eſt, Deus eſt: ſed ejuſdem ad ſe non eſt ordo realis; ergo &c.

Secundò. Ordo, vel dicit, vel ſupponit dependentiam unius ab alio: unde ordo Filii ad Patrem ſupponit in Filio dependentiam à Patre.

Tertiò. Sicut una Perſona divina procedit ab alia, ita creaturæ procedunt à Deo: ſed in Deo non datur ordo realis ad creaturas procedentes; ergo neque Perſona, à qua alia procedit, dicit ordinem ad Perſonam procedentem.

Quartò. Ordo datur inter aliud, & aliud: ſed ut loquitur Concilium Lateranenſe IV. cap. 2. *Licèt alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: ſed id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino*; ergo &c.

VII. Reſpondetur, neg. min. Ad primam probat. dico, quòd ejuſdem ad ſe, in eo, in quo eſt idem certè ordo eſſe non poteſt; benè tamen eſſe poteſt in eo, in quo non eſt idem, propter originem unius ab alio: & ſic eſt inter divinas Perſonas, quæ licèt in natura idem ſint, invicem tamen diſtinguuntur. Neque identitas, quam habent relationes cum divina eſſentia tollit, quin poſſint invicem realiter opponi: etenim, ut docet D. Thomas qu. 8. de potentia art. 2. ad 3. *Licèt relatio non addat ſupra eſſentiam aliquam rem, ſed ſolùm rationem; tamen relatio eſt aliqua res, ſicut etiam bonitas eſt aliqua res in Deo, licèt non differat ab eſſentia niſi ratione, & ſimiliter eſt de ſapientia. Et ideò ſicut ea, quæ pertinent ad bonitatem, vel ſapientiam realiter Deo conveniunt, ut intelligere, & alia hujuſmodi: ita etiam id, quod eſt proprium realis relationis, ſcilicet opponi, & diſtingui realiter, in divinis invenitur.*

VIII. Sed dices. Cum identitate divinæ naturæ non ſtant in Deo alia genera oppoſitionum; ergo neque oppoſitio relativa.

Reſpondeo cum D. Thom. qu. 8. de pot. art. 1. ad 13. *Quod in aliis oppoſitionibus ſemper alterum eſt ut imperfectum, vel non ens, vel ut habens aliquid de non ente. Negatio enim eſt non ens, & privatio eſt quædam negatio, & duorum contrariorum alterum ſemper habet aliquid privationis. Unde aliæ oppoſitiones in Deo eſſe non poſſunt, ſicut oppoſitio relationis, quæ ex neutra parte importat imperfectionem.*

IX. Ad ſecundùm dico, quòd ordo formaliter non dicit dependentiam unius ab altero, ſed puram connexionem unius cum altero; & licèt ordo fundatus in ratione cauſæ ſupponat dependentiam, non tamen ordo, qui fundatur in pura ratione principii, ut ſuperiùs dictum eſt.

X. Ad tertium dico, quòd ordo datur inter res ejuſdem generis, & naturæ, & cùm Deus non comprehendatur ſub ordine creato, imò ſit extra, vel potiùs ſupra ordinem totius entis creati; ideò in Deo non datur realis ordo ad creaturas ab ipſo procedentes: benè tamen creaturæ procedentes, quæ ſub ordine divino continentur, ſicut effectus, dicunt ordinem ad Deum. Sed divinæ proceſſiones & Perſonæ per eas procedentes ſunt in eodem ordine, imò in eadem natura; & ideò fundant relationem realem in utroque extremo, ſcilicet in princi-

Digitized by Google

pio proceſſionis, & in termino procedente. Reſponſio eſt D. Thom. 1. *par. qu.* 28. *art.* 1. *ad* 3. Aliam reſponſionem dat S. Doct. *qu.* 8. *de potentia art.* 1. *ad* 3. quam Studioſus adire poterit.

XI. Ad quartum reſpondeo, neg. maj. Poteſt enim dari ordo inter alium, & alium. Pro quo noto cum D. Thoma 1. par. qu. 31. art. 2. ad 4. Hanc eſſe differentiam inter *aliud* neutrum, & *alium* maſculinum: *quòd neutrum genus eſt informe, maſculinum autem eſt formatum, & diſtinctum, & ſimiliter fœmininum. Et ideò convenienter per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis, per maſculinum autem, & fœmininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura. Unde etiam in rebus humanis, ſi quæratur: Quis eſt iſte? Reſpondetur, Socrates, quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur: Quid eſt iſte? Reſpondetur, animal rationale, & mortale. Et ideò quia in divinis diſtinctio eſt ſecundùm perſonas, non autem ſecundùm eſſentiam, dicimus quòd Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud. Et è converſo dicimus, quod ſunt unum, ſed non unus.*

XII. Tertiò argues. Relationes non poſſunt dici de aliquo, niſi, aut ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundum accidens: at neutro modo poſſunt dici de Deo; ergo &c. Min. prob. Nam ſi dicantur ſecundùm ſubſtantiam, cùm relatio efficiat diſtinctionem, efficéret diſtinctionem in ſubſtantia, ſive in eſſentia, & ſic non eſſet una eſſentia in divinis Perſonis. Si verò dicantur ſecundùm accidens; ergo jam in Deo erunt accidentia; ergo Deus non erit omnino ſimplex, & immutabilis.

XIII. Hoc erat argumentum Arianorum apud D. Auguſt. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 3. ajebant enim: *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non ſecundùm accidens, ſed ſecundùm ſubſtantiam dicitur. Quapropter ingenitum eſſe Patri ſecundùm ſubſtantiam eſt, & genitum eſſe Filio ſecundùm ſubſtantiam eſt. Diverſum autem ingenitum eſſe, & genitum eſſe; diverſa eſt ergo ſubſtantia Patris, & Filii.*

Hoc argumentum S. Doctor retorquet in illos hoc modo: *Si quidquid de Deo dicitur, ſecundùm ſubſtantiam dicitur; ergo quod dictum eſt:* ego, & Pater unum ſumus, *ſecundùm ſubſtantiam dictum eſt: una eſt igitur ſubſtantia Patris, & Filii. Aut ſi hoc non ſecundùm ſubſtantiam dictum eſt; dicitur ergo aliquid de Deo non ſecundùm ſubſtantiam. Et ideò jam non cogimur ſecundùm ſubſtantiam intelligere ingenitum, & genitum.*

Aliter quoque retorquet ſic: *Item dictum eſt de Filio:* non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. *Quærimus: ſecundùm quid æqualis? Si enim non ſecundùm ſubſtantiam dicitur æqualis, admittunt, ut dicatur aliquid de Deo, non ſecundùm ſubſtantiam: admittant ergo non ſecundùm ſubſtantiam dici ingenitum, & genitum. Quod ſi propterea non admittunt, quia omnia de Deo ſecundùm ſubſtantiam dici volunt; ſecundùm ſubſtantiam Filius æqualis eſt Patri.* Ita acutiſſimè S. Auguſtinus.

XIV. Reſpondetur ergo cum eodem S. Doct. negando maj. Licèt enim id, quod de aliquo dicitur in ordine ad ſe, dicatur, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm accidens; id tamen, quod de aliquo dicitur in ordine ad alium, non dicitur formaliter, nec ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum accidens, ſed ſecundùm eſſe relativum, quod ex ſua ratione præſcindit à ſubſtantia, & accidente. *Si quod dicitur Pater* (inquit S. Doct. cap. 5.) *ad ſeipſum diceretur, non ad Filium, & quod dicitur Filius ad ſeipſum diceretur, non ad Patrem, ſecundùm ſubſtantiam diceretur, & ille Pater, & ille Filius: ſed quia & Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quòd eſt ei Filius, & Filius non dicitur, niſi ex eo quòd habet Patrem, non ſecundùm ſubſtantiam hæc dicuntur, quia non quiſque eorum ad ſeipſum, ſed ad invicem, atque ad alterutrum iſta dicuntur: ne-*

que

que ſecundùm accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius æternum atque incommutabile eſt eis. Quamobrem quamvis diverſum ſit Patrem eſſe, & Filium eſſe, non eſt tamen diverſa ſubſtantia: quia hoc non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relativum, quòd tamen relativum non eſt accidens, quia non eſt mutabile.

§. III.

Numerus Relationum Divinarum.

XV. Dico. Relationes in Deo ſunt quatuor, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Proceſſio, ſeu Spiratio paſſiva. Ita S. Thomas *hâc* 1. *par. qu.* 28. *art.* 4. cujus ratione probatur ſic. Ex dictis, duæ in divinis ſunt proceſſiones reales ad intra; ergo quatuor ſunt reales relationes. Conſequentia probatur. Cuilibet proceſſioni duplex tantùm relatio oppoſita correſpondere debet, nimirùm proceſſioni per intellectum, quæ eſt generatio, relatio principii producentis, quæ eſt paternitas, cui in terminò procedente reſpondet filiatio, tanquam relatio oppoſita paternitati: proceſſioni verò per voluntatem relatio principii ſpirantis, quæ dicitur ſpiratio activa, cui in termino procedente correſpondet ſpiratio paſſiva.

XVI. Dices primò. Si quatuor ſunt relationes in Deo, jam in eo dabitur non Trinitas, ſed quaternitas, quod expreſsè damnat Concilium Lateranenſe IV. cap. 2. dicens: in Deo *Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas.*

Reſpondeo, negando aſſumtum. Spiratio enim activa, ſeu relatio producentis Spiritum Sanctum non diſtinguitur realiter à paternitate, & filiatione; nec conſtituit Perſonam diſtinctam à Patre, & Filio; ac proinde nec quartam Perſonam, nec quartam rem in Deo ponit.

XVII. Dices ſecundò. Æqualitas, & ſimilitudo ſunt relationes quædam, & ſunt in Deo ab æterno; ergo plures ſunt in Deo relationes, quàm quatuor.

Reſpondeo ex D. Thom. *qu.* 28. *art.* 4. citato *ad* 4. & *qu.* 42. *art.* 1. *ad* 4. quòd æqualitas, & ſimilitudo non ſunt relationes reales, ſed rationis tantùm. Nam æqualitas, vel eſt in eſſentia, vel in relationibus, ſeu Perſonis. Eſſentia eſt una, & eadem: nihil autem poteſt eſſe ſibi ipſi æquale, & ad ſeipſum realiter referri. Vel eſt in relationibus, ſeu Perſonis; & ſic æqualitas non eſt relatio ab aliis relationibus diſtincta: nam una relatio ſeipsâ, non aliâ relatione refertur ad aliam, aliàs daretur proceſſus in infinitum. Quare concludit D. Thom. citatâ qu. 42. art. 1. ad 4. *Æqualitas, & ſimilitudo in divinis Perſonis non eſt aliqua realis relatio diſtincta à relationibus perſonalibus: ſed in ſuo intellectu includit, & relationes diſtinguentes Perſonas, & eſſentiæ unitatem.*

DUBIUM II.

An Relationes Divinæ diſtinguantur ab Eſſentia.

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. Hanc quæſtionem tractat Divus Thomas, tùm hâc 1. *par. qu.* 28. *art.* 2. tùm *qu.* 8. *de potentiâ art.* 2. tùm 4. *contrag. cap.* 14. tùm alibi paſſim. Et nos quoque *quaſt.* 4. *de divin. attributis dub.* 1. fusè proſequuti ſumus: ubi quamvis de attributis directè loquuti ſimus, multa tamen de relationibus, de quibus relatè ad eſſentiam eadem ratio eſt, adjecimus. Illùc ergo Lectorem revocamus.

II. Ibi duos errores extremos recenſuimus: unum Gilberto Porretano tributum, qui poſuit, relationes divinas realiter ab eſſentia diſtingui. Quare D. Thom. qu. 28. art. 2. citato:

Digitized by Google

to, *Circa hoc* (inquit) *dicitur Gilbertus Porretanus erraſſe, ſed errorem ſuum poſtea in Remenſi Concilio revocaſſe. Dixit enim, quòd relationes divinæ ſunt aſſiſtentes, ſive extrinſecùs affixæ*. Alterum Eunomii, nullam nec mentalem diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes agnoſcentis.

III. Gilberto proximus fuit Durandus, qui inter eſſentiam, & relationes poſuit diſtinctionem quidem realem, non tamen tanquam inter duas res, ſed tanquam inter rem, & modum rei. Nominales verò, quamvis dicere non auſim ad Eunomii errorem accedere, dicunt, nullam inter eſſentiam, & relationes dari diſtinctionem ex parte rei ſignificatæ, ſed ſolùm ex parte noſtri intellectus, eandem omnino rem diverſis conceptibus cognoſcentis, & diverſis nominibus exprimentis. Hos ſuperiùs loco citato §. 5. retulimus, & rejecimus.

IV. Scotus inter eſſentiam, & relationes ponit ſuam diſtinctionem formalem ex natura rei, realem quidem, quia ante omnem cogitationem intellectus; non tamen entitativam, quia non inter duas res, ſed inter duas formalitates. De hac egimus citato loco §. 6. & 7. Thomiſtæ vero, & alii quamplures inter eſſentiam, & relationes nullam ponunt diſtinctionem, quæ ſit actualis à parte rei, ſed ſolùm virtualis, & quæ ſolâ cogitatione intellectus fiat actualis. De qua egimus relato loco §. 8. & 9. Ne ergo jam dicta inutiliter repetantur, ita quæſtionem hanc pertractabimus, ut ad ea Studioſum identidem remittamus.

§. II.

Aſſertiones.

V. Dico primò. Relationes divinæ non diſtinguuntur ab eſſentia diſtinctione reali, tanquam illi extrinſecùs affixæ. Eſt contra Gilbertum. Aſſertio hæc probata manet ſuperiùs; eò quòd, ſi eſſentia eſſet alia res à Perſonis ſeu relationibus, jam in Deo daretur non Trinitas, ſed quaternitas, nimirùm tres Perſonæ, & rurſùs illa res, quæ eſſet eſſentia, contra ſtatutum à Concilio Lateranenſi IV. cap. 2. *Credimus, & confitemur cum Petro* (Lombardo) *quòd una quadam ſumma res eſt, quæ veraciter eſt Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim qualibet earum: & ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina.*

Nec valet dicere, Concilium reprobare quaternitatem Perſonarum, non quaternitatem rerum.

VI. Nam de ea quaternitate agit Concilium, quam Abbas Joachim contendebat ſequi ex hac Petri Lombardi propoſitione: *quadam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens*: ſed quaternitas, quam Joachimus contendebat ſequi ex illa propoſitione, non erat quaternitas Perſonarum, ſed quaternitas reſultans ex tribus Perſonis, & ſummâ illâ re, quam Lombardus aſſeruerat, nec eſſe generantem, nec genitam, nec procedentem, quæ res nil aliud erat, quàm eſſentia divina; ergo &c.

Deinde Concilium dicit: *ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia &c.* ergo hoc ideò aſſerit, quia quælibet trium Perſonarum realiter eſt, & non realiter diſtinguitur ab illa re, quæ eſt eſſentia; ergo negat quaternitatem ex tribus Perſonis, & re ab illis diſtinctâ.

VII. Prob. ſecundò. Relationes, quas Gilbertus ponebat realiter diſtinctas, ab eſſentia, vel erant Deo intrinſecè unitæ, vel ſolùm extrinſecùs affixæ, & aſſiſtentes: ſi primum; ergo Perſona divina erit quid realiter compoſitum ex relatione, & eſſentia, quia compoſitio eſt diſtinctorum unio. Si ſecundum, ut videtur ſenſiſſe Gilber-

ber-

bertus; quæro: relationes illæ ſic affixæ, & Deo aſſiſtentes, ſunt ne quid increatum, an creatum? Si primum; ergo ſunt realiter Deus; ergo idem realiter cum Deo, & ejus eſſentia, increatum enim, & Deus convertuntur. Si ſecundum; ergo perſona divina eſt aliquid conſtans ex increato, nimirùm divina eſſentia, & creato, nempe relatione, quod adverſus Porretanum damnavit Remenſis Synodus dicens: *Credimus nullas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, ſive unitates dicantur, adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.*

VIII. Dico ſecundò. Relationes divinæ non diſtinguuntur à divina eſſentia diſtinctione reali modali. Eſt contra Durandum, adversùs quem redeunt omnia argumenta ſuperiùs facta contra Gilbertum. Durandus enim ponit quidem diſtinctionem ſolùm modalem, ſed reverà realem; ità ut relationes ſint modi realiter afficientes naturam divinam, & hæc ſit res, quæ talibus modis afficitur. Unde ſic arguo. Vel illi modi relativi, qui realiter non ſunt natura divina, ſed illam afficiunt, ſunt quid increatum, vel creatum: ſi primum, erunt Deus, & ſic realiter natura divina. Si ſecundum; ergo Perſona divina erit aliquid realiter compoſitum ex eſſentia increata, & modo creato. Rursùs: jam ponenda erit in Deo realis quaternitas, nempe tres modi, ſeu relationes, & eſſentia velut quædam res ab illis realiter diſtincta.

Præterea. Si natura divina in aliquo ſenſu reali eſſet diſtincta à relationibus, non poſſet cum veritate affirmari relatio de Deitate, & è contra: ſicut quia Petrus realiter modaliter diſtinguitur à ſua ſeſſione, non poteſt cum veritate affirmari, quod Petrus ſit ſua ſeſſio, & quod ſeſſio Petri ſit Petrus. Et ratio eſt; quia affirmatio fundatur in identitate ſubjecti cum prædicato: atqui ſecundùm Concilia Remenſe, & Lateranenſe IV. verè de Patre affirmatur Deitas, dicitur enim, nedum Pater eſt Deus, ſed Pater eſt Deitas, Pater eſt ſua eſſentia: de Deo affirmatur Trinitas, dicendo Deus eſt Trinitas, Trinitas eſt Deus; ergo relationes non ſunt realiter modaliter ab eſſentia diſtinctæ. Quapropter Concilium Lateranenſe laudatum cap. 2. *Licèt igitur* (inquit) *alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater eſt Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino.*

IX. Sed dices. Si eſſentia divina eſt prorſùs idem realiter cum Perſona, & viciſſim prædicari poſſunt, ſequitur, quòd, ſicut verè dicitur quòd Pater generat, Filius gignitur; ita quòd eſſentia, ſeu Deitas generat, eſſentia, ſeu Deitas gignitur, valet enim iſte diſcurſus. Pater eſt eſſentia: Pater generat; ergo eſſentia generat; ſed hic fuit error Abbatis Joachim damnatus in Concilio Lateranenſi IV. cap. 2. citato; ergo &c.

Reſpondeo cum D. Thoma 1. par. qu. 39. art. 5. negando maj. Nam *ad veritatem locutionum non ſolùm oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi. Licèt autem ſecundùm rem ſit idem Deus* (vel Pater & Filius) *quod Deitas, non tamen eſt idem modus ſignificandi utrobique. Nam hoc nomen, Deus* (& Pater, ſeu Filius) *quia ſignificat divinam eſſentiam ut in habente, ex modo ſuæ ſignificationis naturaliter habet, quòd poſſit ſupponere pro perſona. Et ſic ea, quæ ſunt propria Perſonarum poſſunt prædicari de hoc nomine Deus* (& Pater, aut Filius) *ut dicatur quod Deus eſt genitus vel generans. Sed hoc nomen eſſentia non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quòd ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiam ut formam abſtractam. Et ideo ea, quæ ſunt propria Perſonarum, quibus ad invicem diſtinguuntur, non poſſunt eſſentiæ attribui: ſignificaretur enim, quòd eſſet diſtinctio in eſſentia divina, ſicut eſt diſtinctio in ſuppoſitis.*

X. Dico tertiò. Inter Divinas relatio-

tiones, & eſſentiam locum non habet diſtinctio realis formalis Scoti. Probatur omnibus rationibus, quibus relato loco §. 6. probavimus, eam locum non habere inter divinam eſſentiam, & attributa, ubi etiam id probavimus de Perſonis. Quibus nihil hìc addendum exiſtimamus.

XI. Dico quartò. Eſſentia divina, & relationes non diſtinguuntur ſolâ ratione raticionante. Eſt contrà Nominales; quæ aſſertio manet probata rationibus ſuperiùs adductis §. 5. quò Lectorem remitto. Quibus hoc unum addo. Nam ſi alia diſtinctio non admittitur, quàm ex parte intellectus diſtinguentis abſque ullo ex parte rei ſignificatæ fundamento, ægrè explicari poteſt, quomodo Pater naturam divinam communicet Filio, ei non communicatâ paternitate; & quòd *omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo dedit, præter eſſe Patrem*, ut loquitur Concilium Florentinum in decreto Unionis; & quâ ratione Verbum, quod eſſentialiter eſt ſapientia, non ſit eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum relativè, ſapientia verò eſſentialiter intelligitur, ut docet Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. cap. 2.*

XII. Dico quintò. Relationes divinæ diſtinguuntur ab eſſentia ante opus intellectus diſtinctione ſolùm virtuali; & per intellectum ſolâ diſtinctione rationis ratiocinatæ. Videantur dicta loco ſæpe allato de attributis *Dub. 1. §. 8. & 9.*

§. III.

Solvuntur argumenta.

OMnia argumenta, quæ actualem diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes ante opus intellectus probare conantur, ex communicabilitate eſſentiæ, & incommunicabilitate relationum, ex verificatione contradictoriorum, & ſimilibus, videri poſſunt loco ſupra relato §. 7. ubi Studioſus omnia ea inveniet propoſita, & ſoluta.

XIII. Primo ergo arguitur pro Gilberto, & Durando. Non minùs, imò magis, diſtingui debent abſolutum, & relativum, quàm relativum, & relativum, quia relativum, & abſolutum ſunt diverſi ordinis, ſeu generis: ſed relativum, & relativum in divinis actu realiter diſtinguuntur: ergo ſic diſtingui debet abſolutum à relativo.

Confirmatur. Auguſt. dicit 7. de Trinit. cap. 1. *Omnis res, quæ relativè dicitur eſt etiam aliquid excepto relativo, ſicut homo dominus, & homo ſervus.* Si igitur relationes aliquæ ſunt in Deo, oportet, eſſe in Deo aliquid aliud, præter relationes: ſed hoc aliud non poteſt eſſe, niſi eſſentia; ergo eſſentia eſt aliud à relationibus.

XIV. Reſpondeo, negando maj. quia abſolutum, & relativum licèt ſint diverſi ordinis, ſeu generis, tamen invicem non opponuntur; in divinis autem omnia ſunt unum, ubi non obeſt relativa oppoſitio. At relativum, & relativum in divinis ſibi invicèm ita opponuntur, ut unum non poſſit eſſe alterum: quare qui dicit Patrem, neceſſariò dicit Filium ab eo diſtinctum; & qui dicit principium, dicit terminum procedentem ab eo diſtinctum.

XV. Quod ſi dicas. Id quod facit diſtinctionem in divinis Perſonis non eſt idem cum eo, quod non diſtinguit, nec diſtinguitur: ſed relatio in divinis diſtinguit, eſſentia autem nec diſtinguit, nec diſtinguitur; ergo &c.

Reſpondet D. Thom. qu. 8. de potentia art. 2. ad 8. quòd *illud quod facit diſtinctionem, poteſt eſſe cum eo, quod nec diſtinguit, nec diſtinguitur, idem re: ſed non ratione.* Hoc autem ſuperiùs explicaverat *ad 2.* dicens: *Alia eſt ratio ſubſtantiæ, & relationis: & utrique reſpondet aliquid in re, quæ Deus eſt. Non tamen aliquæ res diverſæ, ſed una & eadem, & hoc præcipuè convenit, quod duabus rationibus reſ-*

pon-

pondet una res, quando natura perfectè comprehendit ipſam rem, & ſic eſt in propoſito.

XVI. Ad confirm. præter dicta loco citato §. 7. *num.* 60. reſpondeo ex D. Thoma 1. part. qu. 28. art. 2. ad 2. quòd *ſicut in rebus creatis, in illo, quod dicitur relativè, non ſolùm eſt invenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum: ita & in Deo. Sed tamen aliter, & aliter. Nam id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi eſt alia res. In Deo autem non eſt alia res, ſed una & eadem, quæ non perfectè exprimitur relationis nomine, quaſi ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa: dictum eſt enim ſupra* (qu. 13.) *cum de divinis nominbius agebatur, quod plus continetur in perfectione divinæ eſſentiæ, quàm aliquo nomine ſignificari poſſit. Unde non ſequitur, quòd in Deo præter relationem ſit aliquid aliud ſecundùm rem, ſed ſolùm conſideratâ nominum ratione.*

XVII. Secundò arguitur. Tritum eſt apud veteres, ajebat Gilbertus, ex Theodoreto, quod *qui naturam, & Perſonam idem eſſe intelligit, in diviſionem Arii incidit, aut in confuſionem Sabellii:* & ex Hilario *non eſt idem natura, quod res naturæ:* ſed relatio eſt res naturæ; ergo non eſt idem natura divina & relatio.

Confirmatur primò. Si bonitas, ſapientia, & alia abſoluta, quæ ſunt realiter idem cum eſſentia, realiter inter ſe diſtinguerentur, diſtinguerentur etiam ſecundùm eſſentiam; ergo ſi relationes ſunt idem cum eſſentia divina, vel non diſtinguuntur realiter inter ſe; vel ſi realiter diſtinguuntur, diſtinguuntur ſecundùm ſubſtantiam, & eſſentiam.

Confirmatur ſecundò. Quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur de ſubjecto: ſed ſi relatio eſt ipſa eſſentia divina, hæc prædicatio erit vera: eſſentia eſt paternitas; & pari ratione iſta: filiatio eſt divina eſſentia; ergo ſequitur, quòd filiatio ſit paternitas.

XVIII. Reſpondeo, mentem Theodoreti, & Hilarii fuiſſe, non quòd natura, & Perſona non ſint idem realiter, ſed ſolùm, quòd non ſint idem tam re, quàm ratione, ut volebat Eunomius. Poſito enim, quòd eſſentia, & relatio ſint idem tam re, quàm ratione, ſequitur, quòd, vel non multiplicentur relationes, ſi non multiplicatur eſſentia, quæ eſt hæreſis Sabelliana; vel ſi multiplicantur relationes, etiam eſſentia multiplicetur, quod volebat Eunomius, & Arius. Hoc tamen non ſequitur, ſi catholicè ponatur, eſſentiam eſſe quidem idem re cum relationibus, ſed ratione ab illis diverſam.

XIX. Sed contra inſtabis. Ut ſalvetur Trinitas Perſonarum contra Sabellium, & unitas eſſentiæ contra Arium, debet ſalvari, quòd realiter multiplicentur Perſonæ, & quòd realiter non multiplicetur eſſentia: atqui ſi Perſonæ ſunt idem realiter cum eſſentia, hoc non poſſet ſalvari, quia idem realiter multiplicaretur, & realiter non multiplicaretur; ergo &c.

Reſpondeo diſt. min. idem adæquatè ſumtum multiplicaretur, & non &c. nego min. idem inadæquatè conc. min. & nego conſequ. Cùm eſſentia divina adæquatè ſumta æquivaleat abſoluto, & relativo, poteſt inadæquatè, ut æquivalet relativo, realiter multiplicari, & inadæquatè, ut æquivalet abſoluto immultiplicabili, non multiplicari. Cujus rei aliquale exemplum afferri poteſt. Si enim idem corpus replicaretur in pluribus locis, eſſet unum, & multiplex. Unum unitate ſubſtantiæ corporis, multiplex ratione præſentiæ localis. Corpus item Chriſti unum eſt, & tamen præſentiæ Sacramentales in eo multiplicantur. Cæterum hæc exempla valent, quantum poſſunt.

XX. Ad primam confirm. reſpondet D. Thomas qu. 8. de potentia art. 2. ad 4. *Quod attributa eſſentialia non ſolùm ſignificant id, quod eſt eſſentia divina, ſed etiam ſignificant per talem* mo-

modum, quia ſignificant aliquid, ut in Deo exiſtens. Et propter hoc differentia, quæ eſſet inter abſoluta redundaret in diverſitatem eſſentiæ. Relationes autem divinæ licèt ſignificent id, quod eſt eſſentia divina, non tamen per modum eſſentiæ, quia non per modum inexiſtentis, ſed per modum ſe habentis ad aliud. Unde diſtinctio, quæ attenditur ſecundùm relationes in divinis, non deſignat diſtinctionem in eſſentia, ſed ſolùm in hoc, quod eſt ad aliud ſe habere per modum originis. Et licèt relatio divina ſit ſubſtantia divina, non tamen ſignificatur per modum ſubſtantiæ, ut ait idem S. D. ibi *ad* 5.

XXI. Ad ſecundam confirm. reſpondet idem S. Thomas ibidem ad 6. *quod ratio illa tenet in prædicabilibus per ſe: per ſe autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundùm propriam rationem. Quod verò non ſecundùm propriam rationem prædicatur, ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe. Cùm ergo dicitur: eſſentia divina eſt paternitas, non prædicatur paternitas de eſſentia divina propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei, & ſimiliter nec eſſentia de paternitate, ut jam dictum eſt; quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis: & ideò in prædicto proceſſu incidit fallacia accidentis. Licèt enim in Deo nullum ſit accidens, eſt tamen quædam ſimilitudo accidentis, in quantùm ea, quæ de ſe invicem prædicantur ſecundùm accidens, & differunt ratione, ſunt unum ſubjecto.*

XXII. Ex dictis ſolvi poteſt alia communis inſtantia, nimirum: quæ ſunt realiter idem cum uno tertio, non poſſunt realiter diſtingui inter ſe: ſed paternitas, & filiatio realiter diſtinguuntur inter ſe; ergo non ſunt idem cum uno tertio, quod ſit eſſentia.

Nam reſpondetur, majorem eſſe veram de iis, quæ identificantur cum uno tertio adæquatè, & identitate non ſolùm rei, ſed rationis: ſecùs verò de iis, quæ identificantur cum tertio inadæquatè, & identitate ſolâ rei, non rationis. Si enim hæc ex ſua ratione ſint oppoſita, quamvis identificentur cum tertio, poſſunt realiter diſtingui inter ſe, ut in relationibus contingit.

Quare aliter diſtingui poteſt maj. quæ ſunt realiter idem &c. ſi non dicant rationes relativè oppoſitas, concedo. Si dicant &c. ut dicunt invicem Perſonæ, nego maj.

XXIII. Tertiò arguitur, & replicatur. Relatio, & eſſentia differunt ſaltem ratione in divinis: ſed ubi eſt diverſa ratio, ſive definitio, eſt diverſum eſſe, quia definitio eſt oratio indicans quid eſt eſſe; ergo aliud erit eſſe relationis in divinis, & aliud ſubſtantiæ; ergo relatio, & ſubſtantia differunt ſecundùm eſſe, & ita realiter. Ita ſibi opponit D. Thomas *qu.* 8. *de pot. art.* 2. Cui

Reſpondet: ad 12. *dicendum, quòd in divinis nullo modo eſt eſſe, niſi eſſentia, ſicut nec intelligere, niſi intellectus. Et propter hoc, ſicut in Deo eſt unum tantùm intelligere: ita etiam unum eſſe. Et ideò nullo modo concedendum eſt, quod aliud ſit eſſe relationis in divinis, & aliud eſſentiæ. Ratio autem non ſignificat eſſe, ſed eſſe* quid, *id eſt quid aliquid eſt. Unde duæ rationes unius rei non demonſtrant duplex eſſe ejus: ſed demonſtrant, quod dupliciter de illa re poteſt dici quid eſt, ſicut de puncto poteſt dici quid eſt, ſicut principium, & ut finis, propter diverſam rationem principii, & finis.* Quæ valdè notanda ſunt.

XXIV. Quartò argues. Ideò relationes non diſtinguuntur realiter ab eſſentia divina, quia aliàs facerent cum illa realem compoſitionem: ſed hoc eſt falſum, nam etiam tres divinæ Perſonæ realiter diſtinguuntur inter ſe, & tamen nullam faciunt inter ſe compoſitionem; ergo &c.

Si reſpondeas, negando min. & ad ejus probat. neges conſeq. Cùm enim compoſitio oriatur, non ſolùm ex diſtinctione, ſed ex unione diſtinctorum;

Et

Digitized by Google

Et divinæ Perſonæ inter ſe non uniantur, ſed potiùs opponantur; non mirum, ſi nullam inter ſe faciant compoſitionem. At relationes uniuntur cum eſſentia, & illam afficiunt, tanquam modi illius; & propterea ſi aliquo modo realiter ab ea diſtinguerentur, ei unirentur per compoſitionem.

XXV. Contrà eſt. Si relatio uniretur cum eſſentia divina, denominaret eam relatam: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Nego maj. Relatio enim denominat relatum ſolum ſubjectum, quod alteri opponitur, non autem ſubjectum, ſeu principium *quo*. Cùm ergo ſola Perſona ſit ſubjectum *quod* relativè alteri opponitur, non verò eſſentia; ideò ſola Perſona denominatur relata, quia hæc ſola dicitur generans, genita, procedens; non eſſentia, quæ nec eſt generans, nec genita, nec procedens.

XXVI. Quintò argues. Ea, quæ aliquomodo realiter non identificantur, aliquomodo realiter inter ſe diſtinguuntur: ſed paternitas, & eſſentia aliquomodo realiter non identificantur; ergo &c. Min. prob. Quod non identificatur, realiter, cum omni eo, quod realiter eſt ipſa eſſentia, aliquomodo realiter non identificatur cum ipſa eſſentia: ſed paternitas non identificatur realiter cum filiatione, quæ realiter eſt ipſa eſſentia; ergo &c.

Reſpondeo, negando min. ad probat. diſt. maj. cum omni eo &c. adæquatè ſumto, conc. maj. inadæquatè ſumto, & præciſè ſecundùm aliquam expreſſionem, ſeu virtualitatem, nego maj. Paternitas ergo eſto realiter non identificetur cum filiatione inadæquatè ſumtâ, & ſub expreſſo filiationis, quo realiter opponitur paternitati, identificatur tamen cum filiatione adæquatè ſumtâ, ſeu cum realitate, & cum eo, quod filiatio realiter eſt; quia realitas filiationis, cùm ſit realitas eſſentiæ, ideò ſicut paternitas identificatur realiter cum eſſentia divina, ita identificatur realiter cum realitate filiationis, ſeu cum filiatione adæquatè ſumta.

XXVII. Sextò argues pro Scoto. Eſſentia ex ſua ratione formali non eſt relatio; eſt enim ſubſtantia, & hæc propoſitio: ſubſtantia non eſt relatio, eſt propoſitio immediata, ſicut iſta: ſubſtantia non eſt accidens, ſeu quantitas; ergo ſaltem ex ſua ratione formali diſtinguitur à relatione. Tùm quia abſolutum ex ſua ratione formali, ſeu ex ſua natura non eſt relativum.

XXVIII. Reſpondeo cum D. Thom. qu. 8. de pot. art. 2. ad 1. *Quod nulla ſubſtantia, quæ eſt in genere, poteſt eſſe relatio, quia eſt definita ad unum genus, & per conſequens excluditur ab alio genere. Sed eſſentia Divina non eſt in genere ſubſtantia, ſed eſt ſupra omne genus, comprehendens in ſe omnium generum perfectiones. Unde nihil prohibet, id quod eſt relationis in ea inveniri.* Quare ratio ſubſtantiæ, & relationis, ſeu abſoluti, & relativi, vel poteſt conſiderari, ut contracta ad creaturam, & ſic poſitivè non ſunt idem; quia conſtituunt, & definita ſunt ad certa genera: vel poteſt conſiderari, ut contracta ad Deum, & ſic poſitivè una, & eadem realiter eſt: vel poteſt conſiderari, ut præſcindit à creatura, & Deo, & ſic nec realiter eadem eſt, nec realiter diſtincta, ſed negativè ſe habet, præſcindens ab eſſe idem, & non eſſe idem. Ideòque abſolutum, & relativum ſicut ſubſtantia, & relatio, ſi ponantur in creatura non ſunt realiter idem; ſi verò in Deo ſint, realiter idem ſunt. Neque relatio ex ſua formali ratione dicit poſitivè, quod ſit accidens, ſicut hoc dicit quantitas, ſed ſolùm, quòd ſit ordo unius ad aliud.

Quòd explicans D. Thomas qu. 8. de potentia art. 2. in corpore: *Nihil prohibet* (inquit) *aliquid eſſe inhærens, quod tamen non ſignificatur, ut inhærens: ſicut etiam actio non ſignificatur ut in agente, ſed ut ab agente, & tamen conſtat, actionem eſſe in agente.*

Digitized by Google

Et ſimiliter licèt ad aliquid non ſignificetur ut inhærens, tamen oportet, ut ſit inhærens. Et hoc quando relatio eſt res aliqua. Quando verò eſt ſecundùm rationem tantùm, tunc non eſt inhærens. Et ſicut in rebus creatis oportet, quòd ſit accidens: ita oportet, quòd ſit in Deo ſubſtantia, quia quidquid eſt in Deo eſt ejus ſubſtantia. Oportet ergo relationes ſecundùm rem eſſe divinam ſubſtantiam, quæ tamen non habent modum ſubſtantiæ, ſed habent alium modum prædicandi ab his, quæ ſubſtantialiter prædicantur in Deo.

XXIX. Septimò argues pro eodem. Ea, de quibus actu ante opus intellectus verificantur prædicata contradictoria, debent ante opus intellectus eſſe diſtincta: ſed de eſſentia, & relationibus actu ante conſiderationem intellectus verificantur prædicata contradictoria, nimirùm, quod Pater æternus communicat eſſentiam Filio, & ei non communicat paternitatem; ergo &c.

Huic argumento reſpondimus de divinorum Attributorum diſtinctione *qu. 4. dub. 1. ſæpe citatis §. 7. à nu. 44.* ubi etiam varias Scotiſtarum inſtantias propoſuimus, & diſſolvimus: quare illùc remitto Lectorem. Nunc dico, quòd ad actu verificanda prædicata aliàs contradictoria, non requiritur actualis diſtinctio, quæ formaliter ſit, ſed ſolùm virtualiter, & æquivalenter. Cùmque eſſentia divina, & relatio, eſto actu realiter ſint una res, ſit tamen virtualiter, & æquivalenter duplex, æquivalens abſoluto communicabili, & relativo incommunicabili; ideò capax eſt, ut de ea, ut æquivalet abſoluto, verificetur, quòd communicetur Filio, & ut æquivalet relativo, non communicetur: quia contradictoria, eſto verificari nequeant de eodem ſecundùm idem, benè tamen poſſunt ſecundùm diverſa; & diſtinctio virtualis, quia æquivalet actuali, tollit contradictionem, quam tolleret diſtinctio actualis. Sic calor, etſi virtualiter ſolùm ſit in Sole, eoſdem effectus producit, quos produceret calor formalis.

Nota tamen, quòd cùm dicitur: eſſentia divina realiter communicatur, paternitas verò realiter non communicatur, ly *realiter* poteſt ſumi, vel in ſenſu appellativo, & formali, vel in ſenſu materiali, & identico. Si ſumatur in ſenſu formali, vera eſt hæc propoſitio: paternitas non communicatur; quia fit appellatio ſupra formale relativi. Si verò ſumatur in ſenſu identico, falſa eſt; quia facit ſenſum, quòd res, quæ eſt paternitas, ideſt eſſentia divina non communicetur Filio.

XXX. Sed dices. Oppoſitio contradictoria major eſt oppoſitione relativa: ſed de uno, & eodem, etiam virtualiter diſtincto, nequit dici, quod ſit Pater, & Filius; ergo multò minus, quòd communicetur, & non communicetur, quæ contradictoria ſunt.

Reſpondetur ex D. Thoma *in 1. diſt. 5. qu. 1. art. 1. ad 1.* diſt. maj. major eſt, ideſt univerſalior, & cauſa omnis oppoſitionis, conc. maj. aliter, nego maj. Oppoſitio ergo contradictoria dicitur major omni aliâ oppoſitione, quia eſt cauſa omnis oppoſitionis, & in omni oppoſitione includitur: ex quo ſequitur oppoſitum ejus, quod intendit arguens. Nam cum alia ſint, quæ opponuntur realiter, alia verò quæ opponuntur ſolùm per rationem, oppoſitio contradictoria reperiri debet non ſolùm inter extrema realiter oppoſita, & diſtincta, ſed etiam inter extrema ſolâ ratione diſtincta: & ſic licèt eſſentia, & relatio ſolâ ratione diſtinguantur, & opponantur, adhuc inter illas oppoſitio contradictoria poterit exerceri. *Oppoſitio* (inquit S. Thomas laudatus) *affirmationis, & negationis, cui non admiſcetur aliqua convenientia, eſt prima, & maxima oppoſitio, & cauſa omnis oppoſitionis, & diſtinctionis; & ideò oportet, quòd in qualibet alia oppoſitione includatur affirmatio, & negatio, ſicut primum in poſteriori. Unde plura requiruntur ad alias* oppo-

Digitized by Google

oppoſitiones, quàm ad oppoſitionem contradictionis, quia ſe habent ex additione ad ipſam. Unde non oportet, quod ſi contrarietas non inveniatur, niſi in diverſis realiter, quòd affirmatio, & negatio inveniatur in diverſis realiter: immò ſufficit etiam diſtinctio rationis ad affirmationem, & negationem, cùm quælibet diſtinctio, ut dictum eſt, includat affirmationem, & negationem: & talis diſtinctio, ſcilicet rationis, eſt inter eſſentiam, & Perſonam: ſed oppoſita relativè aliquando requirunt diverſitatem, vel diſtinctionem realem, & talia ſunt quæ divinas Perſonas diſtinguunt; aliquando autem diſtinctionem rationis tantùm, ut cum dicitur idem eidem idem &c.

DUBIUM III.

An relationes divinæ ſecundùm expreſſum relativi dicant perfectionem propriam virtualiter diſtinctam à perfectione propria eſſentiæ divinæ.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Senſus quæſtionis eſt, an in Deo, præter perfectiones de genere abſoluto, dentur perfectiones de genere relativo: ita ut, ſicut ſapientia, vel bonitas divina affert ſpecialem perfectionem de propria linea ſupra perfectionem divinæ eſſentiæ; ita & paternitas addat perfectionem aliquam de genere relativo, virtualiter ſuperadditam perfectioni eiuſdem divinæ eſſentiæ. In hac quæſtione diviſos invenio Thomiſtas, multis negativæ parti adhærentibus. Ego libentiùs aliis ſubſcribo affirmativam tuentibus.

II. Dico. Relationes divinæ afferunt ſpecialem perfectionem de genere relativo, virtualiter diſtinctam à perfectione abſoluta divinæ eſſentiæ. Hæc videtur fuiſſe mens D. Thomæ tùm *qu. 8. de pot. art. 2. ad 1.* ubi probat, in ſubſtantia divina relationes inveniri; quia *eſt ſuper omne genus comprehendens in ſe omnium generum perfectiones*: quæ conſequentia nulla foret, ſi relatio ex ſuo genere nullam diceret perfectionem; ſicut malè inferretur, intellectum eſſe in Deo, quia Deus comprehendit in ſe omnium generum perfectiones, ſi intellectus ex ſua ratione nullam afferret perfectionem. Idem docet *qu. 9. de pot. art. 5. ad 23.* ubi ait: *ad perfectionem divinitatis pertinet, ut ſcilicet ſit ibi à quo alius, & ipſe à nullo, & aliquis qui eſt ab alio. Non enim eſſet omnimoda perfectio in divinis, niſi eſſet ibi proceſſio Verbi, & Amoris*; ergo relationes originis afferunt Deo ſuam perfectionem, quâ deficiente non eſſet omnimoda perfectio in divinis: quòd ſi relatio nullam ex ſuo conceptu diceret perfectionem, propoſitio D. Thomæ eſſet de ſubjecto non ſupponente. Hoc idem repetit *qu. 20. 1. par. art. 3.*

Cui conſonant Concilia, & Patres. In quarta enim Synodo Generali dicitur: *credimus Trinitatem, & ſubſiſtentiarum perfectionem*. Cyrillus quoque lib. 2. Theſauri cap. 1. *Non poteſt* (inquit) *eſſe perfecta divinitas, niſi Filium habeat*. Et alii Patres communiter inculcantes, Deitatem non eſſe perfectam, atque plenam ſine Perſonis, & relationibus; & Myſterium Trinitatis, quod per relationes conſtituitur, pertinere ad ſupremam Dei perfectionem, quâ ſuper omne creatum elevatur. Quod Eccleſiæ quoque conſuetudine firmatur, quæ publicè non ſolùm eſſentiæ majeſtatem, ſed relationum proprietates adorat.

III. Probo autem ratione à priori ſic. Relatio, ut virtualiter diſtincta ab eſſentia, eſt quid reale poſitivum in Deo exiſtens, contentum ſub ente; ergo ex ſua linea eſt perfectio. Quodcumque enim poſitivum ens, ſeu realitas, dùm exiſtit, convertitur cum bonitate, & perfectione: bonitas enim eſt proprietas entis participialis, ſeu exiſtentis, & repugnat dari aliquid in re-

Digitized by Google

rerum natura exiſtens, quod non ſit bonum, cùm ſit objectum voluntatis, quæ non poteſt amare niſi bonum.

IV. Reſpondebis, in relationibus divinis duo eſſe conſideranda, nempe eſſe *in*, & eſſe *ad*. Eſſe *in*, eſt relatio conſiderata, ut afficiens ſubjectum, & Perſonam conſtituens. Eſſe *ad*, eſt eadem relatio, ut reſpicit terminum, ad quem refertur. Relatio igitur priori modo perfectionem dicit; quia ſic ſpectata modificat, & determinat eſſentiam ad eſſe talis Perſonæ: & in hoc ſenſu loquuntur Concilia, & Patres, & procedit ratio allata. Verùm poſteriori modo, ut dicit purum *ad*, ſeu reſpectum ad terminum, nullam dicit perfectionem; quia nullum dicit eſſe.

V. Sed contra primò. Conceptus ille *in*, ſecundùm quem relatio eſt conſtitutiva Perſonæ divinæ, eſt conceptus de genere relativo virtualiter diſtinctus à conceptu abſoluto eſſentiæ; ergo ſi ſecundùm conceptum *in*, & quatenùs eſt conſtitutiva Perſonæ, relatio perfectionem dicit, perfectio hæc eſt de genere relativo. Ant. prob. Tùm quia Perſona divina formaliter, ut Perſona ab eſſentia diſtincta, eſt de genere relativo. Tùm quia afficere ſubjectum illud referendo ad alterum, eſt de conceptu relationis, non minùs, quàm de conceptu qualitatis ſit reddere ſubjectum quale; & in hoc erravit (teſte S. Thoma 1. *par. qu.* 28. *art.* 2.) Gilbertus Porretanus, ponens relatinnes extrinſecùs aſſiſtentes, quòd eas conſideravit ſolùm per reſpectum ad terminum, non verò per reſpectum ad ſubjectum.

VI. Contra ſecundò. Perfectio non reſtringitur ad lineam abſoluti; ergo &c. ant. prob. à D. Tom. . *qu.* 7. *de pot. art.* 9. ubi probans, relationes eſſe inter entia realia computandas, hoc diſcurſu procedit: *Perfectio, & bonum, quę ſunt in rebus extra animam, non ſolùm attenditur ſecundùm aliquid abſolutè inhærens rebus, ſed etiam ſecundùm ordinem unius rei ad aliam; ſicut etiam in ordine partium exercitus, bonum exercitus conſiſtit; huic enim ordini comparat Philoſophus ordinem univerſi* 11. *Metaph.* Unde 1. *par. qu.* 5. *art.* 5. ſtatuit, rationem boni conſiſtere in modo, ſpecie, & ordine. Et opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 7. *non poſſet* (inquit) *eſſe Pater perfectus, niſi Filium haberet; quia nec Pater ſine Filio eſſet, nec eſſet Deus perfectus, niſi haberet Verbum.* Et quidem imperceptibile videtur, aliquid actu formaliter, & ex proprio conceptu eſſe in Deo, quod ex proprio ſuo conceptu perfectionem non exprimat. Cùm ergo in Deo adſit, nedum abſolutum, ſed & relativum, neceſſe eſt dicere, etiam relativum ex ſuo genere perfectionem exprimere.

VII. Colligitur etiam hoc à poſteriori. Nam ſubſiſtentia Verbi divini dùm terminat humanitatem Chriſti, eam perficit: ſed eam terminat ratione relativi, Incarnatio enim facta fuit immediatè in Perſona ſecundùm eſſe relativum; ergo ratione relativi perfectio eſt. Hęc conſequentia probatur. Nam ſi Perſona divina ratione Perſonę, & relativi non eſſet perfectio, non poſſet humanam naturam immediatè, & ratione ſui perficere: ſicut quia Perſona divina ratione ſui non eſt Sanctitas, ratione ſui humanam naturam formaliter non ſanctificat. Maj. etiam probatur. Si enim natura humana à propria ſubſiſtentia perficitur, ſi propria ſubſiſtentia ratione ſui perfectionem exprimit, & perſona creata ex D. Thoma 1. *par. qu.* 29. *art.* 3. ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in natura; cur non perficietur à ſubſiſtentia divina? cur perſona divina id, quod eſt perfectiſſimum non ſignificabit? an deteriori modo ſubſiſtet humanitas ſubſiſtentiâ divinâ, quàm propriâ? an deterior erit Perſona divina, quàm creata?

§. II.

§. I I.

Fundamenta opinionis contrariȩ.

VIII. PRimò arguunt. In Deo non datúr perfectio relativa; ergo &c. ant. probatur primò. Auguſtinus *lib. 6. de Trinitate cap. 2.* loquens de Filio, ait: *Filius ſicut in ſeipſo dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, ſed ad Patrem; non ſic & in ſe ipſo magnus, ſed cum Patre*. Et *lib. 7. cap. 1. & 6.* dicit, magnitudinem, & perfectionem in Divinis ad ſe dici, non relativè.

Secundò. D. Thomas 1. *par. qu.* 42. *art.* 4. *ad.* 2. ait: Magnitudo in divinis ſignificat perfectionem naturȩ, & ad eſſentiam pertinet.

Tertiò. Perfectio penſatur per ordinem ad ſubjectum, cum perfectio reſpiciat perfectibile: ſed relatio non reſpicit ſubjectum ratione ſui, ſed ratione termini; ergo &c.

IX. Reſpondeo, neg. ant. ad primam probat. ex Auguſtino dico, quòd quotieſcumque aliquod nomen indifferens eſt, ut ſignificet eſſentiam, & relationes, ſupponit abſolutè pro eſſentia; quia hȩc eſt velut excellentius ſignificatum, & radix primordialis totius magnitudinis, & perfectionis in Deo: hoc tamen non impedit, quin ſicut in Deo multiplicamus relationes, & realitates, ita etiam multiplicemus perfectiones, cum addito tamen, nempè relativas.

X. Sed dices. Si multiplicarentur perfectiones in Deo, deberent abſolutè admitti tres boni, tres perfecti, ſicut admittuntur tres Perſonȩ; & non ſolum adjectivè, ſed ſubſtantivè: atqui hoc negat Auguſtinus *lib. 5. de Trinit. cap.* 8. ergo &c. Maj. probatur. Quotiès multiplicatur tam materiale, ſeù ſubjectum, quàm forma, multiplicantur nomina non ſolum adjectivè, ſed ſubſtantivè: at in caſu non ſolùm multiplicarentur ſubjecta, nempè ſuppoſita habentia perfectionem, ſed etiam formæ, nempè perfectiones relativȩ; ergo &c.

Reſpondetur, neg. maj. Sicut enim eſto relationes divinȩ ſint res, ſeù entia relativa, tamen abſolutè non concedimus dari in Deo *tres res*, ſeu *tria entia*, ſed ſolùm cum addito, nimirum *relativa*; quia entitas, & realitas in Deo principaliter ſupponit pro abſoluto: ita non debemus abſolutè admittere in Deo tres bonitates, vel perfectiones, ſeù tres bonos; quia bonitas, & perfectio principaliter ſupponit pro bonitate abſoluta eſſentiȩ, quȩ una eſt; ſed ſolùm cum addito, nempè tres bonitates, & perfectiones relativas, & tres bonos relativè, ſicut & tria entia relatiua. Quapropter, ſicut damnatus eſt Arius, quòd tres res abſolutas aſſeruerit; ita damnatus eſt Sabellius, quòd tres res, ſeu tria entia relativa non admiſerit: *Cum enim* (inquit S. Auguſt. l. 7. de Trin. cap. 4.) *conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet de Domino Deo Creatore ſuo, timuit dicere tres eſſenitas, ne intelligeretur in illa ſumma ȩqualitate ulla diverſitas. Rursùs non eſſe tria quȩdam non poterat dicere; quod Sabellius, quia dixit, in hȩreſim lapſus eſt.*

XI. Ad ſecundam pariformiter dico, S. Thomam loqui de quantitate, & perfectione radicali: ſic enim ſola eſſentia, eſt, quæ omnium divinarum perfectionum radix eſt; unde ex ea dicit S. Thomas, attendendam eſſe magnitudinem, & æqualitatem inter divinas Perſonas.

Ad tertiam nego maj. Aliàs ſequeretur, quòd nulla potentia, habitus, aut actus perfectionem diceret; quia per iſta ſubjectum perficitur non ad ſe, ſed ad aliud. Siue ut objectum, ſive ut terminum. Quare dico, quòd eſto perfectio abſoluta debeat perficere ſubjectum in ordine ad ſeipſum; perfectio tamen relativa ſufficit, ut illud perficiat in ordine ad aliud: ſicut ordo, qui eſt inter partes exercitus perficit illas,

llas, non in ordine ad ſe, ſed in ordine invicem, & ad totum exercitum.

XII. Secundò arguunt. Relationes non addunt ſupra eſſentiam novum, ac peculiare eſſe exiſtentię; ergo neque novam, & peculiarem perfectionem, quia omnis perfectio ab actualitate exiſtentię penſatur. Antecedens prob. quia, ut ſtatim dicemus, non dantur in Deo tres exiſtentiæ relativæ, ſed unica tantùm.

Huic argumento, quod Contrarii adeò magnificant, conceſſo antecedenti, nego conſequ. quæ inſtatur in aliis divinis atributis. Juſtitia enim, miſericordia &c. non multiplicant in Deo adhuc virtualiter exiſtentias, ſed unicâ exiſtentiâ divinæ eſſentiæ exiſtunt, & tamen multiplicant in Deo virtualiter perfectiones; ergo licèt relationes non multiplicent in Deo exiſtentias, poterunt multiplicare, & proprias habere perfectiones. Et ratio eſt: nam ad perfectionem, & bonitatem, ſeu ut res ſit perfecta, requiritur quidem, ut exiſtat; non tamen, ut multiplicetur perfectio, requiritur, quod multiplicetur exiſtentia, ſed etſi plures entitates unicâ fruantur exiſtentiâ, adhuc erunt plures perfectiones. Quapropter ſi Verbum plures humanitates aſſumeret, ſingulæ ſuam perfectionem haberent, & tamen unicâ Verbi exiſtentiâ exiſterent, ut Thomiſtæ communiter docent; quia, ut aliquid perfectionem propriam dicat, ſat eſt, ut propriam habeat entitatem in ſuo eſſentiali eſſe completam.

XIII. Tertiò arguunt. Si relatio paternitatis aliquam diceret perfectionem, aliqua perfectio eſſet in Patre, quæ non eſſet in Filio, & conſequenter Filius non eſſet æqualis Patri.

Secundò. Tres Perſonæ ſimul ſumtæ majoris perfectionis eſſent, quàm una ſola.

Tertiò. Filius eſſet perfectior Spiritu Sancto; quia Filius duas relationes haberet, filiationis, nempè, & ſpirationis activæ, & Spiritus Sanctus unam tantùm, ſcilicet ſpirationem paſſivam.

Quartò. Eſſentia ſola non eſſet infinitè perfecta, ei enim deeſſent perfectiones relativæ.

XIV. Reſpondetur ad hæc. Primò. Quòd ſicut ex eo, quòd realitas paternitatis ſit in Patre; & non in Filio, non ſequitur, quòd Filius ſit inęqualis Patri; quòd tres Perſonæ ſimul ſumtæ ſint majoris entitatis, quàm una ſola, quòd Filius habens duas relationes, ſit quid majus Spiritu Sancto habente unam ſolam; & quòd eſſentia ſola non ſit infinitè perfecta, etſi ei deſit entitas relativa: ita dicendum, etſi relatio nedùm entitas ſit, ſed etiam perfectio relativa. Non enim requiritur, quòd quæcumque divina realitas, & perfectio ſit in quacumque Perſona formaliter, ſed ſat eſt, ut ſit in ea æquivalenter. Ita autem contingit (inquit D. Thomas 1. par. qu. 42. art. 4. ad 2.) *eadem* enim *dignitas, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio. Verè ergo dicitur, quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec ſequitur: paternitatem habet Pater, ergo paternitatem habet Filius: mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris & Filij: ſed in Patre eſt ſecundum relationem dantis, in Filio ſecundùm relationem accipientis.* Ubi D. Tho. ſtatuit unam dignitatem in omnibus Perſonis, in qua ſunt æquales, nempe dignitatem eſſentiæ divinæ, aliam dignitatem Patris ut dantis, & dignitàtem Filii ut accipientis, quæ ſunt dignitates relativæ; nec ſequitur, quòd ſi hæc eſt in una Perſona, ſit formaliter in alia, quia mutatur *quid* in ad *aliquid*. Hinc

XV. Secundò. Aliter reſpondeo, diſt. ant. aliqua perfectio abſoluta, nego ant. relativa, quæ non ſit in Filio, ſubdiſtinguo, expreſsè co. ant. per circuminſeſſionem nego ant. Cum enim in Filio ſit eadem eſſentia, quæ eſt in Patre, & hęc contineat paternitatem, ſequitur, quod tota perfectio paternitatis ſit etiam in Filio, quamvis ſub hoc nomine

eam

eam non exprimat, ſed illi opponatur; ſicut hac ratione realitas paternitatis in Filio eſt. Et ſic ſolvuntur cæteræ inſtantiæ. Cùm enim infinita perfectio omnium relationum ſimul, ſive ſingularum in ſpeciali, non exigat, ut invicem ſeſe exprimant, ſed quòd una ſit in alia ratione eſſentiæ divinæ, quæ omnes includit, & in omnibus includitur; ſequitur, in omnibus eſſe æquatem, imò eandem perfectionem, quamvis alio, & alio modo ſignificatam; ſicut in omnibus attributis abſolutis eadem perfectio eſt, quamvis aliter in uno expreſſa, aliter in alio. Unde D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. c. 8. *Tantus eſt* (inquit) *ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. ait: *Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt; & totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt; totuſque Spiritus Sanctus in Patre, & in Filio eſt, nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt*.

XVI. Dices. Relationes, vel ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, vel non ſunt, ſed perfectiones ſolùm ſecundum quid. Si primum; Cùm perfectio ſimpliciter ſimplex ſit illa, quæ eſt melior ipſa quàm non ipſa, melius eſſet Filio habere paternitatem, quàm non habere. Si ſecundum; ergo hæc relativa perfectio non erit formaliter in Deo; quia, perfectiones hujuſmodi non eſſe in Deo niſi virtualiter, ſupra diximus, & proinde nec in Deo erunt formaliter relationes.

XVII. Reſpondeo, Relationes eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices. Ad id, quod opponitur, dico, ex hoc quòd paternitas ſit perfectio, melius eſt quidem Deitati, ſeu Deo illam habere, quàm non habere; ſic, ut Deitas non eſſet omnimodè perfecta, ſi illam non haberet: non tamen oportet, ut talis perfectio ab omni divina Perſona expreſsè poſſideatur; ſed ſufficit, ut habeatur implicitè ratione divinæ eſſentiæ, quæ in omnibus Perſonis eſt, & in qua omnes relativæ perfectiones continentur.

XVIII. Quæri ſolet: an relationes ſint de conceptu objectivo eſſentiæ divinæ; & viceverſa eſſentia divina ſit de conceptu objectivo relationum: ſed in hac quæſtione ſuperfluum judico immorari. Unde breviter ab ea me expediens.

Dico, quòd conceptus objectivus eſſentiæ, & relationum poteſt conſiderari, vel adæquatè pro eo, quod explicat, & etiam formaliter includit; vel inadæquatè, ſcilicet pro eo, quod exprimit, ſeu ſolùm explicat. Si primo modo conſideretur, dico, quòd tàm relationes ſunt de condeptu objectivo eſſentiæ, quàm eſſentia de conceptu objectivo relationum: quia eſſentia divina adequatè, dicit eſſentialiter eſſe unam in tribus Perſonis, & Deus eſſentialiter eſt unus, & Trinus; & viceverſa relationes adæquatè eſſentialiter ſunt relationes divinæ: non ſunt autem divinæ, niſi ratione eſſentiæ divinæ. Si verò ſecundo modo conſideretur, dico, nec eſſentiam eſſe de conceptu objectivo relationum; quia relationes exprimunt *ad aliquid*, eſſentia vero exprimit ad ſe, ſeu abſolutum: abſolutum autem, ut tale, non eſt de conceptu objectivo relativi, ut relativum eſt; ſicut nec relativum eſt de conceptu objectivo abſoluti, ut abſolutum eſt; quia mutatur *quid in ad aliquid*.

DUBIUM IV.

An cuilibet relationi conveniat propria exiſtentia.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dubium hoc ex præcedenti naſcitur. Cùm enim ultra perfectionem abſolutam convenienem eſſentiæ divinæ admiſerimus perfectiones relativas relationum proprias; videtur quærendum, an etiam præter exiſtentiam abſolutam, & com-

communem, quâ concipitur eſſentia divina exiſtere pro priori ad relationes, admittendæ ſint in Deo exiſtentiæ relativæ, quibus relationes exiſtant in propria linea. Scotus affirmat. Thomiſtæ verò cum communiori DD. negant.

II. Dico. In Deo non multiplicantur exiſtentiæ, ſed unica eſt exiſtentia abſoluta, quâ exiſtunt omnes perfectiones divinæ, tùm abſolutæ, tùm relativæ. Eſt expreſſa D. Thomæ ſuperiùs laudati *qu.* 8. *de potentia ar.* 2. *ad* 11. ubi ait: *In divinis nullo modo eſt eſſe, niſi eſſentia, ſicut nec intelligere niſi intellectus. Et propter hoc, ſicut in Deo eſt tantùm unum intelligere, ità etiam unum eſſe. Et ideò nullo modo concedendum eſt, quòd aliud ſit eſſe relationis in Divinis, aliud eſſentia.*

III. Prob. ergo primò. Quia Scriptura quotiès loquitur de exiſtentia Dei, ſemper eam applicat eſſentiæ: ut cùm *Exod.* 3. *v.* 14. Deus de ſe dicit: *ego ſum, qui ſum ... qui eſt, miſit me ad vos:* ubi vox *ſum* ultimo loco poſita, & *qui eſt*, ſignificat exiſtentiam; *ſum* verò priore loco ſignificat eſſentiam, & facit ſenſum: *ego ſum, qui eſt*, ideſt, cujus eſſentia, ſeu quidditas eſt exiſtere, miſit me ad vos.

Secundò. Patres, ut demonſtrarent, Verbum ejuſdem eſſentiæ eſſe cum Patre contra Arianos, ad identitatem in exiſtendo cum illo recurrebant. Contendebant enim Ariani, Verbum non habere Dei eſſentiam, quia non ſemper extitiſſet, ac tempus fuerit, quando Verbum non eſſet. Patres verò oſtendebant, Verbum eſſentiam Dei habere, quia ſemper extitiſſet; ergo tam Catholici, quàm heretici conveniebant in hoc, quòd exiſtentia ratione eſſentiæ conveniat, & quod ubi eſt una eſſentia, ibi ſit unum eſſe, & ubi eſt unum eſſe, ibi una ſit eſſentia.

Tertiò. Catholici, qui labente ſeculo quarto Antiochiæ contendebant, tres hypoſtaſes eſſe in Deo ponendas, redierunt in concordiam cum iis, qui unicam admittebant, poſtquam audierunt, illos hypoſtaſis nomine exiſtentiam intelligere; ſimulque cum illis confeſſi ſunt unicam in Deo exiſtentiam, ſeu unicum eſſe reperiri. Quare D. Hieronymus epiſt. 14. aliàs 57. ad Damaſum: *Una* (inquit) *eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt. Id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt;* infertque ſubinde, quòd *quiſquis tria eſſe, hoc eſt tres eſſe hypoſtaſes, ideſt uſias, dicit, ſub nomine pietatis tres naturas conatur aſſerere;* & ab Ario parietibus ſeparatur, perfidiâ copulatur. Adeò perſuaſum erat Hieronymo, quòd multiplicato eſſe in Deo, quod nomine hypoſtaſis ipſe intelligebat, debebat cum Ario eſſentia multiplicari.

IV. Rationem pro hac aſſertione tradit primò S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. dicens: *aliud Deo eſt eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe: quod enim eſt, ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium, & dominus ad ſervientem creaturam dicitur.* Ex quibus ſic conficitur ratio. Exiſtentia ſeu eſſe, ad ſe dicitur, non ad aliud; ergo exiſtentia eſt prædicatum abſolutum; ergo non multiplicatur in Perſonis relativis.

V. Confirmatur ex D. Thoma *qu.* 8. *de potentia art.* 2. *ad* 11. ubi docet, quòd eſſe, ſeu exiſtentia relationis nunquam eſt relativa, ſeu ad terminum, ſed eſt ad ſe, vel ad ſubjectum. Unde *cùm relatio ſit accidens in creaturis, eſſe ſuum eſt ineſſe. Unde eſſe ſuum non eſt ad aliud ſe habere.* Si ergo D. Thomas in relatione creata admittit exiſtentiam non relativam, quatenùs relatio eſt ad terminum, ſed quatenùs eſt in ſubjecto; cùm relationes in divinis non ſint inhærentes, ut accidentia, ſed ſint per ſe ſubſiſtentes, multò magis exiſtentia earum non erit relativa, neque eis conveniet, ut relativè opponuntur; ergo divinæ relationes in ratione exiſtentium non opponuntur; ergo neque, eis multiplicatis, exiſtentiæ earum multiplicantur, quia in divinis tota multiplicatio ex relativa oppoſitione deſumitur.

Ur-

Digitized by Google

Urgeo hoc. Si relatio creata, quæ inhæret, ex tali inhærentia fit exiſtens; cur relatio divina, quæ non inhæret, ſed ſummè identificatur cum eſſentia divina, ex vi talis identificationis non fiet exiſtens illâ puriſſimâ divinæ eſſentiæ exiſtentiâ? quod ſi ita eſt: quid oportet tres relativas exiſtentias ſuperaddere? quem enim effectum præſtabunt? exiſtere? At hoc jam haberet. Eſſe ad aliud? At hoc non eſt exiſtere, dicit Auguſtinus & D. Thomas; quia eſſe ad ſe eſt, non ad aliud eſt.

VI. Secunda ratio talis eſt. Si in Deo ſunt tres exiſtentiæ relativæ, debebunt etiam eſſe in eo tres eſſentiæ relativæ, quia exiſtentia proportionatur cum eſſentia, & eſt ejuſdem generis cum illa; cùmque exiſtentia nequeat concipi ſine duratione (quælibet enim eſſentia relativa eſſet ab æterno durans) debebunt quoque dari tres durationes, ſeu tres æternitates relativæ: ſicque poterit dici, in Deo eſſe tres æternos, tres increatos, non adjectivè ſolum, ſed ſubſtantivè, contra id, quod in Symbolo ſub Sancti Athanaſii nomine recitamus: *non tres æterni, ſed unus æternus*. Quod ſi tres divinæ Perſonæ, non tribus durationibus durant, ſed unâ tantùm, cur non unâ etiam exiſtentiâ, ſed tribus exiſtent, cùm exiſtentiæ ſua conveniat duratio? Certè, ſi exiſtentiæ relativæ admittuntur, non video, quin admittendæ ſint, & multiplicandæ durationes relativæ.

§. II.

Satisfit contrariis rationibus.

VII. PRimò objiciunt D. Auguſtinum, tùm in *Pſalm.* 68. dicentem: *Quidquid eſt Pater, quod Deus eſt, hoc eſt Filius, hoc Spiritus Sanctus. Cum autem Pater eſt, non illud eſt*. Et lib. 7. de Trinit. cap. 4. *aliud eſt Deum eſſe, aliud Patrem eſſe*. Si ergo aliud eſt eſſe Deum, aliud Patrem eſſe; aliud eſt ergo eſſe abſolutum, aliud eſſe relativum.

Cyrillus item Alexandrinus *dialogo de Trinit. lib.* 1. loquens de Patre, & Filio, ait: *uterque ſubſiſtit, propriamque habere dicitur exiſtentiam*. Et Sanctus Thomas qu. 9. de potentia art. 5. ad 23. *Ad perfectionem* (inquit) *divinitatis pertinet, ut ſint plures modi exiſtendi in Divinis*.

VIII. Reſpondeo, D. Auguſtinum locis laudatis ſumere *eſſe* non pro exiſtere, ſed pro notione, ſeu quidditate. Alia nempe eſt notio Dei, quâ Deus eſt, alia quâ Pater eſt: illa enim eſt abſoluta, hæc relativa. Exiſtere autem ſemper eſt abſolutum, *quod enim eſt, ad ſe dicitur*, inquit citato loco ex 7. *de Trinitate*, ut ſupra vidimus. Cyrillus autem nomine exiſtentiæ intelligit propriam cujuſque Perſonæ ſubſiſtentiam, ut ex contextu patet. D. Thomas autem non dicit, ad perfectionem divinitatis pertinere, ut ſint plures exiſtentiæ, ſed plures modi, ſeu plures rationes exiſtendi ejuſdem eſſe, & in eodem eſſe. Quemadmodum enim eadem eſſentia divina alio modo eſt in Patre, & alio modo in Filio, alio in Spiritu Sancto; ſic eadem exiſtentia, alio modo facit exiſtere Patrem, alio Filium, alio Spiritum Sanctum: *ut ſcilicet ſit ibi à quo alius, & ipſe à nullo, & aliquis qui eſt ab alio*; ut ait D. Thomas laudato loco. Quare D. Thomas non plures exiſtentias, ſed plures rationes exiſtendi admittit in divinis: *duæ autem rationes ejuſdem rei non demonſtrant duplex eſſe ejus, ſed demonſtrant, quòd dupliciter de illa re poteſt dici quid eſt; ſicut de puncto poteſt dici quid eſt, ſicut principium, & ut finis, propter diverſam rationem principii, & finis*. Ita S. Doct. *qu.* 8. *de pot. art.* 2. *ad* 11.

IX. Secundò objiciunt. In Deo ſunt tres entitates relativæ actuales, imò in noſtra ſententia tres actualitates, & perfectiones relativæ: ſed entitas actualis eſt entitas exiſtens, cùm omnis actualitas ab exiſtentia ſumatur; ergo &c.

Digitized by Google

Reſpondetur. Sunt tres entitates actuales, numero cadente ſupra entitatem, conc. maj. cadente ſupra actualitatem exiſtentiæ, nego maj. vel ſubdiſtinguo, tres adjectivè, conc. maj. tres ſubſtantivè, nego maj. Relationes ergo divinæ ſunt tres entitates actuales, non triplici actualitate exiſtentiæ, ſicut neque eſſentiæ, ſed unâ ac indiviſibili. Quemadmodum enim tres Perſonæ divinæ dici poſſunt tres ſapientes adjectivè, ideſt tres habentes eandem ſapientiam, quia numerus cadit ſupra ſuppoſita, non ſupra ſapientiam; ita dici poſſunt tres exiſtentes adjectivè, & tres entitates actuales, ideſt tres habentes eandem exiſtentiam, ſicut & eſſentiam diverſo modo communicatam. Cùm enim ſint ad inſtar modi eſſentiæ divinæ, non debent propriam afferre exiſtentiam, ſed exiſtere exiſtentiâ eſsentiæ (cujus ſunt modi) ipſis adjunctâ, & communicatâ. Eſto autem in noſtra ſententia quælibet relatio propriam afferat actualitatem, & perfectionem relativam diſtinctam à perfectione, & actualitate abſoluta eſſentiæ; non tamen ſequitur, quòd afferat propriam exiſtentiam relativam. Tùm quia, ut vidimus ex Auguſt. *eſſe ad ſe dicitur*, non ad alterum. Tùm quia, ut Dubio præcedente oſtendimus, attributa divina propriam perfectionem dicunt, nec tamen propriam exiſtentiam.

X. Tertiò objiciunt. Omnis productio terminatur ad exiſtentiam: ſed intra Deum datur productio Perſonarum; ergo datur exiſtentia Perſonarum producta: ſed hæc non eſt abſoluta, quia nil abſolutum divinum producitur; ergo eſt relativa.

Reſpondetur, diſt. maj. ad exiſtentiam, vel ut producendam, vel ut communicandam, conc. maj. ſemper ut producendam, nego maj. Productio itaque debet quidem reſpicere exiſtentiam, non tamen ſemper, ut producendam, ſed ut ſaltem communicandam: & ſic productio Perſonarum, eſto non producat exiſtentiam perſonalem, illis tamen communicat exiſtentiam eſſentiæ, ſicut, & ipſam eſſentiam.

XI. Quartò objiciunt. In creatis duplex eſt exiſtentia, una abſoluta, alia relativa; ergo etiam in divinis. Conſequ. probatur. Ideò primum, quia in creatis non ſolùm abſolutum eſt extra nihil, ſed etiam relativum, & ponere rem extra nihil eſt effectus formalis exiſtentiæ: ſed in divinis non ſola abſoluta, ſed & relativa ſunt extra nihil; ergo non ſola abſoluta, ſed etiam relativa, habent propriam exiſtentiam; quia multiplicato effectu formali, debet multiplicari forma.

Reſpondetur primò negando abſolutè antecedens. Licèt enim in relatione creata adſit exiſtentia diſtincta ab exiſtentia ſubjecti, quia hoc ſubſtantia eſt, illa verò accidens; hæc tamen non eſt formaliter relativa, licèt ſit exiſtentia relationis; quia non convenit relationi per ordinem ad terminum, ſed per ordinem ad ſubjectum, cui inhæret.

XII. Neque dicas; ergo relationes divinæ habebunt proprias exiſtentias, eſto non per ordinem ad terminum, & formaliter relativas, tamen per ordinem ad eſſentiam, cujus ſunt quaſi modi.

Nego enim conſequ. Nam primò. Quod formaliter relativum non eſt, ſed abſolutum, poteſt quidem multiplicari in creatis, at non in divinis: ergo ſi exiſtentia relationis divinæ non eſt formaliter relativa multiplicari non poteſt.

Secundò. Relationes creatæ ſunt realiter diſtinctæ à ſuo fundamento, & ſubjecto, unde ſpecialem afferre poſſunt exiſtentiam. *At quia Perſona divina eſt idem cum natura, in Perſonis divinis non eſt aliud eſſe Perſonæ præter eſſe naturæ. Et ideò tres Perſonæ non habent niſi unum eſſe. Haberent tamen triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe Perſonæ, & aliud eſſe naturæ.* Itâ D. Thomas 3. *par. qu.* 17. *art.* 2. *ad* 3. ex quibus

XIII.

XIII. Reſpondeo ſecundò, dato antecedente, neg. conſeq. Nam relatio in creatis aliud eſt ab eſſe abſoluti, & ideò aliam affert exiſtentiam: at relatio divina eſt idem cum natura, & ideò non eſt aliud eſſe relationis, aliud eſſe naturæ; ſed eâdem exiſtentiâ, quâ eſſentia eſt extra nihil, ſunt extra nihil etiam relationes, & omnia divina. Tunc verò multiplicatur forma, quando multiplicatur effectus ejus formalis adæquatus, ſecùs verò ſi multiplicetur ſolùm effectus ejus inadæquatus: eſſe autem in tribus relationibus eſt effectus formalis ipſius eſſe divini ſolùm inadæquatus, non adæquatus: hic enim complectitur omnia divina, ſive abſoluta ſint, ſive relativa; quia omnia ſub eſſe, ſeu exiſtere divino comprehenduntur.

XIV. Quod ſi repetas: exiſtentiam debere proportionari, & eſſe ejuſdem generis cum eſſentia; ergo cùm in Deo dentur eſſentiæ, ſeu quidditates relativæ, dari debebunt exiſtentiæ relativæ.

Reſpondebo, exiſtentiam debere quidem proportionari cum eſſentia, quæ eſt ejus ſuſceptivum immediatum, & primarium, non verò cum ea, quæ eſt ejus ſuſceptivum mediatum, & quaſi ſecundarium. Immediatum autem, & primarium ſuſceptivum exiſtentiæ divinæ eſt eſſentia divina, quæ abſoluta eſt; relationes verò ſunt ſuſceptivum ſolùm mediatum, & veluti modificativum ſuſceptivi immediati.

XV. Tandem objiciunt. Non repugnat, naturam divinam duplici genere ſubſiſtentiæ ſubſiſtere, unâ abſolutâ, alterâ relativâ, ut dicetur; ergo neque repugnabit, eam duplici genere exiſtentiæ exiſtere, unâ abſolutâ, altera relativâ. Secundò. Non repugnat Chriſti humanitatem duplici ſanctitate ſanctificari; ergo &c.

Reſpondeo ad primum, conc. anteced. neg. conſ. Nam in Deo datur duplex effectus, ſeu modus ſubſiſtendi, nempe abſolutè, & communicabiliter, & etiam relativè, & incommunicabiliter; & ideò poni debet in Deo duplex ſubſiſtentia, una abſoluta, & alia relativa. At effectus exiſtentiæ unus, ac indiviſibilis eſt, ſcilicet ponere rem extra nihil: qui effectus cùm omnibus divinis perfectionibus, ſive abſolutis, ſive relativis communis ſit; ideò una exiſtentia ſufficit, ut per ipſam exiſtant omnia divina, ſive abſoluta, ſive relativa.

Ad ſecundum ſimiliter dico, in humanitate Chriſti dari duplicem effectum ſanctitatis, unum à ſanctitate ſubſtantiali procedentem, nempè eam reddere gratam Deo; alterum à ſanctitate accidentali neceſſariò provenientem, nimirùm eam reddere principium, *quo* habituale operationum ſupernaturalium, ut ibi docent Theologi: & ideò utraque ſanctitas in Chriſto ponenda eſt. Effectus autem exiſtentiæ ex dictis unus eſt.

QUÆSTIO IV.

De Divinis Perſonis in generali.

DIvinarum Perſonarum nomina, eſſentiam, ac proprietates in genere quæſtio præſens exponet.

DUBIUM I.

De nomine, & eſſentia Divinarum Perſonarum.

§. I.

Nomina varia Divinarum Perſonarum.

I. CUm S. Anguſtino teſte (lib. 7. de Trinit. cap. 4.) Sacra Scriptura nullibi Perſonæ nomen uſurpet, Patrem, Filium, & Spiritum, quas modò tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis dicimus, variis nominibus Veteres appellarunt. Græci, eodem Auguſtino referente, eas vocabant ſubſtantias: *Sic enim* (inquit) *dicunt illi* (Græci) *tres ſubſtantias,*

unam

Digitized by Google

unam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas, unam eſſentiam, vel ſubſtantiam. Sumebant autem ſubſtantiam, ut condiſtinguitur ab eſſentia, ut ſicut unitas intelligitur ex eo quòd dicitur una eſſentia; ita & Trinitas intelligatur ex eo, quòd dicuntur tres ſubſtantiæ. Quia verò hìc ſumebant ſubſtantiam pro ut idem eſt, ac ſubſiſtentia, ſeu ſubſiſtere; inde à Latinis etiam tres ſubſiſtentiæ dici cæperunt. Ita Ambroſius in Symbolo Apoſt. cap. 2. *Sabellius (inquit) docuit, unam ſubſiſtentiam eſſe Patrem, & Filium, unamque trinominem Perſonam. Sed dùm omnes unam eſſe Perſonam reputat, nihil eſſe unamquamque deſignat.* Subſiſtentias quoque vocat Romana Synodus ſub Agathone, quæ profitetur *unitatem quidem eſſentiæ, Trinitatem verò Perſonarum, ſive ſubſiſtentiarum.* Et Anaſtaſius Bibliothecarius in præfat. ad ſeptimam Synodum, hæc ſcribit: *ubicumque in hujus Synodi textu ſubſiſtentiam poſui, Perſonam intelligi volui.*

II. Obſervandum tamen, Antiquos Patres Latinos pro eodem habuiſſe ſubſtantiam, naturam, & ſubſiſtentiam. *Unde ſicut unam naturam, & unam ſubſtantiam, ita & unam ſubſiſtentiam Sanctæ Trinitatis eſſe dicebant. Orientalibus verò Sanctis Patribus pro Perſona ſuſcipientibus ſubſiſtentiam, & ſicut tres Perſonas, ita & tres ſubſiſtentias in Sancta Trinitate dicentibus; per multa tempora diſſidium factum eſt inter Orientales, & Occidentales Sanctas Eccleſias. Orientalibus quidem Occidentales Sabellianorum ſectam defendere ſuſpicantibus; quia unam dicebant in Trinitate ſubſiſtentiam: Occidentalibus verò, Orientales Arianam ſectam ſequi dicentibus; eò quòd tres ſubſiſtentias in tres alterius ſubſtantiæ vel naturæ Perſonas proferrent, ſecundùm imitationem Arii. Quam diviſionem per S. Athanaſium Deus univit. Utriuſque enim linguæ peritus, utraſque partes per Dei gratiam ad concordiam revocavit: & ab eo tempore uſque in hodiernum diem, & apud nos, & apud Romanos; ſicut una ſubſtantia, & una natura in Trinitate ſuſcipitur, & ſicut tres Perſonas in Sancta Trinitate confitemur; ita & tres ſubſiſtentias glorificamus.* Ita in Collat. *Conſtantinopol.* Catholicorum cum Severianis habitâ anno 533. *tom. 2. Concil. Harduin. Col.* 1164. Imò ſi attentè inſpiciatur S. Auguſtinus *lib. 7. de Trin. cap.* 4. citato, apparebit, S. Doctorem nomen ſubſiſtentiæ ſumere pro eodem, ac eſſentia, & ſubſtantia, & negare in Deo tres ſubſiſtentias, ſicut tres eſſentias; ait enim: *Sicut ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem ut ſubſtantia relativè dicatur, omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit; quantò magis Deus?*

III. Igitur Perſonæ nomen communiùs à Latinis uſurpari cæpit: unde Auguſt. laudatus cap. 5. *fortaſſis igitur commodiùs dicuntur tres Perſonæ, quàm tres ſubſtantiæ.* Et ſuperiùs *cap.* 4. hunc Latinorum uſum ſic expreſſerat: *Itaque loquendi cauſa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo poſſemus, quæ effari nullo modo poſſumus, dictum eſt à noſtris Græcis, una eſſentia, tres ſubſtantiæ, à Latinis autem, una eſſentia, vel ſubſtantia, tres Perſonæ.* Iiſdem vocibus utimur in Symbolo D. Athanaſio adſcripto: *Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Et iiſdem fidem ſuam expreſſit Concilium Lateran. IV. cap. 2. *Credimus, & confitemur eum Petro, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim quælibet earumdem.*

IV. Quo autem tempore cæperit Eccleſia Perſonæ nomine publicè uti apud Latinos, Facundus Hermianenſis *lib.* 1. *cap.* 3. dicit, hoc fuiſſe occaſione hæreſis Sabellianæ. Quamvis enim priùs tres, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum confiterentur Catholici; attamen *Perſonarum nomen nonniſi cùm*

Sa-

Digitized by Google

Sabellius impugnaret Eccleſiam, neceſſariò in uſum prædicationis aſſumtum eſt; ut qui ſemper tres crediti ſunt, & vocati, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, uno quoque ſimul, & communi perſonarum nomine vocarentur. Deinde etiam ſubſiſtentia dicta ſunt, quoniam Eccleſiæ placuit, ad ſignificandam Trinitatem, & hoc nomen diſtinctioni perſonali tribuere. Et proſequitur dicens, quæſtionem fuiſſe de nomine, quod deberet admitti ad explicandam Trinitatem; non de eo, quod tres ſint: hoc enim Eccleſia ſemper tenuit, ac prædicavit.

V. Porrò quas Latini Perſonas dicebant, Græci nomine hypoſtaſis appellare cœperunt, ut ex Baſilio *Epiſt.* 125. laudante S. Epiphanium, quòd tres hypoſtaſes admittendas eſſe ſcripſiſſet in litteris, quas Antiochiâ ad eum dederat. Non tamen ſtatim omnes Græci nomen hypoſtaſis (ſive latinè ſubſiſtentia) admiſerunt, ut idoneum ad explicandam Trinitatem. Cùm enim apud aliquos, maximè Arianos, hypoſtaſis, & ſubſiſtentia idem audiret, ac ſubſtantia, ſeu eſſentia; cui maximam ſuſpicionem dederunt Acaciani, qui in Synodo Conſtantinopoli coactâ anno 359. decreverunt, nomina ſubſtantiæ, & hypoſtaſis abolenda eſſe, & ſimilem Filium Patri dicendum (ut referunt Socrates *lib.* 2. *cap.* 40. & Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 24.) & propterea (Theodoreto teſte *lib.* 2. cap. 8.) à Synodo Sardicenſi damnati fuerunt Ariani, quòd aſſeverarent *Patris, ac Filii, & Spiritu Sancti diverſas eſſe hypoſtaſes;* & ſtatutum fuit, *unam eſſe hypoſtaſim, quam ipſi hæretici ſubſtantiam appellant, Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita in *Epiſt. Synodicâ.* Hinc S. Cyrillus Hieroſolymit. prudenti œconomiâ utens à nomine Hypoſtaſis unius, vel plurium ſibi abſtinendum eſſe cenſuit. Sanctus verò Athanaſius tres hypoſtaſes admittere non timuit, & unam quoque fateri; dummodo res probè intelligeretur ut *tomo ad Antiochenſes num.* 5. & 6.

VI. Sed & nedùm Græci inter ſe, ſed & Latini à Græcis in hoc diſſidebant. Inter Græcos compoſita res eſt anno 362. in Concilio Alexandrino: ubi examinati, qui tres hypoſtaſes Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum fatebantur; cùm reperti fuerint, non intendiſſe diverſam naturam, & ſubſtantiam, aut tria principia, vel tres Deos ſtatuere; & proteſtati ſint, ſe in Sanctam Trinitatem credere, non quæ nomine tenus Trinitas ſit, ſed quæ verè ſit, & ſubſiſtat, in una tamen Deitate: auditi etiam ii, qui unam tantùm dicebant hypoſtaſim, an hoc in Sabellii ſenſu dicerent, ut Filium & Spiritum Sanctum de medio tollerent, & Filium, ac Spiritum Sanctum hypoſtaſi carere exiſtimarent; cùm reſpondiſſent, ſe nunquam hoc credidiſſe, ſed unam hypoſtaſim dicere, ſumentes hypoſtaſim pro ſubſtantia, & unam credere hypoſtaſim, eò quòd Filii, & Patris ſit una, eademque natnra: deprehendentes controverſiam ad ſolum nomen reſolvi, ac in catholica fide omnes convenire, invicem conſenſerunt; ac utrique ſive unam tantùm, ſive tres hypoſtaſes admittentes, Arium, & Sabellium ut verè fidei hoſtes, anathemate damnarunt. Sicque Schiſmati, quod Antiochiæ radices egerat, finis in Oriente impoſitus eſt. Cui rei maximam operam contulit S. Athanaſius (ut ex collat. Conſtantinop. ſuperiùs allatâ vidimus) ſicque nomen hypoſtaſis, & ſubſiſtentiæ non id ampliùs, quod commune eſt, ſed id quod ſingulare, & idem quod apud Latinos Perſona communiter ſignificare cœpit. Videndus D. Athan. *tomo ad Antiochenſes.* Et *Concil. Alexandr. tom.* 1. *Concil. Hard. Column.* 734. Quia verò diſſidium præcipuè fuerat inter Paulinum Eccleſiæ Antiochenæ ordinatum Epiſcopum à Catholicis, & Meletium eidem Eccleſiæ datum, Catholicum quidem virum, ſed ab Arianis ordinatum, Paulino unam tantum hypoſtaſim, Meletio verò tres hypoſtaſes aſſerente; & utriuſ-

Digitized by Google

& utriuſque fautores, quorum utrique ſibi invicem notam hæreſeos inurebant, & Paulino adherentes Meletianis Arianiſmum imponebant; Meletiani verò Pauliniſtis Sabellianiſmum reddebant: Paulinus, intellecto Meletianorum ſenſu, & Concilii Alexandrini decreto, paruit; & (teſte S. Epiphanio *hæreſ.* 77.) ſibi adhærentibus permiſit, ut ſive unius, ſive trium hypoſtaſum nomine uterentur.

VII. Verùm, cùm qui à Meletii partibus ſtabant, non contenti Alexandrino decreto, unam, vel tres hypoſtaſes ſecundùm cujuſque ſenſum permittente, urgerent etiam Latinos, ut tres hypoſtaſes faterentur; de hoc queritur S. Hieron. *Epiſt.* 57. *modò* 14. *anno* 375. ſcriptâ ad Damaſum, quem conſulit; ut ſuper hoc, quid ſibi faciendum ſit, jubeat, his verbis: *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tuum non colligit, ſpargit: hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur, pro dolor! Poſt Nicanam fidem, poſt Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypoſtaſeon ab Arianorum Præſule & Campenſibus* (Meletio ejuſque fautoribus, qui ab Eudoxio Arianæ partis Epiſcopo excluſi, in campis ſuos conventus agebant) *novellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? Quis novus magiſter Gentium Paulus hæc docuit? Interrogemus, quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi? Tres Perſonas ſubſiſtentes, ajunt: reſpondemus, nos ita credere. Non ſufficit ſenſus: nomen efflagitant, quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet.* Inde proteſtans, ſe tres hypoſtaſes dicturum, ſi Damaſus dici jubeat: *Decernite* (inquit) *obſecro, ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere: Si jubetis, condatur nova poſt Nicanam fides,* & ſimilibus *verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi*. Hoc dicebat Hieronymus, quia hypoſtaſim, pro *uſia*, ſeu eſſentiâ ſumendam eſſe credebat; unde clamabat: *& quis nam, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit? Una eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt.* Optaſſet proinde, ut nomen trium hypoſtaſum taceretur; unde ajebat: *ſufficiat nobis dicere unam ſubſtantiam, tres Perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & una teneatur.* Deinde repetens quæ ſuperiùs dixerat: *Aut ſi* (inquit) *rectum putatis tres hypoſtaſes cum ſuis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum ſub melle latet.* Clauditque Epiſtolam, Damaſum rogans, ut ſuis Epiſtolis ſibi *ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.*

VIII. Ex dictis hucuſque colligitur primò. Per multa ſecula Latinos cum Græcis non conveniſſe in modo loquendi de Trinitate. Secundò. Circa tres hypoſtaſes, ſeu ſubſiſtentias in Deo admittendas, contentionem fuiſſe, nedum inter Latinos, & Græcos, ſed & inter Gręcos ipſos. Tertiò. Haſce contentiones non de re; ſed de nomine tantùm fuiſſe: quare ut Catholici habendi ſunt, tam qui tres, quàm qui unam tantùm hypoſtaſim admittebant; quia diverſum ſignificatum ei tribuebant. Quartò. Gręcam vocem *Hipoſtaſis*, & Latinam *Perſona* ſolo uſu Eccleſiaſtico, non in rigore grammatico uſurpari ad id, quod in Trinitate ſingulare eſt, exprimendum. Quintò. Elapſo quarto ſeculo tàm Græcos, quàm Latinos deſiiſſe vocem hypoſtaſis accipere pro eſſentia, eam transferentes ad ſtandum unicè pro perſona.

§. II.

Quid ſit Perſona in genere.

IX. PErſona vulgò eſt Hiſtrionum larva, à *perſonando* dicta; quia, ut ſcribit Gellius lib. 5. cap. 7. *Caput & os coperimento perſonæ tectum undique, unaque tantum vocis emittendæ via pervium eſt:* ſic qui bacchanalium tempore facie ementitâ incedunt, per-

ſona-

ſonati incedere dicuntur. Alii perſonam ſumunt pro *adſpectu*: ſic vulgò perſona gravis, pulchra, ideſt adſpectu gravi, & pulchro. Vel ut ait D. Thomas 1. par. qu. 29. art. 3. ad 2. hoc nomen perſona à dignitate impoſitum fuit. *Quia enim in Comœdiis, & Tragœdiis repræſentabantur aliqui homines famoſi, impoſitum eſt hoc nomen perſona, ad ſignificandum aliquos dignitatem habentes. Unde conſueverunt dici perſonæ in Eccleſiis, quæ habent aliquam dignitatem.*

Atamen uſu theologico perſonaliter ſumitur, nimirùm pro naturæ rationalis ſingulari, ſeu individuo. Quare à Boetio lib. de duabus naturis definitur, quòd ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*, cui addi ſolet, *completa*. Dicitur *ſubſtantia*, quia ſola ſubſtantia perſona eſt; accidentia enim perſona eſſe non poſſunt, quamvis in perſona ſint. Dicitur *ſubſtantia individua*; ideſt, quæ non ſolùm ſit ſingularis, ſed etiam, quæ ſit incommunicabilis alteri, ut habenti illam. Unde divina eſſentia, ut eſſentiæ nomine ſignificata, non eſt perſona, quia ſic conſiderata eſto ſingularis ſit; eſt tamen adhuc communicabilis, & de facto communicatur Patri, Filio, & Spiritui Sancto: ob eandem rationem humanitas Chriſti, eſto ſingularis, non tamen eſt perſona; quia communicatur Verbo divino. Additur ly *completa*: neque enim pes, manus, imò nec anima rationalis, perſonæ ſunt; quia pes eſto completus in ratione pedis, manus in ratione manus, anima in ratione animæ, abſolutè tamen aliquid incompletum ſunt: quia pes, & manus per ſe ordinantur ad componendum corpus humanum, cujus partes integrantes ſunt; & anima ad corpus refertur, cum quo conſtituit hominem. Dicitur *naturę rationalis*: quo indicatur, ſolam naturam rationalem eſſe capacem, ut dicatur perſona; cæteræ enim ſubſtantiæ dicuntur quidem ſuppoſita, hypoſtaſes, ſubſiſtentes, ſuppoſita quidem, quia alicui communi naturæ ſupponuntur; ſubſiſtentes, quia in ſe, non in alio exiſtunt; hypoſtaſes, quia ſubſtantiæ ſunt; non tamen perſonæ. Unde concludit D. Tho. 1. par. qu. 29. art. 2. *Quod hæc tria nomina ſignificant communiter in toto genere ſubſtantiarum, hoc nomen, perſona ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum*. Cùm enim habeant dominium ſui actus, & non ſolùm agantur ſicut alia, ſed per ſe agant, actiones autem ſingularium ſint: *Ideò etiam inter cæteras ſubſtantias quoddam ſpeciale nomen habent ſingularia rationalis naturæ: Et hoc nomen eſt perſona*. Ita D. Thomas citatus art. 1.

X. Ex quibus infert, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum magis propriè dici tres Perſonas cum Latinis, quàm tres hypoſtaſes, ſeu ſubſtantias cum Græcis. Primò. Quia ut ait ibi a. 2. ad 1. *hypoſtaſis apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quod ſignificet quodcumque individuum ſubſtantiæ; ſed perſona ſumitur unicè pro individuo rationalis naturæ, ratione ſuæ excellentiæ*. Secundò. Quia, ut ait ibi ad ſecundum, cùm hypoſtaſi ſecundùm proprietatem ſignificationis reſpondeat ſubſtantia; ne fiat æquivocatio, quòd tres ſubſtantias, ſeu eſſentias ponamus in Divinis, & ſit erroris occaſio, ſi dicamus tres hypoſtaſes; aptiùs dicimus tres perſonas, ſeu tres ſubſiſtentes in natura divina, quàm tres hypoſtaſes.

§. III.

Quo conſtituatur Perſona divina.

XI. Perſonæ nomen maximè convenire Deo aſſerit D. Tho. hic *art.* 3. *ad* 2. cùm enim à dignitate impoſitum ſit, *unde quidam definiant perſonam dicentes, quòd perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinente; & quia magnę dignitatis eſt in natura rationali ſubſiſtere, ideò omne individuum naturæ rationalis dicitur perſona. Sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem. Et ſecundùm hoc maximè convenit Deo nomen Perſonæ.* Videndum modò eſt, per quid habeat divi-

divina natura, quòd ſit Perſona, ſeu incommunicabilis alteri Perſonæ; an id habeat ratione abſoluti, an ratione relativi.

XII. Dico. Perſona divina in ratione Perſonæ, & incommunicabilis non conſtituitur per aliquid purè abſolutum, ſed includit aliquid relativum. Prius quàm probetur, explicandum eſt hoc aſſertum ex doctrina D. Tho. hoc *art.* 4. Aliud enim eſt quærere de ſignificatione hujus nominis perſonæ in communi, & aliud de ſignificatione Perſonę divinæ: aliquid eſt de ſignificatione minus communis, quod tamen non eſt de ſignificatione magis communis; rationale enim includitur in ſignificatione animalis, quod eſt homo, quod non includitur in ſignificatione animalis in communi. Similiter ergo aliquid poteſt includi in ſignificatione perſonæ divinæ, quod in ſignificatione perſonæ in communi non includitur. Perſona igitur in communi nil aliud dicit, quàm ſubſtantiam rationalis naturæ individuam, ideſt in ſe indiſtinctam, & diſtinctam ab aliis: & quia perſona ex genere ſuo poteſt ex alio, quàm ex relatione ab aliis diſtingui, ideò in ſignificatione perſonæ in communi determinatè non includitur relatio. Verum quia in Deo nonniſi ex relativa oppoſitione attendi poteſt realis diſtinctio in Perſona, & relatio in divinis ſubſtantia per ſe ſubſiſtens eſt, ideò in ſignificatione Perſonæ divinæ includitur relatio; non quidem, in quantùm relatio eſt reſpiciens terminum, ſed inquantùm ſignificatur per modum hypoſtaſis, quæ in divinis ſignificari non poteſt, niſi ut relatione diſtincta. Hęc ex D. Thoma.

XIII. Probatur ergo ſic. Per id debent divinæ Perſonæ in recto conſtitui, & in eſſe perſonæ, quo numerum faciunt, quo invicem oppoſitæ, invicem diſtinctæ, invicem incommunicabiles ſunt: ſed in ratione talis conſtitui non poſſunt per aliquid de linea abſoluti, nam in abſoluto omnes divinæ Perſonæ unum ſunt, indiſtinctæ, & communicabiles; ergo per aliquid de linea relativi. Hinc S. Auguſtinus tract. 39. in Joann. *Hoc* (inquit) *ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt*. Et S. Fulgentius *lib. de Trinit. ad Feliecm Notarium*, ait: *Pater non ſibi eſt, ſed Filio; Filius non ſibi eſt, ſed Patri; Spiritus alicujus eſt adſpirantis; ergo ad Patrem, Filiumque refertur. Iſta itaque relativa nomina Trinitatem faciunt: eſſentialia verò nullo modo multiplieantur.*

XIV. Concilia hoc idem docent, Toletanum 11. *anno* 675. *in Confeſſione fidei*, ait: *In relatione enim Perſonarum numerus cernitur; in divinitatis verò ſubſtantia quid numeratum ſit non comprehenditur. Ergo hoc ſolùm numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, & in hoc numero earent, quòd ad ſe ſunt.* Si ergo Perſona ad ſe dicitur, caret numero; & ſic quemadmodum una eſt in divinis ſubſtantia, ita erit una Perſona, qui eſt error Sabellii. Quapropter in Concilio Lateranenſi IV. ſicut ex abſoluto unitas, ſic ex Perſonis ſumitur in Deo diſtinctio. Unde *cap.* 2. dicitur: *Una ſumma res eſt, quæ nec eſt generans, neque genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit, ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura*. Et in Con. Florentino *ſeſſ.* 18. Joannes Theologus ſic Marcum Epheſium alloquebatur: *Ut igitur Perſonæ diſtinguantur, incommunicabiles ſint perſonales proprietates neceſſe eſt. Propterea Doctores ajunt, nihil eſſe niſi relationem originis: atque in hac relatione duo conſiderari, à quo aliquid, & ad quod aliquid.*

XV. Sed huic poſitioni videtur adverſari S. Auguſtinus *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 6. ubi tria dicit. Primò, *non aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omnino idem*. Secundò, adſignans rationem hujus, dicit: *nam ſi eſſe à ſe dicitur, Perſona verò relativè; ſic dicamus tres Perſonas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres* pro-

propinqui, aut tres vicini, quòd ſint ad invicem; non quòd unuſquiſque eorum ſit ad ſe ipſum. Quapropter quilibet ex eis eſt amicus duorum cæterorum, aut propinquus, aut vicinus; quia hæc nomina relativam ſignificationem habent. Quid ergo? num placet, ut dicamus, Patrem Perſonam eſſe Filii, & Spiritus Sancti, aut Spiritum Sanctum Perſonam eſſe Patris, & Filii? Tertiò concludit, eodem modo Patrem dici Perſonam, quo dicitur Deus, magnus, bonus: *Quo circa ut ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater, ſed quo eſt; ita & Perſona Patris non aliud quàm ipſe Pater eſt: ad ſe quippè dicitur Perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus, & magnus, & bonus, & juſtus, & ſi quid aliud hujuſmodi.*

XVI. Reſpondeo, explicando Auguſt. mentem. Ad prim. diſtinguo, non eſt aliud Deo eſſe abſolutè, quàm Perſonam eſſe, nego. Non eſt aliud Deo eſſe ſubſiſtens incommunicabiliter, quàm perſonam eſſe, concedo. Idem ergo in Deo eſt eſſe, & eſſe Perſonam, non pro ut eſſe accipitur pro eſſentia abſolutè; ſed pro ut eſſe dicit ſubſiſtere incommunicabiliter in natura intellectuali divina: cùm autem omnis incommunicabilitas in divinis à relativo ſumatur, hoc eſſe, quod conſtituit Perſonam divinam debet includere aliquid relativum modo explicando. Ut enim ait D. Thomas hìc *qu.* 29. *art.* 4. *ad* 3. in intellectu ſubſtantiæ individuæ, vel incommunicabilis intelligitur in divinis relatio.

XVII. Ad ſecundum, reſpondeo ex D. Thom. *qu.* 9. *de Potentia art.* 4. quòd Perſona divina unum ſignificat ſignificatione formali, aliud ſignificatione materiali. Significatione formali ſignificat unum ſubſiſtens diſtinctum in natura divina. Quia verò ſubſiſtens diſtinctum in natura divina non poteſt haberi niſi per relativum; ideò Perſona divina ſignificatione materiali ſignificat relativum, non per modum relationis, ſeu exercitii referentis ad alterum, ſed relativum per modum ſubſtantiæ, ſeu hypoſtaſis ſubſiſtentis. *Patet ergo* (inquit D. Thom.) *quòd perſona communiter ſumta ſignificat ſubſtantiam individuam rationalis naturæ. Perſona verò divina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura divina. Et quia hoc non poteſt eſſe niſi relatio vel relativum, ideò materiali ſignificatione ſignificat relationem vel relativum. Et propter hoc poteſt dici, quòd ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ, non quæ eſt eſſentia, ſed quæ eſt hypoſtaſis: ſicut & relationem ſignificat non ut relationem, ſed ut relatum, ideſt ut ſignificatur hoc nomine Pater, non ut ſignificatur hoc nomine paternitas: ſic enim relatio includitur obliquè in ſignificatione Perſonæ divinæ. Quæ nihil aliud eſt, quàm diſtinctum relatione ſubſiſtens in natura divina.*

Hinc S. Auguſtinus, dùm dicit, perſonam non dici relativè, non negat, Perſonam divinam includere relationem per modum relati, & ut quod; ſed negat importare relationem per modum relationis, & ut quo, ſive ut ad alium: aliàs, ut benè dicit, ſequeretur, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſſent ſicut tres amici, vicini, vel propinqui, qui nil aliud dicunt, quàm relationem ſub munere relationis. Hac eadem ratione non ſequitur, quòd Pater ſit Perſona Filii, & Spiritus Sancti, & quòd Spiritus Sanctus ſit Perſona Patris, & Filii; quia Perſona ut talis eſto includat relationem, non tamen ſignificatur per modum relationis, ſed per modum hypoſtaſis ſubſiſtentis. Videatur D. Thom. etiam *qu.* 29. 1. *par. art.* 4. *ad* 1.

XVIII. Ad tertium eodem modo dico cum D. Thom. laudatâ *qu.* 9. *de potentia art.* 4. *ad* 3. S. Auguſt. ſolùm velle, Perſonam divinam ſignificatione formali eſſe id, quo eſt, nimirum in ſe ſubſiſtens in natura divina, eo modo, quo in ſe dicitur magnus, juſtus, bonus: non verò quo Pater eſt relativè ad Filium; quia Perſona Patris ut

Perſona eſt reſpicit naturam, cujus eſt hypoſtaſis, non Filium, ad quem ut Pater eſt. Non tamen negare, quòd Perſona divina ſignificatione materiali non dicat relationem; quia ſi Perſona dicit diſtinctum, & incommunicabile, neceſſariò debet dicere relativum, non per modum relationis, ſed per modum ſubſiſtentis, & relati. Videatur D. Thomas locis relatis.

XIX. Secundò argues. Perſona ſecundùm concipiendi modum prior eſt, quàm relativum, quia relativum fundatur in actione, & proceſſione: Perſona autem prior eſt ſua actione.

Reſpondetur, ex dictis ſupra *qu. 2. dub. 2. §. 5. nu. 26.* Perſonam dici quidem, ſeu concipi priùs conſtitutam ante relationem, ut relatio eſt exercitè, ſeu ut referens ad terminum, non tamen eſſe priorem relatione, quatenus ſignificatur per modum hypoſtaſis ſubſiſtentis, ſeu quatenus dicit: *diſtinctum relatione ſubſiſtens in natura divina*, ut cum D. Thoma ſuperiùs dicebamus: quo pacto dicimus divinas Perſonas conſiſtere in relativo. Prætera obſervandum cum D. Thoma *qu. 8. de pot. art. 3. ad 7.* quòd de ratione hypoſtaſis, ſeu perſonæ duo ſunt. Unum, quòd ſit per ſe ſubſiſtens, & in ſe indiviſa: alterum, quòd ſit diſtincta ab aliis hypoſtaſibus ejuſdem naturæ. Primo modo quatenus eſt hypoſtaſis in ſe ſubſiſtens præcedit generationem, non tamen ſecundo modo, nempè *in quantùm eſt ab aliis hypoſtaſibus ejuſdem naturæ diſtincta: Si per ſolam hujuſmodi generationem aliæ hypoſtaſes ejuſdem naturæ originentur. Sicut Adam non fuit diſtinctus ab aliis hypoſtaſibus ejuſdem naturæ priuſquàm mulier ex ejus coſta formaretur, & ejus filii ab eo propagarentur. In divinis autem non multiplicantur hypoſtaſes, niſi per proceſſionem aliarum Perſonarum ab una: prius ergo eſt intelligere hypoſtaſim Patris, in quantùm eſt ſubſiſtens, quàm generationem: non tamen in quantùm eſt diſtincta ab aliis hypoſtaſibus ejuſdem naturæ, quæ non procedunt, niſi hac generatione ſuppoſitâ.... Relinquitur ergo, quòd ipſa paternitatis relatio, in quantùm eſt conſtituens hypoſtaſim Patris, quod habet, in quantùm eſt idem ſubſtantiæ divinæ, præintelligatur generationi: ſecundùm verò quòd diſtinguit, ſic generatio paternitati præintelligitur.* Hæc D. Thom. doctrina benè obſervanda eſt.

DUBIUM II.

De Divinis Subſiſtentiis.

§. I.

An in Deo ſint tres Subſiſtentiæ relativæ.

I. Dico. Dantur in Deo tres ſubſiſtentiæ relativæ. Probo primò. In divinis dantur tres Perſonæ: ſed Perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam ex dictis; ergo dantur tres ſubſiſtentiæ: ſed non ſunt tres ſubſiſtentiæ abſolutæ, quia hæ non multiplicantur in Deo; ergo ſunt tres ſubſiſtentiæ de genere relativo.

II. Probatur ſecundò. Sicut Deus de formali dicit deitatem, ita perſona dicit de formali perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam in natura intellectuali: ſed quia in Deo unica eſt tantùm deitas, non poſſunt admitti tres Dii; ergo ſi unica eſt tantum perſonalitas, & ſubſiſtentia, non poterunt admitti tres Perſonæ.

Confirmatur. Non poteſt in Deo multiplicari Perſona, niſi etiam perſonalitas multiplicetur, nam perſonalitas eſt conſtitutiva perſonæ, ſicut humanitas hominis; ergo ſi in Deo dantur tres Perſonæ, dari debent tres perſonalitates: ſed non poſſunt dari tres perſonalitates, niſi dentur quoque tres ſubſiſtentiæ; non enim poteſt multiplicari ratio inferior, niſi multiplicetur ratio ſuperior, ſicut non poteſt multiplicari ratio hominis, ſive rationalis, niſi multiplicetur quoque ratio animalis: ratio autem perſonalitatis eſt inferior, & ſubſiſtentiæ eſt ſu-

Digitized by Google

ſuperior; quia perſonalitas eſt ſubſiſtentia in natura particulari, nimirùm intellectuali, ſubſiſtentia verò in quacumque natura ſubſtantiali.

III. Dicunt, dari in Deo tres ſubſiſtentes, non ſubſtantivè, ſed ſolùm adjectivè, ideſt tres habentes eandem ſubſiſtentiam.

Contrà eſt. Tum quia, ut vidimus, dantur in Deo tres Perſonæ ſubſtantivè, habentes tres perſonalitates diſtinctas; ergo & tres ſubſiſtentes ſubſtantivè habentes tres ſubſiſtentias diſtinctas. Tùm etiam: ſi in tribus Perſonis eſſet unica tantùm ſubſiſtentia, nec eſſent tres ſubſiſtentes adjectivè, quod probo. Nomen enim adjectivum non multiplicatur, niſi multiplicentur ſuppoſita, unde homo habens plures artes eſt unus artifex, non plures: ſed ſi in Deo eſt unica ſubſiſtentia, repugnat, in Deo multiplicari ſuppoſita, quia ſubſiſtentia eſt conſtitutiva ſuppoſiti; ergo &c.

IV. Dices. Subſiſtentia eſt de genere abſoluto, quia eſt de genere ſubſtantiæ. Abſurdum eſt autem, ut ſubſtantia relativè dicatur: *omnis* enim *res ad ſe ipſam ſubſiſtit; quantò magis Deus?* inquit Auguſt. lib. 7. de Trin. cap. 4. ergo non datur ſubſiſtentia relativa.

Reſpondeo ex dictis Dub. præcedente, ſubſiſtere duo dicere, & ſubſiſtere in ſe individuè: & eſſe diſtinctum ſeu incommunicabile alteri. Primum eſt quidem de genere abſoluto, & de genere ſubſtantiæ: ſecundum autem in Deo haberi non poteſt ab abſoluto, quod in Deo communicabile eſt, & indiſtinctum. Quare peti debet à relativo, à quo ſolo peti poteſt in Deo incommunicabilitas, & diſtinctio.

✠ † ✠

§. II.

An in Deo præter tres ſubſiſtentias relativas, & proprias admitti debeat ſubſiſtentia abſoluta, & communis.

V. Quæſtio hæc procedit de divina eſſentia, ut præintellecta ad divinas relationes; ſeu de Deo, ut præciſo à Perſonis, an ſcilicet concipiatur pro illo ſigno, ut ſubſiſtens. Quia verò ſubſiſtentia duo dicit: unum facere ſubſiſtere in ſe & non in alio, ut in ſuppoſito; alterum, reddere naturam diſtinctam, & incommunicabilem alteri ſuppoſito: hìc certum eſſe debet, Deum præintellectum ad divinas Perſonas, ſeu hunc Deum, ut dicit naturam divinam ſingularem, non eſſe ſubſiſtentem, pro ut ſubſiſtentia dicit incommunicabilitatem; quia pro eo ſigno concipitur Deus, ut communicabilis tribus divinis Perſonis. Sed ſolùm vertitur in quæſtionem, an Deus ſeu divina natura concipiatur pro eo ſigno, ut ſubſiſtens, ut ſubſiſtentia dicit ſubſtantiam in ſe, & ad ſe ſubſiſtentem. His ſuppoſitis.

VI. Dico. Præter tres ſubſiſtentias relativas, datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, quâ Deus præconceptus tribus Perſonis in ſe ſubſiſtit. Hoc indicavit S. Auguſt. *lib. 7. de Trinit. cap.* 4. cum ait: *omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus?* Expreſsè verò docuit D. Thomas, tùm in 1. *diſt.* 21. *qu.* 2. *art.* 1. dicens: *Iſte terminus Deus prædicat naturam divinam de tribus Perſonis, qua etiam in ſe eſt habens eſſe ſubſiſtens, nullâ perſonarum diſtinctione intellectâ.* Tùm 4. *contrag. cap.* 14. dicens: *ſunt igitur* (in Deo) *plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſiderentur: eſt autem una res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia. Et propter hoc dicimus, unum Deum eſſe, quia eſt una eſſentia ſubſiſtens, & plures Perſonas, propter diſtinctionem ſubſiſtentium relationum.*

Tùm

Digitized by Google

Tùm demùm *qu. 9. de pot. art. 5. ad 13.* probat in Deo Perſonas quidem diſtingui, non verò eſſentiam; quia eſſentia non accipit à Perſonis, ut ſit individua, & ſubſiſtens (ut eſſentiæ creatæ) ſed potius Perſonæ ab ea habent, quòd ſubſiſtant, & ſolùm diſtinguunt. *In divinis proprietates perſonales hoc ſolum habent, quòd ſuppoſita divinæ naturæ ab invicem diſtinguunt: non autem ſunt principium ſubſiſtendi divinæ eſſentiæ. Ipſa enim divina eſſentia eſt ſecundùm ſe ſubſiſtens, ſed è converſo proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab eſſentia. Ex eo enim paternitas habet, quòd ſit res ſubſiſtens, quia eſſentia divina, cui eſt idem ſecundùm rem, eſt res ſubſiſtens*; ergo ſi proprietates habent, quòd ſubſiſtant ab eſſentia, non eſſentia ab ipſis, eſſentia ab illis præciſa ſubſiſtens erit.

VII. Probatur autem hàc ratione. Terminus iſte concretus *Deus* includit ſubſiſtentiam, & tamen non importat Perſonas, cùm ab illis præſcindat: atqui ſubſiſtentia, quam includit hoc nomen *Deus* præſcindens &c. non eſt relativa, ſed abſoluta, & communis; ergo &c. Maj. in qua eſt difficultas, probatur. Iſte terminus *Deus* ſignificat id, quod habet, ſeu ens habens deitatem: ſed non poteſt concipi ens habens deitatem, niſi concipiatur ſubſiſtens, idem enim eſt ens habens deitatem ac ens in deitate ſubſiſtens; ergo &c.

Urgetur: quia humanitas Chriſti in priori ad aſſumtionem à Verbo non concipitur, ut ſubſiſtens, nequit dici, quòd ſit homo, neque quòd Verbum divinum aſſumſerit hominem, ut docet D. Thom. 3. *par. qu.* 4. *art.* 3. & hoc ideò, quia ly *homo* ſicut ly *Deus* ſignificant naturam in ſuppoſito, ſeu ſuppoſitum habens naturam; terminus enim concretus non ſupponit pro natura, ſed pro ſubſiſtente in natura.

VIII. Probatur ſecundò hâc aliâ ratione. Natura, quæ intelligitur exiſtere, & operari *ut quod*, intelligitur ſubſiſtens, quia exiſtere, & operari *ut quod* proprium eſt ſubſiſtentium: ſed natura divina pro priori ad Perſonas intelligitur exiſtens, & operans, *ut quod*; ergo &c. Min. prob. Deus enim communis, & præintellectus tribus Perſonis, concipitur intelligens, volens, creans, gubernans mundum; ergo &c.

IX. Sed objicies primò. Non eſt ponendum in Deo id, cujus Patres non meminere: ſed hujus ſubſiſtentiæ abſolutæ, præter relativas, Patres non meminere; ergo &c.

Reſpondeo, negando min. Meminit enim inter cæteros S. Auguſtinus *lib. 7. de Trinitate cap. 4. 5. & 6.* ubi oſtendit, quòd ſubſiſtere ad ſe dicitur, non ad aliud, ſeu relativè. Meminere omnes Veteres, qui unam in Deo naturam ſubſiſtentem agnoſcentes, tres hypoſtaſes in eo aſſerere timebant; inter quos Hieronymus ſupra relatus *Ep. 14. aliàs 57. ad Damaſum.*

X. Objicies ſecundò. Poſitâ ſubſiſtentiâ abſolutâ non datur locus ſubſiſtentiis relativis; quia natura non poteſt duplici actu terminari: & propterea poſitâ exiſtentiâ abſolutâ, non datur locus exiſtentiis relativis.

Confirmatur. Natura jam ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ, cùm deinde terminatur ſubſiſtentiis relativis, vel redditur per illas ſubſiſtens, vel non. Si non; ergo non datur triplex ſubſiſtentia relativa, contra ſuperiùs ſtatuta: ibi enim non datur forma, ubi effectus ejus formalis non datur. Si ſic; ergo natura per ſe ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ, erat per ſe ſubſiſtens, & non erat. Erat, ut ſupponimus: non erat, quia ulteriori ſubſiſtentiâ ſubſiſtens fit.

XI. Reſpondetur, neg. ant. ſicut enim eadem natura divina, licèt ſubſiſtat unâ ſubſiſtentiâ relativâ, puta Patris, adhuc poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentiâ Filii, & Spiritus Sancti; ita quamvis ſubſiſtat ſubſiſtentiâ abſolutâ, & communi, adhuc poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentiis relativis; quia ſunt termini non ejuſdem, ſed diverſi generis,

Digitized by Google

ris, quibus diverſi effectus, ſeu diverſa munera correſpondent.

Munera ergo ſubſiſtentiæ duo ſunt. Unum reddere naturam ſiſtentem in ſe, & eam conſtituere principium quod operationum: alterum eam reddere alteri in communicabilem, & conſtituere Perſonam ab aliis diſtinctam; quorum duorum munerum unum eſſe ab alio ſeparabile, oſtendimus *dub. præced.* ex D. Thoma *qu.* 8. *de pot. art.* 3. *ad.* 7. Subſiſtentia ergo abſolutè præſtat quidem naturæ divinæ primum munus, quia ſubſiſtere in unitate naturæ natura divina habet ex ſe, ut ſuperiùs cum D. Tho. *qu.* 9. *de pot. art* 5. *ad.* 13. dicebamus, ſicut & quòd ſit principium *quod* operationum communium: non tamen illi præſtat ſecundum, ſed hoc præſtandum relinquit ſubſiſtentiis relativis, à quibus ſolis diſtinctio & incommunicabilitas in Deo haberi poteſt.

Quare exemplum exiſtentiæ non urget. Effectus enim exiſtentiæ unicus, ac indiviſibilis eſt, & omnibus divinis prædicatis communis, nempè eſſe ultimò in actu, & extra nihil: unde unica exiſtentia ſufficit pro abſolutis, & relativis. At ſubſiſtentiæ effectus duplex eſt. Unus eſſentialis, abſolutus, & communis; alius notionalis proprius, & perſonalis ſeu incommunicabilis. Primus conſtituit naturam in ſe ſiſtentem, & principium *quod* operationum eſſentialium, & communium. Secundus conſtituit perſonam diſtinctam, & principium *quod* operationum notionalium, & incommunicabilium, vel terminum *qui* earumdem. Cùm ergo detur duplex effectus ſubſiſtendi nempè communicabiliter, & incommunicabiliter, duplex ratio principii quod, & termini operationum, eſſentialis, & notionalis; non video, quare duplex pariter ſubſiſtentia, abſoluta & relativa, communis, & propria, in Deo admittenda non ſit.

XII. Hinc ad confirmationem preſtò eſt reſponſio. Dicimus enim, naturam divinam ſubſiſtentem, reddi ſubſiſtentem in Perſonis, ſed alio modo, nempè incommunicabiliter, & ut principium operationum notionalium.

XIII. Replicabis. Repugnat, naturam eſſe ſubſiſtentem, & adhuc communicabilem, quia eſſe incommunicabile eſt effectus proprius ſubſiſtentiæ; ergo repugnat ſubſiſtentia abſoluta & communicabilis.

Reſpondeo, diſt. ant. eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ adæquatè ſumtâ, & eſſe &c. conc. ant. ſubſiſtentiâ ſumtâ inadæquatè, nego ant. eſto enim natura ſubſiſtens, ſumtâ ſubſiſtentiâ adæquatè, & quoad utrumque effectum, nequeat eſſe communicabilis, non tamen ſi ſit ſubſiſtens, ſumtà ſubſiſtentiâ ſolùm inadæquatè, qualiter dicimus eſſe ſubſiſtentem naturam divinam ſubſiſtentiâ abſolutâ.

Quarè natura divina ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſoluta pro priori ad relationes, eſto dicatur, & ſit ſubſiſtens, non tamen eſt, aut dici poteſt ſuppoſitum, vel Perſona; quia ſuppoſitum, & perſona dicit ſubſiſtentiam adæquatè, & quantùm ad utrumque munus, ſcilicet tam ſiſtendi in ſe, & operandi *ut quod*, quàm diſtinctionis, & incommunicabilitatis. Nos autem eſto primum effectum ſubſiſtendi ponamus in natura divina pro priori ad relationes, non tamen ſecundum; ideòque ſubſiſtentem dicimus, non ſuppoſitum, aut perſonam: quare non eſt, cur quis nos arguat, quaſi in Deo ponamus quaternitatem. Nam in divinis ſuppoſitum, & Perſona eſt id, quod operatur notionaliter, & actione incommunicabili; non verò id, quod operatur eſſentialiter, & operatione omnibus Perſonis communi.

DU-

DUBIUM III.

De proprietatibus Divinarum Perſonarum.

§. I.

De appropriatione.

I. Appropriatio nil aliud eſt, quàm quidam loquendi modus, quo prædicatum abſolutum, & commune omnibus, uni, vel alteri Perſonæ tribuimus, & applicamus, ut ſic Perſonas divinas manifeſtemus. Sicut enim (ait D. Tho. 1. *par. qu.* 39. *art.* 7.) ex creaturis, quæ nobis magis ſunt notæ, venimus in cognitionem Dei unius; ita ex prædicatis eſſentialibus Dei, quæ nobis magis ſunt manifeſta, quàm propria Perſonarum, procedimus eo modo, quo poſſumus, ad manifeſtandas divinas Perſonas.

II. Hinc fit, ut ea, quæ ſimilitudinem aliquam habent cum eſſe alicujus divinæ Perſonæ, illi ſpecialiter tribuantur. Quia æternitas ſine principio eſt, & Pater divinus caret principio, ideò Patri appropriamus æternitatem. Quia ſpecies, ſeu pulchritudo dicit integritatem, debitam proportionem, & nitorem, & Filius, eſt imago Patris perfectè naturam ejus accipiens, eamque exprimens tamquam imago ſubſtantiæ ejus; ideò ſpeciem, & pulchritudinem applicamus Filio: imago enim pulchra dicitur cùm perfectè repræſentat rem. Et quia amor ad uſum, ſeu fruitionem tendit, ideò Spiritui Sancto, qui amor eſt, uſum appropriamus. Ita S. Hilarius relatus à S. Auguſtino lib. 6. de Trinit cap. 10. *æternitas in Patre, ſpecies in imagine, uſus in munere.*

III. Eâdem ratione potentiam, quæ dicit rationem principii, attribuimus Patri, qui totius deitatis principium eſt; ſapientiam Filio, qui cùm ſit Verbum, eſt expreſſio, ſeu locutio ſapientiæ; bonitatem verò Spiritui Sancto: idque ex duplici cauſa, nempè ratione ſimilitudinis ad divina, & ratione diſſimilitudinis ad creata. Ratione quidem ſimilitudinis, quia, ut dicebam, potentia ſimilitudinem habet cum Patre Cœleſti, qui eſt, nedùm cum aliis Perſonis principium omnium creatorum, ſed ex ſua proprietate etiam aliarum divinarum Perſonarum principium. Sapientià ſimilitudinem habet cum Filio, quia Filius intellectus (in quo eſt ſapientia) Verbum eſt, ac expreſſio. Bonitas quoque cum Spiritu Sancto, qui eſt amor, bonitas autem eſt objectum amoris.

Ratione item diſſimilitudinis: quùm enim patri terreno ratione ſenectutis deficiat interdum potentia, & ſuccedat debilitas & infirmitas; ne aliquid tale Deo Patri accedere ſuſpicemur, ei appropriatur potentia.

Quia ſimiliter filiis, utpote ratione juventutis inexpertis, deficit ſapientia; ne quis hoc de Filio Cœleſti cogitet, ei appropriatur ſapientia. Denique quia terrenus ſpiritus impulſionem, & violentiam importat; ne quid tale de Spiritu Sancto ſuſpicemur, ei appropriamus amorem, bonitatem, & in operando ſuavitatem.

IV. Hoc ex Scripturis ipſis didicimus, quæ potentiam adſcribunt Patri. *Marci* enim 14. *v.* 36. dicit Chriſtus: *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt. Lucæ* 1. *v.* 37. ait Angelus: *non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Hinc ait Maria *v.* 49. *fecit mihi magna qui potens eſt* & *v.* 51. *fecit potentiam in brachio ſuo.* & Pſalm. 88. *v.* 9. *Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? potens es Domine.* Fieri autem ſermonem ad Patrem indicatur *v.* 27. *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu.* Neque obeſt, quòd Paulus 1. *cor.* 1. *v.* 24. vocet Chriſtum *Dei virtutem*: eum enim intelligit eſſe Dei virtutem, non per modum principii, ut Pater, ſed per modum termini procedentis; ſicut opus artificis

ejus

Digitized by Google

ejus virtus dicitur: unde addit: *& Dei ſapientiam, ideſt productam.*

V. Filio quoque ſapientia tribuitur à Paulo laudato loco Lucæ 11. v. 49. *Sapientia, Dei dixit.* Et huc pertinent omnia, quæ de ſapientia dicuntur *Proverb.* 8. *& 9. ſapient.* 7. 8. 9. *& 10. & Eccleſiaſtici* 24.

VI. Bonitas tandem Spiritui Sancto tribuitur Lucæ 11. v. 13. *Quantò magis Pater veſter de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Pſalm. 142. v. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam 2. Eſdra 9. v. 20. Spiritum tuum bonum dediſti, qui doceret eos.* Sap. 12. v. 1. O *quàm bonus & ſuavis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus.*

Hinc relatè ad effectus creatos Patri appropriatur, *ex quo omnia*; Filio *per quem omnia*; Spiritui Sancto, *in quo omnia*, juxta illud Pauli Roman. 11. v. 36. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Quod non confusè accipiendum eſſe monet S. Augu. *l. 6. de Trin. c.* 10. Ex Patre enim ſunt omnia, quia eſt principium ſine principio. Per Filium ſunt omnia, quia eſt ſapientia, & ars, per quam Deus ut artifex operatur. In Spiritu Sancto ſunt omnia; nam omnia in Dei bonitate continentur, omnia ab ea, ut à motivo, & fine promoventur; Spiritui Sancto autem bonitas tribuitur. Plura videantur apud S. Tho. 1. *par. qu.* 39. *art.* 7. *&* 8. ex quo omnia ferè ſumta ſunt.

§. II.

De Æqualitate divinarum Perſonarum.

VII. NEceſſe eſt (inquit D. Tho. 1. *par. qu.* 42. *art.* 1.) ponere æqualitatem in divinis Perſonis. Æqualitas enim eſt inter plura, in quibus non eſt accipere majus, & minus: ſed divinæ Perſonæ ſunt plures, quia realiter diſtinctæ; & in eis non eſt accipere majus, & minus, quia in eis eſt una quantitas, una magnitudo, nempè una eſſentia, & unum eſſe; inæqualium verò non poteſt eſſe una quantitas, & una numero magnitudo.

Neque dicas, quòd eſto divinæ Perſonæ non ſint inæquales in eſſentia, & quantitate virtutis; inæquales tamen dici poſſunt in relationibus paternitatis, & filiationis: maximè in noſtra ſententia, quâ diximus, eas propriam dicere perfectionem.

VIII. Nam (ex dictis ſuperiùs) reſpondeo, etiam in relationibus eſſe æquales; quia ex relationibus non ſumitur ratio æqualitatis, ſed diſtinctionis. Ratio autem æqualitatis ſumitur ab eſſentia, & eſſe, quod idem eſt in Patre, & Filio; in Patre per modum dantis, & in Filio per modum accipientis. Et licèt in Patre non ſit filiatio, neque in Filio ſit paternitas, ut his nominibus exprimuntur; ſunt tamen per circuminſeſſionem, ut dictum eſt ſupra *qu.* 3. *Dub.* 3. §. 2. *nu.* 15. & magis ſtatim explicabitur.

§. III.

De Circuminſeſſione.

IX. CIrcuminſeſſio inter divinas Perſonas nil aliud eſt, quàm mutua quaſi ſeſſio, inhabitatio, penetratio, & permeatio, quâ una Perſona dicitur eſſe in alia. Hanc inter Perſonas divinas ſtatuere non eſt aſſertio levis, aut merè ſcholaſtica, ſed gravis ponderis: Ex ea enim ſemel ſuppoſitâ invictum ſumitur argumentum, tùm contra Arianos, tùm contra Sabellianos. Contra Arianos quidem: Si enim Pater in Filio, & viciſſim Filius in Patre eſt; ergo conſubſtantiales ſunt; ergo uterque immenſus, uterque increatus: qui enim immenſus non eſt, nequit eſſe in omnibus locis, in quibus Deus exiſtit: qui increatus non eſt, penetrare divinam eſſentiam, eamque intimè pervadere non poteſt. Unde D. Auguſtinus lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Cæterum* (inquit) *in illa ſumma Trinitate tantum eſt una, quantum tres ſimul; nec plus aliquid ſunt duæ, quàm una: Et in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in*

ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. *Per hanc* (inquit) *unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt; & totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt; totuſque Spiritus Sanctus in Patre, & in Filio eſt. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt.*

Contra Sabellianos quoque. Si enim Pater in Filio eſt, & viciſſim Filius in Patre; ergo non una Perſona ſunt, ſed duæ: Qui enim in altero eſt, diſtinctus ab illo eſſe debet. *Eo ipſo* (ait Cyrillus lib. 12. Theſaur.) *quod ait Chriſtus, hunc in illo, & illum in hoc videri, identitatem Deitatis, & unitatem ſubſtantiæ monſtrari dicit. Cùm autem alterum in altero ineſſe aſſerit, excludi illud, ut ne quis unum aliquid eſſe numero putet.*

X. Ita Patres locuti ſunt, quia hoc à Chriſto didicerant *Joann.* 14. qui Philippo ab eo petenti v. 8. *oſtende nobis Patrem.* Reſpondit v. 9. *Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Et v. 10. *non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Pater autem in me manens ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt?* Quibus, inquit D. Tho. lib. 4. contra gent. cap. 9. *non oſtendit unitatem Perſonæ, ut volebat Sabellius, ſed unitatem eſſentiæ, quam Arius negabat. Si enim eſſet una Perſona Patris, & Filii, non congruè diceretur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre: Cùm non dicatur propriè idem ſuppoſitum in ſe ipſo eſſe . . . . . relinquitur igitur, cùm Pater in Filio, & Filius in Patre eſſe dicatur, quòd Pater, & Filius non ſint idem ſuppoſito. Sed ex hoc oſtenditur, quòd Patris, & Filii ſit eſſentia una; hoc enim poſito manifeſtè apparet, qualiter Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. Nam cùm Pater ſit ſua eſſentia, quia in Deo non eſt aliud eſſe, & eſſentiam habens . . . . . relinquitur, quòd in quocumque ſit eſſentia Patris, ſit Pater; & eâdem ratione in quocumque eſt eſſentia Filii, eſt Filius. Unde cùm eſſentia Patris ſit in Filio, & eſſentia Filii in Patre, eò quòd una eſt eſſentia utriuſque, ut fides Catholica docet, ſequitur manifeſtè, quòd Pater ſit in Filio, & Filius ſit in Patre. Et ſic eodem verbo, & Sabellii, & Arii error confutatur.* Et ecce à S. Doct. circuminſeſſio mirè explicata.

XI. Ex quibus ſic circuminſeſſio probatur primò. Quæ ab invicem diſtinguuntur, ita tamen, ut unam, eandemque habeant naturam, prorsùs indiviſibilem, & impartibilem, neceſſariò ſunt in ſe invicem, & unum in alio: atqui Perſonæ divinæ ſic ſe habent; ergo &c.

Secundò. Ubicumque eſt eſſentia Patris, eſt ipſe Pater, & ubicumque eſt eſſentia Filii, eſt ipſe Filius: ſed eſſentia Patris eſt in Filio, & eſſentia Filii eſt in Patre; ergo Filius eſt in Patre, & Pater in Filio. Hac ratione utitur quoque idem S. Doctor 1. *par. qu.* 42. *art.* 5. afferens Hilarium (*lib.* 5. *de Trinit. prope finem*) dicentem: *Naturam ſuam, ut ita dicam, ſequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum ſubſiſtentem; ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus inſit.*

XII. Alias duas ſubnectit rationes S. Doct. nimirùm: Unum oppoſitorum relativè in altero eſt ſecundum intellectum: ſed Pater, & Filius relativè opponuntur; ergo unus in alio eſt. Altera eſt ſecundum originem, nempè: Proceſſio Verbi intelligibilis, & amoris non eſt aliquid extra, ſed manet in dicente, & in amante: Id etiam, quod in Verbo dicitur, in Verbo continetur, & amans in amato manet. Cùm ergo Filius procedat ut Verbum, & Spiritus Sanctus ut amor, ſeu ut amoris terminus; Nedùm Filius manet in Patre, & Spiritus Sanctus manet in Patre, & Filio; ſed & Pater manet in Filio, & Pater ac Filius manent in Spiritu Sancto.

XIII. Sed dices primò. Eorum, quorum unum eſt apud alterum ut diſtinctum ab ipſo, unum non eſt in altero: ſed Filius eſt apud Patrem, Joann. 1. *Verbum erat apud Deum*; ergo Filius non eſt in Patre.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo, maj. eſſe veram in iis, quæ non ſolùm ſuppoſitis, ſed etiam naturis diſtincta ſunt; secùs vero in iis, quæ licèt ſuppoſitis diſtinguantur, eadem tamen, ac indiviſa natura eſt, & hæc à ſuppoſitis indiſtincta: tunc enim, ſi natura unius eſt in alio, in illo erit etiam ſuppoſitum, ut in divinis Perſonis contingit. Dùm ergo dicitur: *Verbum erat apud Deum*, Perſonarum diſtinctio deſignatur contra Sabellium. Quum verò additur: & *Deus erat Verbum*, identitas naturæ in Patre, & Filio, & proinde mutua inexiſtentia indicatur. Hinc D. Tho. in 1. *diſt.* 19. *qu.* 3. *art.* 2. *ad* 2. ait: *Una Perſona dicitur eſſe apud aliam ratione diſtinctionis: ſed dicitur eſſe in alia, vel quantùm ad eſſentiam, vel quantùm ad intellectum relationum, quia in una intelligitur alia, quamvis unum relativum ab altero ſit diſtinctum*.

XIV. At quæres. Cùm Verbum dicatur eſſe apud Deum, ideſt Patrem, cur non dicitur, Deum, ideſt Patrem, eſſe apud Filium, ſi ly *apud* denotat diſtinctionem? Rurſus: ſi Pater non dicitur eſſe apud Filium, eſto Filius ſit apud Patrem, cur dicitur Pater eſſe in Filio, ſicut dicimus, Filium eſſe in Patre?

XV. Reſpondeo ad primum quæſitum cum D. Thoma in *cap.* 1. *Joann. lect.* 1. quòd ly *apud* non ſolùm ſignificat diſtinctionem, ſed etiam originem: eſto autem Filius ſit diſtinctus à Patre, & ideò ſit apud Patrem, non tamen eſt origo Patris, ſed potiùs trahit originem à Patre; Et ideò eſto Filius ſit apud Patrem, non tamen Pater eſt apud Filium. Nam, ut ait S. Doctor citatus, eſſe apud aliquem *ſignificat auctoritatem in obliquo. Non enim propriè dicitur, Rex eſſe apud Militem; ſed propriè dicitur Miles apud Regem*. Et infra: *licèt Verbum careat initio durationis; non tamen caret principio, vel auctore. Erat enim apud eum, ut apud auctorem*. Cùm autem Filius non ſit principium, vel auctor Patris, ſicut Pater eſt principium, & auctor Filii, ideò Filius dicitur eſſe apud Patrem, non verò Pater apud Filium.

Ad ſecundum quæſitum reſpondeo etiam eodem S. Doct. eodem loco, quòd licèt tam præpoſitio *apud*, quàm præpoſitio *in* conjunctionem ſignificent, differentèr tamen. Nam hæc præpoſitio *in* ſignificat quandam conjunctionem intrinſecam; hæc autem præpoſitio *apud*, quodammodo extrinſecam conjunctionem importat, quæ (ſi ita loqui fas eſt) in Deo eſt conjunctio ſecundùm Perſonas realiter diſtinctas ratione originis unius ab alia: & ideò Perſona dicitur eſſe apud illam, cui conjungitur ratione originis. Cùm verò conjunctio intrinſeca, quam habent divinæ Perſonæ ſignificata per præpoſitionem *in*, ſit conjunctio in eſſentia, ratione cujus conſubſtantiales ſunt, & ſicut eadem eſſentia Patris eſt in Filio, ita eadem eſſentia Filii in Patre eſt; verificatur, quòd ſicut Filius in Patre eſt, ita Pater in Filio ſit. Videatur D. Tho. loco relato.

XVI. Dices ſecundò. Si paternitas eſt in Filio, & filiatio in Patre; vel Filius poterit dici Pater, & Pater Filius: Vel ſi hoc non poteſt dici; ergo nec Pater ſecundùm ſe totum eſt in Filio, nec Filius ſecundùm ſe totum eſt in Patre, contra dictum Sancti Fulgentii ſupra laudatum.

Reſpondeo, negando utramque partem aſſumti. Nam Pater non eſt Perſona, cui conveniat paternitas ratione puræ identitatis cum divina eſſentia; ſed eſt Perſona cui convenit paternitas per modum formæ, & proprietatis perſonalis; & idem dic de Filio: unde quamvis in Patre ſit filiatio, & in Filio paternitas ratione identitatis cum eſſentia; non tamen poteſt dici, quòd Filius ſit Pater, & quòd Pater ſit Filius, quia variatur ſenſus identicus in formalem, abſolutum in relativum, quæ eſt fallacia accidentis. Nec tamen ſequitur, Filium ſecundùm ſe totum, non eſſe in Patre; ſed ſolùm non eſſe in illo ſe-

Digitized by Google

cundùm omnem appellationem, & è contrà.

XVII. Dices tertiò. Unum oppoſitorum non eſt in altero: ſed Filius, & Pater opponuntur relativè; ergo Filius non eſt in Patre, & è converſo.

Reſpondeo, cum D.Thom. 1. *par. qu.* 42. *art.* 5. *ad* 3. quòd Pater, & Filius opponuntur relatione, non autem ſecundùm eſſentiam, ratione cujus unum eſt in altero: & tamen adhuc oppoſitorum relativè unum eſt in altero, nimirùm ſecundùm intellectum, ut dictum eſt.

§. IV.

De Notionibus Perſonarum Divinarum.

XVIII. Notio, ut ait D. Thomas 1. *par. qu.* 32. *art.* 3. Nil aliud eſt, quàm *propria ratio cognoſcendi divinam Perſonam.* Sicut enim in humanis quædam ſunt, quibus velut characteribus unam Perſonam ab alia diſtinguimus; ita proportionabiliter hoc debet poni in divinis Perſonis.

Quinque autem ſunt notiones hujuſmodi, ſeu characteres, nempe Innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Probatur. Notio eſt propria ratio cognoſcendi Perſonam: ſed quinque ſunt rationes cognoſcendi divinas Perſonas; ergo quinque &c. Min. prob. Perſonæ divinæ, cùm multiplicentur ſecundùm origines, ita & ſecundùm origines, nempe *à quo alius, & qui ab* alio, dignoſci debent. Vel ergo Perſona à nullo principio eſt, qualis eſt Pater, & ſic ejus notio eſt innaſcibilitas; & quia ab ipſo eſt Filius, habet aliam notionem, quæ eſt Paternitas. Vel Perſona, quæ ab alia eſt, ab illa eſt genita, & hic eſt Filius, cujus notio eſt filiatio: Cùm autem Filius unà cum Patre ſit unicum principium Spiritus Sancti; ideò Pater, & Filius aliâ notione poſſunt dignoſci, quæ eſt communis ſpiratio. Porrò Spiritus Sanctus ſic procedens à Patre, & Filio habet pro notione ſibi propriâ ſpirationem paſſivam, ſeu proceſſionem. Quare perſona Patris triplici charactere dignoſci poteſt, Innaſcibilitate, paternitate, & ſpiratione activa; Perſona Filii duplici; nempè filiatione, & ſpiratione activâ ei communi cum Patre: at Spiritus Sanctus unâ tantum gaudet notione, nempè ſpiratione paſſivâ, ſeu ſimplici proceſſione. Neque enim quòd nulla alia Perſona ab ipſo ſit poteſt illi pro notione adſignari, ſicut pro notione tribuimus Perſonæ Patris, quod à nulla alia ſit: nam, ut docet D. Thomas relatus ad 4. *Cùm Perſona importet dignitatem .... non poteſt accipi notio aliqua Spiritus Sancti ex hoc, quòd nulla Perſona eſt ab ipſo; Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipſius, ſicut pertinet ad auctoritatem Patris, quòd ſit à nullo.*

XIX. Ratio autem, & neceſſitas haſce notiones ponendi eſt (ait D. Tho. *laudatâ quæſt. art.* 2.) ut poſſimus interroganti de Trinitate reſpondere. Sicut enim Ariano interroganti, cur Pater, & Filius ſunt unus Deus? Reſpondemus, quòd unum ſunt deitate: Ita Sabelliano quærenti, cur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres Perſonæ? reſpondemus, notionibus cujuſcumque Perſonæ, paternitate, filiatione, & proceſſione. Secundò. Quia cùm una Perſona, nempè Pater, duplici relatione referatur ad perſonam Filii, & perſonam Spiritus Sancti, oportuit eſſe aliquam notionem, quâ Pater diſtingueretur à Filio, & quâ diſtingueretur à Spiritu Sancto; ne quis putans, unicâ relatione à Patre reſpici, exiſtimaret Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unam Perſonam, cùm ſolæ relationes ſint, quæ Perſonas multiplicant in divinis.

XX. Noto, non eſſe idem, relationes Perſonarum, notiones Perſonarum, proprietates Perſonarum, & proprietates perſonales. Nam relationes Perſonarum ſunt tantùm quatuor: innaſcibilitas, enim quæ ponitur inter notiones, non eſt relatio, niſi per reductionem,

Digitized by Google

nem, ſicut negatio reducitur ad genus affirmationis. Notio ex dictis eſt ratio cognoſcendi unam, vel duas Perſonas; quare inter notiones ponitur communis ſpiratio, quæ cùm ſit in duabus Perſonis, nimirùm Patre, & Filio, non eſt proprietas Perſonæ. Proprietates ergo Perſonæ solùm quatuor ſunt, innaſcibilitas, paternitas filiatio, & proceſſio. Notio tandem, ſeu proprietas perſonalis illa eſt, quâ Perſona conſtituitur; & iſtæ ſunt tantùm tres, nempe paternitas, filiatio, & proceſſio. Communis enim ſpiratio, eſt quidem notio Patris, & Filii; ſed neque eſt proprietas Perſonæ, quia duabus communis, & multò minus notio perſonalis. Innaſcibilitas autem eſto ſit proprietas Perſonæ Patris, cujus etiam eſt notio; non eſt tamen notio, ſeu proprietas perſonalis, quia Perſonam Patris non conſtituit.

XXI. Noto inſuper cum D. Thoma *1. par. qu. 32. art. 3. citato ad 2.* quòd licèt Deus ex unitate eſſentiæ dicatur unus, & ex perſonarum Trinitate dicatur Trinus; non poteſt tamen dici quinus ex quinitate notionum. Nam eſſentia, & Perſona in Deo ſignificantur, ut res quædam; ſed notiones ſignificantur ut rationes notificantes Perſonas: eadem autem Perſona pluribus rationibus notificari poteſt.

§. V.

De Miſſione Divinarum Perſonarum.

XXII. Miſſio (de qua D. Thom. *1. par. qu. 43.*) nil aliud eſt, quàm proceſſio unius Perſonæ ab alia, ut per operationem externam novo modo exiſtat in creatura, vel ut in ea novum effectum in tempore producat. *In ratione* enim *miſſionis duo importantur* (ait D. Thom. citatus art. *1.*) *unum eſt habitudo miſſi ad eum, à quo mittitur. Aliud eſt habitudo miſſi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem, quòd aliquis mittitur, oſtenditur proceſſio quædam miſſi à mittente, vel ſecundùm imperium, ſicut Dominus mittit ſervum; vel ſecundùm conſilium, ut ſi Conſiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; Vel ſecundùm originem, ut ſi dicatur, quòd flos emittitur ab arbore. Oſtenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi eſſe incipiat: vel quia priùs ibi omnino non erat quò mittitur; vel quia incipit ibi aliquo modo eſſe, quo priùs non erat. Miſſio igitur divinæ Perſonæ* (cùm non poſſit ei convenire per imperium, aut conſilium) *convenire poteſt, ſecundùm quòd importat ex una parte proceſſionem originis à mittente, & ſecundùm quòd importat ex alia parte novum modum exiſtendi in alio. Sicut Filius dicitur eſſe miſſus à Patre in mundum, ſecundùm quod incæpit in mundo eſſe per carnem aſſumtam: & tamen ante in mundo erat, ut dicitur Joann. 1.* Hæc D. Thomas. Quod, & quomodo factum ſit explicat S. Auguſtinus *lib. 2. de Trinitate cap. 5.*

XXIII. Ex quibus infertur primò. Quòd licèt qui mittitur per imperium, vel per conſilium ſit minor, aut inæqualis cum mittente, quia ſic mittens ſupponitur, vel potentior, vel ſapientior eo, qui mittitur; non tamen qui mittitur per originem: quia hic mittitur accipiendo per originem eandem eſſentiam, potentiam, & ſapientiam cum mittente. Ita D. Thomas *art. 1. citato ad 1.* Unde D. Auguſtinus tùm loco mox allato; tùm lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Si autem* (inquit) *ſecundùm hoc miſſus à Patre Filius dicitur, quod ille Pater eſt, ille Filius, nullo modo impedit, ut credamus, æqualem Patri eſſe Filium, & conſubſtantialem, & coæternum, & tamen à Patre miſſum Filium. Non quia ille major eſt, ille minor: ſed quia ille Pater, ille Filius, ille genitor, ille genitus, ille à quo eſt qui mittitur, ille qui eſt ab eo, qui mittit.*

XXIV. Infertur ſecundò. Quòd licèt qui mittitur in creatis ſeparetur, & ponatur extra mittentem, quia miſſio eſt veluti extra miſſio; & hoc

quia

quia in creatis, qui mittitur, mittitur ad locum, in quo nec mittens, nec qui mittitur priùs erat: in divinis verò, & is qui mittit, & is qui mittitur erant prius in loco, ad quem fit miſſio; & ſolùm qui mittitur incipit ibi eſſe novo modo. Unde D. Tho. art. 1. citato ad 2. ait: *Quod illud, quod ſic mittitur, ut incipiat eſſe, ubi priùs nullo modo erat, ſuâ miſſione localiter movetur. Unde oportet, quòd loco ſeparetur à mittente. Sed hoc non accidit in miſſione divina Perſona: quia Perſona divina miſſa, ſicut non incipit eſſe, ubi priùs non fuerat; ita nec deſinit eſſe, ubi fuerat. Unde talis miſſio eſt ſine ſeparatione, ſed habet ſolam diſtinctionem originis.* Et D. Auguſt. *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* concludit ſic: *Quòd ergo de Deo natus eſt, in hoc mundo erat: quòd autem de Maria natus eſt, in hunc mundum miſſus advenit.*

XXV. Infertur tertiò. Quòd cùm miſſio ſit ſolùm ſecundùm proceſſionem originis, Perſona divina ab ea tantùm poteſt mitti, à qua per originem procedit. Quare Pater, qui à nullo procedit, à nullo poteſt mitti: Pater verò, & Filius poſſunt mittere Spiritum Sanctum: at Spiritus Sanctus, à quo nulla Perſona procedit, nullam Perſonam poteſt mittere. Itâ D. Thom. *qu. 43. citatâ art. 4.*

Quod ſi Auguſtinus *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* apertè dicit, Filium à ſeipſo miſſum: & Toletani Patres *Synodo XI.* fatentur, Filium miſſum non ſolùm à Patre, ſed & à ſeipſo, & à Spiritu Sancto; obſervandum eſt, ait D. Thomas art. 8. quæſt. 43. prælaudatæ. Quòd, *cum dicitur aliqua Perſona mitti, deſignatur, & ipſa Perſona ab alio exiſtens, & effectus viſibilis, aut inviſibilis, ſecundùm quem miſſio divina Perſona attenditur. Si igitur mittens deſignetur ut principium Perſona, qua mittitur, ſic non qualibet Perſona mittit, ſed ſolùm illa, cui convenit eſſe principium illius perſona: & ſic Filius mittitur tantùm à Patre, Spiritus Sanctus autem à Patre, & Filio. Si verò Perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus ſecundùm quem attenditur miſſio, ſic tota Trinitas mittit Perſonam miſſam.*

Hoc eodem ſenſu loquitur S. Auguſtinus relatus: *Fortaſſe* (inquit) *aliquis cogat, ut dicamus, etiam à ſeipſo miſſum eſſe Filium, quia ille Maria conceptus, & partus Trinitatis eſt, quâ creante omnia creantur. Et quomodo jam,* inquit, *Pater eum miſit, ſi ipſe ſe miſit? Cui primùm reſpondeo, quærens, ut dicat, ſi poteſt, quomodo Pater eum ſanctificavit, ſi ſeipſe ſanctificavit?...* Joann. 17. 19. & pro eis ſanctifico me ipſum... *Credo reſpondebit, ſi hac probè ſapit, quia una voluntas eſt Patris, & Filii, & inſeparabilis operatio. Sic ergo intelligat illam Incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur miſſus, unâ eâdemque operatione Patris, & Filii inſeparabiliter eſſe factam, non utique inde ſeparato Spiritu Sancto.*

XXVI. Hanc Divinarum Perſonarum miſſionem apertè teſtantur Scripturæ. Chriſtus enim (Joann. 8. v. 16.) ex eo probat, ſuum teſtimonium eſſe verum, quòd ſit teſtimonium Patris, à quo miſſus eſt: *Judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me, Pater.* Jo. 10. v. 36. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum &c.* Paulus etiam ad Gal. 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum.* Se autem miſſurum Spiritum Sanctum pollicetur Chriſtus. Joann. 16. v. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

XXVII. Miſſio tamen hæc divinæ Perſonæ partim æterna eſt, partim temporalis, ait D. Thom. *qu. 43. laudatâ art. 2.* æterna quidem, ſi ſpectetur proceſſio originis; nam Filius ab æterno ad intra proceſſit, ut ſit Deus. Temporalis verò, ut dicit exitum Perſonæ procedentis à mittente; quod propriè eſt miſſio, & datio Perſonæ ad aliquem temporalem effectum, ſicut datus fuit in tempore Filius, ut viſibiliter ſit homo, vel ut ſit in homine etiam inviſibiliter.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Quare miſſio temporalis alicujus Perſonæ duplex eſt. Alia viſibilis, alia inviſibilis. Si enim effectus, ad quem Perſona mittitur viſibiliter fit, erit miſſio viſibilis; & talis fuit miſſio Filii per Incarnationem, & Spiritus Sancti ſub linguarum ſpecie ſuper Apoſtolos. Si verò effectus, ad quem mittitur inviſibilis ſit, erit miſſio inviſibilis; & talis eſt miſſio utriuſque, dùm per dona, & gratiam homines interiùs juſtificant: Filius quidem, tanquam juſtificationis auctor, Spiritus autem tanquam juſtificationis indicium. Et de hac miſſione locutus eſt Auguſtinus *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Cùm loquens de ſapientia æterna: *Sed aliter* (inquit) *mittitur ut ſit cum homine* (hoc enim priùs fecerat, in animas ſanctas inviſibiliter ſe transferendo) *aliter miſſa eſt, ut ipſa ſit homo* (nimirùm carnem humanam viſibiliter ſumendo) Plura de utraque docet S. Thom. citatâ *qu. 43. art. 5. 6. 7.* videndus.

QUÆSTIO V.

De Perſona Filii.

DE Perſona Patris ejuſque characteribus nihil diſputatione dignum occurrit. Qui tamen de ea plura ſcire cupit, adeat D. Thomam 1. *par. qu.* 33. De Perſona autem Filii, de qua agit *quaſt.* 34. ſequente, cùm plura in antedictis diſputata ſint, brevem quæſtionem inſtituemus.

DUBIUM I.

De propriis Secundæ Perſonæ characteribus.

§. I.

De nomine Verbi.

I. VAriis nominibus Secunda Perſona divina nuncupatur, nempè: *Filius Dei, Verbum, Imago, Idea, Principium, Sapientia, Lux, Candor lucis æternæ, Figura ſubſtantiæ Dei, Character, Speculum, Veritas.* Hæc enumerat S. Ambroſius *lib. 2. de Trinit.* Unde quærimus, an omnia ſint ſecundæ Perſonæ propria, ac perſonalia; an verò nomina in ſe omnibus Perſonis communia, & ſolùm Secundæ appropriata. De nomine Filii, eſſe perſonale, & proprium ejus, conſtat ex dictis: aliqua eſſe communia, & ſolùm ei appropriata, ut Lux, Idea, Principium, Sapientia, Veritas &c. exploratum eſt. Quæſtio reſtringitur ad nomina *Verbum, Imago, Character, Figura, Subſtantiæ*. De nomine Verbi §. præſenti agetur.

II. Verbum manifeſtiùs, & communiùs in nobis dicitur, quod voce profertur, & quod ab interiori procedit: hoc autem duo importat, nimirùm vocem ipſam, & ſignificationem vocis. Vox enim, quæ non eſt ſignificativa verbum dici non poteſt, quia ex hoc dicitur verbum vox exterior, quia ſignificat interiorem mentis conceptum. Hic autem mentis conceptus, quem intelligens intra ſe dicit, & format, quaſi ſibi loquens, ad quod exteriùs exprimendum utitur voce ſignificante, eſt verè, ac propriè Verbum, quod in Deo datur, quodque ab æterno produxit intra ſe. Ita ex D. Thom. *qu. 34. citatâ art. 1.*

III. Mitto aliam minus propriam ſignificationem, quâ verbum dicitur etiam id, quod verbo ſignificatur, vel efficitur; ſicut conſuevimus dicere, hoc eſt verbum, quod dixi tibi, vel quod mandavit Rex, demonſtrato aliquo facto, quod verbo ſignificatum eſt, vel ſimpliciter enunciantis, vel etiam imperantis. Ita D. Thom. loco allato. Unde Lucæ 2. v. 15. Paſtores ajunt: *Videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.*

IV. Circa Verbum in Deo ponendum varii fuerunt errores. *Alogi* hoc eſt *ſine Verbo* reſpuebant à Deo appellationem Verbi; eò quòd, ajebant, Ei-

Digitized by Google

Filius Dei nec ore, nec mente ſit pronunciatus: quo circa rejiciebant omnia ſcripta S. Joannis, quòd in eis Verbi divini fieret mentio. Ita S. Auguſt. *lib. de hæreſ. cap.* 30.

Paulus verò Samoſatenus, teſte Sancto Epiphanio *hæreſ.* 65. aſſerebat, Verbum divinum non eſſe ſubſiſtens, ſed prolatitium, & tranſitorium. Hoc ipſum aſſeruiſſe videntur Arius, & Eunomius exiſtimantes, omne verbum eſſe prolatitium vocis: unde plura Verba à Deo prolata fuiſſe Arius in ſua *Thalia* effutiebat, dicens (ut narrat S. Athanaſius de Decretis Nicænæ Synodi) *multa, inquiunt, Verba loquitur Deus. Quale ergo horum Filium Dei & Verbum unigenitum Patris eſſe dicimus?* Alii tamen Arii gregales duo in Deo diſtinguebant Verba: unum exiſtens in Deo, quod eſt ejus ſapientia à Perſona Patris indiſtincta; alterum extraneum à Patris ſubſtantia, de quo dicebant loquutum fuiſſe S. Joannem, cum ait: *In principio erat Verbum.*

Contra hos D. Tho. hâc *qu.* 34. *art.* 1. *ad primum arguit ſic.* Datur per vos Verbum exterius à Deo prolatum; ergo datur in Deo Verbum interiùs productum. Conſequ. probatur. Nam verbum exterius profertur ad ſignificandum, & manifeſtandum verbum interius mente conceptum, & dictum; ergo ſi datur Verbum exterius à Deo prolatum, datur in Deo Verbum interius productum.

V. Dico ergo primò. Nomen Verbi in Deo eſt nomen perſonale ſolius ſecundæ Perſonæ proprium. Ita D. Tho. *qu.* 34. *citatâ art.* 1. & 2. Prima pars probatur à S. D. Verbum propriè tale ſignificat aliquid ab alio procedens: Sed nomen ſignificans aliquid ab alio procedens eſt in divinis nomen perſonale, cum Perſonæ diſtinguantur ſecundùm origines; ergo &c. Unde S. Auguſt. *Lib.* 7. *de Trinitate cap.* 2. apud D. Tho. hoc *art.* 1. ait: *ſicut Filius refertur ad Patrem; ita & Verbum ad id, cujus eſt Verbum:* Sed Filius eſt nomen perſonale, quia relativè dicitur; ergo & Verbum.

Secundà pars probatur ab eodem ſic. Cùm Verbum ſit nomen perſonale, illius Perſonæ proprium erit, quæ procedit per emanationem, ſeu actionem intellectus, cujus partus eſt Verbum: atqui ſola ſecundà Perſona nempe Filius procedit, ut partus intellectus, quâ ratione ſola Filii proceſſio dicitur generatio; ergo &c. Hinc in Sacris Litteris nomine Verbi ſolus Filius exprimitur.

VI. Dices primò contra primam partem. S. Aug. *l.* 9. *de Trinit.cap.* 10. ait: *Verbum eſt notitia cum amore.* Et S. Anſelmus in Monologio cap. 60. *dicere* (inquit) *Summo Spiritui nihil aliud eſt, quam cogitando intueri:* Sed notitia, cogitatio, & intuitus non ſunt nomina perſonalia; ergo nec Verbum.

Reſpondeo ex D. Thoma hoc *art.* 1. *ad* 1. cum diſtinctione. Verbum eſt notitia, cogitatio, intuitus, ſi per iſta intelligatur actus intellectus cognoſcentis, cogitantis, intuentis, nego. Si intelligatur id, quod intellectus intra ſe concipit, & producit cognoſcendo, concedo. Id enim, quod intellectus concipit, & intra ſe producit cognoſcendo (non ipſa cognitio) Verbum eſt: & ſic ſenſus verborum Auguſtini, & Anſelmi eſt, quòd Verbum ſit notitia, congitatio &c. ideſt id, quod per notitiam, cogitationem &c. concipitur, & producitur; quo pacto dicitur non eſſentialiter, ſed perſonaliter in Deo. Videatur D. Tho. citatus.

VII. Quamvis enim omnibus divinis Perſonis commune ſit cognoſcere, ſoli tamen Perſonæ Patris convenit formare conceptum rei intellectę; ideòque procedere ut conceptum rei intellectæ, prædicatum perſonale eſt ſecundæ Perſonæ proprium. Id acutè exponit S. Thom. hoc *art.* 1. *ad* 3. his verbis: *ſicut propriè loquendo Verbum dicitur perſonaliter in divinis, ita, & dicere; Unde ſicut Verbum non eſt commune Patri & Filio, & Spiritui Sancto; ita non eſt*

vo-

Digitized by Google

verum, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint unus dicens. Unde Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 1. dicens, inquit, illo coæterno Verbo non ſingulus intelligitur in divinis. Unde diverſum eſt intelligere, ac dicere. *Nam intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur.... Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim eſt aliud dicere, quàm proferre verbum.*

Addit tamen S. Doctor, quòd *dici convenit cuilibet Perſonæ. Nam dicitur non ſolum Verbum, ſed res, quæ Verbo intelligitur, aut ſignificatur. Sic ergo uni ſoli Perſonæ convenit dici eo modo, quo dicitur Verbum: eo verò modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet Perſonæ convenit dici. Pater enim intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ ejus ſcientiâ continentur, concipit Verbum, ut ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Unde concludit, quòd licèt ſola Perſona, quæ profert Verbum ſit dicens, & ſola Perſona prolata ſit propriè Verbum; quia tamen ſingulæ Perſonæ divinæ ſunt hoc Verbo intellectæ, & repræſentatæ, ſingulæ ſunt hoc Verbo dictæ. Videndus D. Tho. *art. 2. ſequente ad 4., Qu. 9. de Potentia art. 9. ad 8. & 1. par. qu. 37. art. 1. in corp.*

VIII. Dices ſecundò etiam contrà ſecundam partem. Filius eſt Perſona ſubſiſtens in Divinis: ſed Verbum non ſignificat rem ſubſiſtentem, ut in nobis patet; ergo non eſt nomen perſonale proprium Filii.

Confirmatur. Verbum prolatione quâdam procedit à dicente; ſi ergo Filius, eſt propriè Verbum non procedit à Patre niſi per modum prolationis, quod fuit hæreſis Valentini; ut patet ex Auguſt. *in lib. de hæreſ. cap. 11.*

IX. Reſpondetur ex D. Tho. hìc art. 1. ad 1., *quòd in nobis non eſt idem eſſe, & intelligere; unde illud, quod habet in nobis eſſe intelligibile non pertinet ad naturam noſtram: Sed eſſe Dei eſt ipſum ejus intelligere. Unde Verbum Dei non eſt aliquod accidens in ipſo, vel effectus ejus, ſed pertinet ad ipſam naturam ejus: & ideò oportet, quòd ſit aliquid ſubſiſtens, quia quidquid eſt in natura Dei ſubſiſtit. Et ideò Damaſcenus (lib. 1. orth. fid. cap. 18. dicit: quòd* Verbum Dei eſt ſubſtantiale, & in hypoſtaſi ens, reliqua verò verba, ſcilicet noſtra, virtutes ſunt animæ.

Hinc obſervandum, Verbum divinum in aliquibus convenire cum noſtro, in aliquibus verò diſconvenire. Convenit primò, quòd ſicut verbum noſtrum procedit à mente, & intimè manet in illa; ita Verbum divinum procedit à Patre, & illi manet intimum. Secundò, quòd ſicut mens noſtra abſque ulla ſui læſione, diviſione, aut diminutione producit verbum; ita & Pater verbum ſuum producit. Tertiò, ſicut verbum noſtrum eſt perfecta mentis imago; ita Verbum divinum eſt perfecta imago Patris. Quartò, quòd ſicut mens in ſuo verbo, & ſe, & alia videt: ita & Pater divinus in ſuo.

Diſconvenit tamen primò. Quòd verbum humanum eſt accidens, divinum ſubſtantia. Secundò. Quòd illud non eſt menti coævum, ſed modò oritur, modò occidit; iſtud eſt Patri coæternum, & immutabile. Tertiò. Illud non eſt unum tantùm, ſed pro rerum, quas intelligimus, diverſitate diverſum; iſtud eſt unum tantùm, quia ſicut Pater uno actu omnia intelligit, ita uno Verbo omnia dicit. Quartò. Illud ex indigentia producitur, ut ſcilicet in verbo intelligamus; iſtud ex abundantia Paternæ cognitionis procedit. Quintò. Verbum humanum ad rationem filii non pervenit: Divinum autem eſt propriiſſimè Filius.

X. Ad conf. reſpondeo cum D. Tho. ibidem ad 2. *Quòd non propter hoc error Valentini eſt damnatus, quia Filium dixit prolatione natum, ut Ariani calumniabantur, ſicut Hilarius refert lib. 6. de Trinit. ſed propter varium modum prolationis quem poſuit, ſicut patet per Au-*

Auguſtinum in lib. de hæreſibus cap. 11. Unde Hilarius loco relato nu. 9. Arianos increpans, quòd ſub ſpecie Valentinianæ hæreſis *Nomine prolationis improbato, nativitatem Dei ex Deo improbarent*, ait. *Valentinus enim ridicula quadam & fœda commentans, cùm præter Principem Deum, familiam Deorum, & numeroſas æternitatum Poteſtates introduxiſſet, tunc prolatum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum myſterio occultæ voluntatis aſſeruit. Hanc ergo inanem prolationem ... evangelica, atque apoſtolica Eccleſia fides neſcit ... ſcit verò nihil aliud, quàm unum Deum Patrem, ex quo omnia ſunt, & unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem omnia, natum de Deo Deum.* Quæ verò fuerit Valentini inſania diximus ſupra *qu.* 2. *de unit. Dei Dub.* 5. §. 1. *nu.* 5.

XI. Dices tertiò. Nomen Verbi tribuitur etiam Spiritui Sancto à D. Baſilio *lib.* 5. *contra Eunom. cap.* 11. dicente: *Dei quidem Verbum Filius eſt: Filii autem Verbum, Spiritus.* Quod probat ex illo ad Hebr. 1. *portans omnia Verbo virtutis ſuæ.* Et ad Epheſ. 6. *Gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei*; ergo non convenit ſoli Filio.

Reſpondeo ex D. Thom. hìc *art.* 2. *ad* 5. quòd Baſilius vocat Spiritum Sanctum Verbum Filii impropriè, & figuratè; quia Spiritus Sanctus manifeſtat Filium, ſeu Filii Voluntatem: quâ ratione verbum alicujus dici poteſt omne, quod eſt manifeſtativum illius. Poteſt etiam dici Verbum Filii ab effectu, quem operatur in corde evangelizantium Chriſtum. Unde ait Matth. 10. v. 21. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Paulus autem dum ait: *portans omnia Verbo virtutis ſuæ*, ſumit Verbum pro effectu Verbi, nempè pro imperio, quatenus ex effectu virtutis Verbi eſt, quòd omnia conſerventur in eſſe; ſicut eſt, quòd res producantur in eſſe. *Ad Epheſ.* autem vocat Paulus *Verbum Dei gladium Spiritus*, ſumens Verbum pro Doctrina, quâ tanquam ſpirituali gladio pugnamus adversùs omnes veritatis adverſarios.

XII. Quia verò quod Latini vocant *verbum*, Græci dicunt *logos*, quod *ſermonem*, & *rationem* ſignificat, quæritur, quo ex his nominibus meliùs ſecundæ Perſona Filius exprimatur.

Reſpondet S. Auguſt. lib. 83. quæſt. qu. 63. *Quod Græcè logos dicitur, latinè, & rationem, & verbum ſignificat. Sed hoc loco Joann. 1. meliùs Verbum interpretamur, ut non ſignificetur ſolùm ad Patrem reſpectus, ſed ad illa etiam, quæ per Verbum facta ſunt operativâ potentiâ.* Vis ergo, & operativa proprietas, ut per Filium fiant omnia, quæ facienda ſunt aptiùs ſignificantur nomine Verbi, quàm ſermonis, & rationis, quod ad ſolum ſermocinantem, & ratiocinantem refertur.

Addo, quòd cùm *ſermo* pluribus vocibus conſtet, minùs aptus eſt ad ſignificandum Verbum, quod eſt dictio ſimplex, & ſimpliciſſimum cognitionis actum, quo Pater illud profert. Hinc arguendi ſunt Eraſmus, Calvinus, Beza, quòd in poſterioribus Latinis, quas ediderunt, Verſionibus, nomen *logos* verterunt in *ſermonem*, dicentes: *In principio erat ſermo.* Quamvis autem Veteres quidam verterint *ſermonem* loco *Verbi*; id aliquando, & quidem rariùs fecerunt.

§. II.

De nomine Imaginis.

XIII. DIvus Thomas 1. *par. qu.* 35. duo quærit de nomine Imaginis in divinis: unum, an dicatur perſonaliter; alterum an ſit proprium Filii.

Circa primum, notat art. 1. Ad rationem perfectæ imaginis tria requiri. Primum, quòd ſit ſimilis. Secundum, quòd ſit ſimilis in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei, quod in rebus corporalibus eſt figura: unde ſi depingatur in pariete color alicujus animalis, non habetur imago ſpeciei il-

Digitized by Google

illius, niſi pingatur etiam figura illius. Tertium, non ſufficit ad rationem imaginis ſimilitudo quæcumque, etiam in ſpecie, aut figurâ, ſed ulteriùs requiritur origo, ſeu quòd ſit facta ad ſimilitudinem ejus, cujus eſt imago: defectu cujus duo ova, etſi in ſpecie, & figura ſimilia ſint, quia tamen unum ab alio non oritur, nec unum eſt factum ad ſimilitudinem alterius ex modo ſuæ productionis, unum non dicitur imago alterius. *Ad hoc ergo* (concludit S. Doct.) *quòd verè aliquid ſit imago, requiritur, quòd ex alio procedat ſimile ei in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei.* Hoc præmiſſo.

XIV. Dico primò cum S. Doctore, quòd nomen imaginis in divinis eſt nomen perſonale. Probo. Ea, quæ proceſſionem ſive originem important, in divinis ſunt perſonalia: ſed hoc nomen imago importat originem, ſeu quòd ſit procedens, vel factum, ut ſit ſimilitudo alterius: Unde imago dicitur relativè, non ad ſe, teſte Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 1. *quid eſt abſurdius quàm imaginem ad ſe dici;* nomina autem relativa in divinis perſonalia ſunt; ergo &c.

Advertit tamen S. Doct. ibi ad 1. *quod imago propriè dicitur, quod procedit ad ſimilitudinem alterius. Illud autem ad cujus ſimilitudinem aliquid procedit, propriè dicitur exemplar, impropriè verò imago. Sic tamen Auguſtinus* (veriùs Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2.) *utitur nomine imaginis, cum dicit divinitatem Sanctæ Trinitatis eſſe imaginem, ad quam factus eſt homo*, ſumens nimirum nomen imaginis pro exemplari.

Eâdem ratione homo dicitur imago Dei imperfecta tamen, & analogica; quia imago perfecta debet procedere in ſimilitudinem ſpeciei, vel ſaltem in ſigno ſpeciei: homo autem non ſic procedit à Deo. Quare D. Thom. art. 2. ad 3. *Imago* (inquit) *alicujus dupliciter in aliquo invenitur. Uno modo in re ejuſdem naturæ ſecundùm ſpeciem, ut imago Regis invenitur in filio ſuo. Alio modo in re alterius naturæ, ſicut imago Regis invenitur in denario. Primo autem modo Filius eſt imago Patris: Secundo autem modo dicitur homo imago Dei. Et ideò ad deſignandum in homine imperfectionem imaginis, homo non ſolùm dicitur imago, ſed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem deſignatur. Sed de Filio Dei non poteſt dici, quod ſit ad imaginem; quia eſt perfecta Patris imago.* Hæc D. Thom. Hinc

XV. Dico ſecundò. Imaginis nomen convenit ſoli ſecundæ Perſonæ SS. Trinitatis, nempè Filio. Ita D. Thom. hoc *art.* 2. ubi, quorumdam rejectis rationibus, probat ſic ex dictis. De ratione imaginis eſt, non ſolùm, quòd ſit ſimilis, ſed quòd ex ratione ſuæ originis habeat, quòd procedat ut ſimilis ei, à quo eſt: ſed ſolus Filius ita procedit, ut de ratione ejus characteriſtica ſit, quòd procedat ut ſimilitudo ejus, à quo eſt: nam Pater non procedit; Spiritus Sanctus verò procedit quidem, & eſt etiam ſimilis in natura ei à quo procedit, ſed id non habet ex natura ſuæ proceſſionis, ut ſuperiùs oſtenſum eſt: non enim eſt de ratione amoris, ut procedat in ſimilitudinem ſpeciei cum eo, à quo procedit, quamvis hoc conveniat amori, in quantùm eſt amor divinus; ergo &c.

Major probata manet ex dictis, & adhuc auctoritate Auguſtini roboratur. Is enim lib. 83. quæſt. qu. 74. *Ubi* (inquit) *æqualitas, continuò ſimilitudo, non continuò imago: velut in duobus ovis paribus, quia ineſt æqualitas, ineſt ſimilitudo: quæcumque enim adſunt uni, adſunt & alteri; imago tamen non eſt, quia neutrum de altero expreſſum eſt.* Et lib. imperfect. de Geneſ. ad litter. cap. 16. ait: *Omnis imago ſimilis eſt ei, cujus imago eſt: nec tamen omne, quod ſimile eſt alicui, etiam imago eſt ejus: ſicut in ſpeculo, & pictura, quia imagines ſunt, etiam*

ſimiles ſunt: tamen ſi alter ex altero natus non eſt, nullus eorum imago alterius dici poteſt. Imago enim tunc eſt, cùm de altero exprimitur.

XVI. Secundò probatur. Spiritus Sanctus nec eſt Filius Dei, nec creatura; ergo non eſt imago: omnis enim imago, vel eſt naturalis; & hæc eſt Filius: vel artificialis; & hæc eſt creatura.

Confirm. inter homines ſolus filius eſt naturalis imago Patris; ergo etiam in divinis.

Hinc Scriptura nomen imaginis ſoli Filio Dei attribuit: *Qui* (ait Paulus 2. Cor. 4. v. 4.) *eſt imago Dei*. Ad Coloſs. 1. v. 15. *Imago Dei inviſibilis*. Ad Hebr. 1. v. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. Quibus addi poteſt, quòd *Sap. 7. v. 26.* De increata ſapientia dicitur: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.*

Cùmque hoc nomen nuſquam in Sacris Litteris tribuatur Spiritui Sancto, benè concludit S. Thomas hoc *art. 2.* quòd Doctores Latini conformiùs Sacræ Scripturæ loquuntur, quàm Græci, qui nomen Imaginis etiam Spiritui Sancto communicant.

XVII. Neque juvat (ut refert Sanctus Thomas opuſc. 1. cap. 10. ubi hanc rem pertractat) quod Græci pro ſe adferant illud Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*. Et iſtud 1. Cor. 15. v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni portemus, & imaginem cœleſtis*; quibus putant, imaginis nomine Spiritum Sanctum indicari.

Non inquam. Nam utroque loco *poteſt intelligi, quòd homines conformentur imagini Filii, vel quod portent imaginem Chriſti, in quantùm ipſi homines Sancti per dona gratiarum, ut ſint ſimiles Chriſto perficiuntur, ſecundùm illud Apoſtoli 2. ad Cor. 3.* In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. *Hîc enim imaginem non dicit eſſe Spiritum Chriſti. Sed aliquid à Spiritu Dei in nobis exiſtens.* Ita S. Thom. opuſc. citato. Qui etiam dicit, Græcos Patres poſſe benignè exponi: quod nomine imaginis intelligant, quodcumque ab alio procedens ejus ſimilitudinem gerens; non verò habens, quòd ſit ſimilitudinem gerens ex ipſa ſuæ originis ratione, quod proprium eſt imaginis, & ſoli Filio convenit.

XVIII. Contrà dicta duo objicit Durandus. Primum. Si Filius eſt imago, & ſimilis Patri, vel hoc eſſet ratione eſſentiæ, vel ratione relationis: non ratione eſſentiæ; quia in hac eſt idem cum Patre, non ſimilis. Non ratione relationis; quia in hac non eſt ſimilis, ſed oppoſitus Patri.

Alterum eſt. Si Filius ſit imago Patris, erit quoque imago creaturarum: eò enim eſt imago Patris, quia repræſentat Patrem, repræſentat autem etiam creaturas: ſed falſum eſt, quod Filius ſit imago creaturarum; ergo &c.

XIX. Reſpondetur ad primum. Rationem ſimilitudinis petere unitatem, & diſtinctionem: unitatem in eo, in quo ſunt ſimilia; & quia ſimilitudo eſt inter duo, petit diſtinctionem inter ea, quæ ſunt invicem ſimilia, nimirùm ſubjecta, vel ſuppoſita. Dùm ergo dicitur Filius eſt ſimilis Patri, non comparatur eſſentia eſſentiæ, ac ſi alia eſſentia in Patre ſit, alia in filio, ſed Perſona Perſonæ: non quidem ratione relationis, ſed ratione eſſentiæ, quatenùs Perſona Filii eſt ſimilis, & imago Perſonæ Patris; quia nedùm eſt unum in eſſentia cum Patre, ſed eam accipit à Patre, ut ſit expreſſio eſſentiæ Patris. Quòd verò eſſentia eadem in Filio ſit ac in Patre, non obeſt ſimilitudini, dummodo Perſonæ, quæ dicuntur ſimiles ſint diſtinctæ, quamvis forma, in qua dicuntur ſimiles, ſit eadem in utraque: imò maximè dicentur ſimiles; quia cùm ſimilitudo fundetur ſuper unitate duorum in aliqua forma, quò majorem iſta unitatem habebit, eò majo-

Digitized by Google

majorem fundabit ſimilitudinem inter illa duo. *Quia* (ait D. Thom. opuſc. 1. cit. c. 10.) *ſimilitudo, & æqualitas Perſonarum divinarum non attenditur ſecundùm proprietates perſonales, ſed ſecundum attributa eſſentialia*.

Ad alterum, nego maj. Nam Filius ſic repræſentat Patrem, ut etiam à Patre dicatur, & procedat tanquam figura, & expreſſio ſubſtantiæ ejus; & ideò eſt imago ejus. At non procedit, nec dicitur à creaturis; unde non eſt imago illarum, ſed potiùs exemplar, ad cujus ſimilitudinem creaturæ producuntur.

§. III.

De nomine Sapientiæ.

XX. Dico tertiò. Nomen Sapientiæ non eſt nomen perſonale, nec proprium Filii, ſed ſolùm appropriatum. Prima pars eſt expreſſa S. Auguſtini *lib. 7. de Trin. cap. 2.* ubi ait. *Pater igitur, & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia. Sed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum; quia non ſimul ambo unus Filius:* ſed ſi nomen *ſapientia* eſſet nomen perſonale, Pater, & Filius non poſſent eſſe una ſapientia, ſicut nec poſſunt eſſe unum Verbum, & unus Filius; ergo &c. Rursùs: Auguſtinus dicit, quòd Pater, & Filius ſunt una ſapientia, ſicut ſunt una eſſentia, una magnitudo, una veritas: ſed hæc nomina ſunt eſſentialia, non perſonalia; ergo & nomen ſapientia.

Præterea: reddens rationem hujus, proſequitur: *Propterea non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantùm relativè ad eum, cujus Verbum eſt, ſicut Filius ad Patrem: ſapientia verò eo quo eſſentia. Et ideò, quia una eſſentia, una ſapientia:* atqui ſi ſapientia eſſet nomen perſonale, relativè diceretur, non ad ſe, nec eſſet una ſapientia, ſicut una eſſentia; ergo &c.

Hinc deducit S. Doctor, quòd quando ſapientiæ nomen ſupponitur pro Perſona Filii; non ſapientia abſolutè dici debet, ſed ſapientia nata, ſeu genita: *Quoniam verò* (inquit) *& Verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo ſapientia, Verbum enim relativè, ſapientia eſſentialiter intelligitur: id dici accipiamus, cùm dicitur Verbum, ac ſi dicatur,* nata ſapientia, *ut ſit, & Filius, & imago: Et hæc duo cum dicuntur, ideſt* nata ſapientia, *in uno eorum eo quòd eſt* nata, *& Verbum, & Imago, & Filius intelligatur; & in his omnibus nominibus non oſtendatur eſſentia; quia relativè dicuntur: at in altero, quod eſt* ſapientia, *quoniam & ad ſe dicitur, ſe ipſâ enim ſapiens eſt, etiam eſſentia demonſtretur, & hoc ejus eſſe, quod ſapere.* Quibus apertè conſtat, *ſapientia* nomen non abſolutè de Filio dici, ſed cum addito, nempè cum dicitur *nata, genita:* hâc enim ratione ſoli Filio non ſolùm appropriatè, ſed propriè congruit, nec aliud quàm nomen Filii, & Verbi exprimit.

XXI. Secunda verò pars probatur. Quia in Sacris Litteris ſapientia Filio Dei ſæpè appropriatur, non ſolùm quia ſæpe dicitur Filius Dei ſapientia concepta, Proverb. 8. v. 24. *nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.* Eccleſiaſtic. 24. v. 5. *ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam:* ſed etiam, quia nomen ſapientiæ abſolutè dicitur de Filio Dei: unde S. Paulus 1. *Cor.* 1. *v.* 24. vocat Chriſtum *Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Et meritò quidem. Illud enim nomen per appropriationem de Filio dicitur, quod licèt ſignificet rem tribus Perſonis communem, analogiam tamen habet cum modo peculiari, quo Filius à Patre procedit: atqui hujuſmodi eſt nomen *ſapientia:* Nam modus ſpecialis procedendi in Filio eſt procedere per intellectum. Sapientia autem vel eſt intellectus ipſe, vel ejus operatio, vel virtus; ergo &c.

XXII. Quæres, an Pater divinus dici poſſit ſapiens ſapientiâ genitâ?

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo negativè: aliàs Pater divinus conſtitueretur ſapiens per Filium, aut reciperet ſapientiam à Filio. Vel enim Filius eſſet forma, quâ Pater eſſet ſapiens, ſicut paternitate eſt Pater; vel Filius eſſet principium ſapientiæ in Patre, quod eſt abſurdum. *Si enim* (inquit S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 7.) *ſolus ibi Filius intelligit, & ſibi, & Patri, & Spiritui Sancto, ad illam reditur abſurditatem, ut Pater non ſit ſapiens de ſe ipſo, ſed de Filio, nec ſapientiâ ſapientiam genuerit, ſed eâ ſapientiâ Pater dicatur eſſe ſapiens, quam genuit . . . . . . profectò Filius Patrem ſapientem facit. Et ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, & ei illi eſſentia eſt quæ ſapientia, non Filius à Patre, quod verum eſt, ſed à Filio potiùs habet Pater eſſentiam, quod abſurdiſſimum, atque falſiſſimum eſt ..... eſt ergo Deus Pater ſapiens eâ quâ ipſe ſua eſt ſapientia, & Filius ſapientia Patris de ſapientia, quod eſt Pater, de quo genitus eſt Filius.* Videri poteſt quoque *lib. 7. de Trinit. cap.* 1. 2. & 3. ubi hanc rem fusè pertractat, & exponit, quomodo in Scripturis dicatur Filius ſapientia Dei, vel Patris, nimirùm: *Sapientia Filius de ſapientia Patre, ſicut lumen de lumine, & Deus de Deo.*

XXIII. Nec refert, ſi opponas primò S. Auguſt. *lib. 83. quæſt. qu.* 23. dicentem, quòd *ſapiens Deus dicitur . . . . quòd ipſe eam genuerit, quâ ſapiens dicitur, ſapientiam.*

Nam reſpondeo, hoc reverà S. Auguſtinum dixiſſe, ſed poſtea retractaſſe *lib. 1. retract. cap. 26.* dictum reformando juxta ea, quæ in libris de Trinitate docuerat. *De Patre, & Filio* (inquit) *ubi dixi, quòd eam ipſe genuerit, quâ ſapiens dicitur, ſapientiam: ſed meliùs iſtam quæſtionem in libro poſtea de Trinitate tractavimus.*

XXIV. Neque iterum opponas. Pater divinus dicit Verbo, ut docet Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. c.* 1. Cur ergo ſimiliter non erit ſapiens, ſeu intelligens Verbo; cùm juxta Anſelmum in Monolog. *cap.* 63. nihil aliud ſit dicere, quàm cogitando intueri?

Rursùs: ſi, ut docet D. Tho. 1. *par. qu. 37. art.* 2. Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, cur ſimiliter verum non erit, quòd Pater cognoſcat ſe Verbo, ſeu ſapientiâ genitâ?

XXV. Reſpondeo enim, verè dici Pater dicit Verbo, non autem Pater eſt ſapiens, ſive intelligit Verbo; quia dicere eſt nomen notionale ſignificans idem, ac loqui, & manifeſtare id, quod intelligitur: eſſe autem ſapientem, intelligentem ſunt nomina eſſentialia. Pater autem manifeſtat quidem, exprimitque ſe ipſum Verbo, at non eſt ſapiens, aut abſolutè intelligens Verbo, ac ſi Verbum ſit forma, quâ Pater, & Spiritus Sanctus ſapiunt, & intelligunt: ſed Pater eo ſapiens eſt, & intelligens, quo Deus eſt, & idem de Spiritu Sancto.

Hinc ad id, quod additur, reſpondeo ex D. Tho. *qu. 37. art.* 2. relato, quod diligere in divinis ſumitur dupliciter: *eſſentialiter ſcilicet, & notionaliter. Secundùm quod eſſentialiter ſumitur, ſic Pater & Filius non diligunt ſe Spiritu Sancto, ſed eſſentiâ ſuâ. Unde Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap.* 7. Quis audet dicere, Patrem nec ſe, nec Filium, nec Spiritum Sanctum diligere, niſi per Spiritum Sanctum? *Secundùm verò quod notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil aliud eſt, quàm ſpirare amorem; ſicut dicere eſt producere Verbum, & florere eſt producere flores: ſicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio ſe, & creaturam. Et Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente, & ſe, & nos.* In quantùm (ut obſervat ibi ad 3.) ſicut *Verbum genitum repræſentat ſufficienter Patrem & omnem creaturam*, quam Pater intelligit; ita *Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater amat ſe, & omnem creaturam.*

Hinc aſſignat ibi *ad* 1. diſcrimen inter eſſe ſapientem, vel intelligentem: *Quod eſſe ſapientem, vel intelligentem in*

Digitized by Google

in divinis non ſumitur, niſi eſſentialiter. Et ideò non poteſt dici, quòd Pater ſit ſapiens, vel intelligens Filio. Sed diligere ſumitur non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam notionaliter: Et ſecundùm hoc poſſumus dicere, quòd Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

DUBIUM II.

An Verbum Divinum procedat ex cognitione omnium, quæ in Deo ſunt, tàm formaliter, quàm virtualiter.

§. I.

Notantur Aliqua.

I. Cùm Verbum procedat per cognitionem Patris, aperitur quæſtioni locus, ex quorum cognitione Verbum procedat; ſeu quænam ſint, quæ cognoſcit Pater, dùm producit Verbum. Quia verò ea, de quibus controverſia eſſe poteſt, alia ſunt in Deo formaliter, & hæc ſunt omnia prædicata divina, eſſentia nimirùm, atributa, & relationes; alia ſunt in Deo ſolùm virtualiter, & hæc ſunt creaturæ omnes, tùm poſſibiles, tùm futuræ: ideo quærimus, an ex cognitione omnium horum procedat Verbum.

II. Rursùs: cognitio omnium prædictorum dupliciter poteſt concurrere ad productionem Verbi. Uno modo ſolùm concomitanter: ita ut licèt de facto concurrat, non tamen per ſe; quia non eſt principium per ſe in quarto modo requiſitum ad hoc, ut Verbum, quod modò eſt, procedat: ita ut ſi aliquorum ex dictis cognitio in Patre non eſſet, adhuc Verbum, quale eſt modò procederet. Sicut eſto, ut ignis comburat debeat eſſe corpus, ratio tamen corporis per ſe non influit in combuſtionem; quia ſi per impoſſibile ignis non eſſet corpus, dummodò haberet vim combuſtivam combureret. Alio modo per ſe in quarto modo, ita ut cognitio omnium prædictorum ſit principium influens in proceſſionem Verbi; ſic, ut ſi cognitio aliquorum in Patre non eſſet, Verbum non procederet, vel ſaltem eo modo non procederet, ut modò eſt.

Scotus opinatur, ad proceſſionem Verbi per ſe concurrere ſolam cognitionem divinæ eſſentiæ. Thomiſtæ autem, & alii aliter ſentiunt modo explicando.

§. II.

Aſſertio prima.

III. Dico primò. Verbum per ſe procedit ex cognitione non ſolius eſſentiæ, ſed ex cognitione attributorum, ex cognitione Patris, ſui ipſius, & Spiritus Sancti. Ita S. Thomas 1. par. qu. 34. art. 1. ad 3. dicens: *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ ejus ſcientiâ continentur, concipit Verbum; ut ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.* Idem repetit *qu. 37. art. 2. ad 3.* Quod aſſerit S. Thomas, ut probet, Verbo dici, tanquam rem in Verbo intellectam, convenire cuilibet Perſonæ, quia Pater intelligendo omnia, concipit Verbum.

IV. Probatur verò hac ratione. Verbum divinum per ſe procedere debet ex cognitione Patris, quæ ſit neceſſaria, perfectiſſima, infinita, comprehenſiva Deitatis: eſt enim Verbum infinitum, & comprehenſivè repræſentativum totius Deitatis; ergo debet per ſe procedere ex cognitione, quâ Pater cognoſcat omnia, quæ ſunt formaliter in Deo.

V. Reſpondet Scotus, antecedens verum eſſe, ſed falſum conſequens, imò ſuppoſitum conſequentis. Nam pro illo priori originis, quo Pater generat, non ſunt cognoſcibilia omnia divina, ſed ſola eſſentia; cùm ſola ipſa concipiatur eſſe pro illo priori, nondum autem cætera, maximè rela-

tio-

tiones: cognitio autem infinita, & comprehenſiva debet cognoſcere quidem omnia, ſed quæ pro ſigno cognitionis cognoſcibilia ſunt.

VI. Sed contrà. Probo enim, quòd pro illo priori adhuc ſint cognoſcibilia omnia præfata. Et primò attributa. Si enim cognoſcibilis eſt pro illo ſigno eſſentia divina, cognoſcibila erunt quoque attributa, quæ in illa neceſſariò radicantur; & cùm Pater ſuam eſſentiam comprehendat, illa de facto in ſua eſſentia cognoſcet: cùm enim divina eſſentia ſit totius entis plenitudo, non poterit comprehendi, niſi in illa, & ex vi illius omnis perfectio formaliter in ea contenta cognoſcatur.

VII. Secundò verò, quòd pro illo priori cognoſcibiles ſint etiam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter rationem allatam, evinco ſic. Pater æternus cognitione fæcundâ, quâ generat Verbum, cognoſcit perfectiſſimè ſe ipſum; & quia relativa ſunt ſimul cognitione, & Pater refertur ad Filium, oportet, ut eâdem fæcundâ cognitione cognoſcat ſe, & Filium. Rurſùs: quia Pater ſummè, & comprehenſivè cognoſcit ſe ipſum, conſequenter cognoſcere debet omnes imaginabiles perfectiones, quas pro illo priori in ſe habet, & communicat Filio: ſed inter iſtas enumeratur (præter omnia abſoluta) etiam virtus ſpirativa; ergo Pater generans Filium ſuâ cognitione cognoſcit, & comprehendit virtutem ſpirativam: ſed cognitâ comprehenſivè virtute ſpirativâ, cognoſci debet terminus ſpiratus, nempè ſpiritus; ergo pro eo ſigno omnia cognoſcibilia ſunt, & proinde cognitione productivâ Verbi cognoſcit Pater, & dicit ſeipſum, Filium, & Spiritum Sanctum.

VIII. Ex his apparet æquivocatio Scoti. Prioritas enim originis non eſt prioritas, in qua una Perſona ſit, vel intelligatur, & alia non ſit, vel non intelligatur: ſed eſt prioritas originis, quâ una perſona intelligitur producens, & alia ut ab ea procedens: ſeu potiùs utraque ſimul intelligitur; una ut à qua alia eſt, altera ut ab ipſa. Cùmque non poſſit intelligi principium ut tale, non intellecto termino procedente, ſeu unum, ut à quo eſt aliud, non intellecto illo alio quod eſt ab illo, ſic enim petit ordo originis: ſit, ut nequeat intelligi Pater ut principium originis, quin intelligantur termini, qui ab illo oriuntur, ſive procedunt.

IX. Dices primo pro Scoto. Verbum procedit à Patre ex cognitione eſſentiæ divinæ: ſed cognitio eſſentiæ divinæ prior eſt cognitione attributorum, & relationum; ergo &c. min. prob. cognitio priùs terminatur ad objectum primarium, quàm ad ſecundarium: ſed eſſentia eſt objectum primarium paternæ cognitionis, cætera autem divina ſunt objectum tantùm ſecundarium; ergo &c.

Reſpondeo, diſt. maj. ex cognitione eſſentiæ divinæ, quæ ſit comprehenſiva ejus, conc. maj. ex cognitione &c. quæ ſit præciſiva, nego maj. & diſt. eodem modo min. nego conſ. Dato ergo, attributa, & relationes eſſe objectum ſecundarium paternæ cognitionis (quod ſuperiùs opinati ſumus eſſe falſum) adhuc tamen debent attingi à cognitione paterna. Nam licèt cognitio præciſiva objecti primarii poſſit haberi abſque cognitione objecti ſecundarii; cognitio tamen comprehenſiva objecti primarii, qualis eſt cognitio Patris, cùm debeat cognoſcere objectum primarium totum, & totaliter, illudque quòad omnia penetrare, debet etiam cognoſcere objecta ſecundaria in ipſo incluſa.

X. Inſtabis. Eſto cognitio comprehenſiva objecti primarii ſit cognoſcitiva etiam objecti ſecundarii, quando objectum ſecundarium pro illo ſigno intelligi poteſt, ſecùs verò ſi pro ſigno, quo cognoſcitur objectum primarium, objectum ſecundarium nondum ſit cognoſcibile: ſed pro priori cognitionis paternæ nondum ſunt cogno-

gnoſcibiles Filius, & Spiritus Sanctus; ergo &c. Min. prob. Filius non poteſt intelligi pro priori ad ſuam generationem, nec Spiritus Sanctus pro priori ad ſuam proceſſionem; ergo pro priori, quo Pater intelligitur producere Verbum, nondum intelligitur Verbum, & Spiritus Sanctus.

Reſpondeo, ex dictis, negando min. nam prioritas illa non eſt prioritas *in quo*, ſeu intelligentiæ, ſed prioritas *à quo*, ſeu potiùs ordo originis. Non poteſt autem intelligi unum ut originans, quin ſimul intelligatur, & id, quod ab eo trahit originem, ut dicebamus.

Verùm ex abundantia, diſtinguo min. Non intelligitur Verbum, ut terminus exercitè productus, tranſeat min. ut objectum divinæ cognitionis, nego min. Dato ergo, quòd pro illo priori non intelligantur Filius, & Spiritus Sanctus in ratione termini exercitè terminantis productionem, intelliguntur tamen in ratione objecti cogniti; quia nequit intelligi comprehenſivè principium originis, quin intelligantur ea, quæ à tali principio oriuntur.

XI. Replicabis. Objectum cognitionis paternæ debet eſſe aliquid exercitè productum, & exiſtens, cùm ſit intuitiva; ergo ſi Verbum, & Spiritus Sanctus non intelliguntur exercitè &c. pro illo priori non poterunt eſſe objectum cognitionis paternæ.

Reſpondeo diſt. ant. aliquid exercitè productum per eam, conc. ant. pro priori ad eam, nego ant. Cùm enim cognitio paterna ſit productiva, & activa, non requirit, ut ejus objectum pro omni priori intelligatur exercitè exiſtens; ſed ſufficit, ut in toto inſtanti ſit exiſtens ut productum per illam. Sic Verbum, & Spiritus Sanctus, licèt non intelligantur exiſtentes pro priori cognitionis paternæ; intelliguntur tamen ut accipientes eſſe, Verbum per cognitionem, Spiritus Sanctus per ſpirationem, quæ in eodem inſtanti ſunt: & hoc, ut in Tractatu de Scientia Dei vidimus, ſufficit ad cognitionem intuitivam, quæ eſt ſui objecti factiva.

XII. Dices ſecundò. Verbum ex ejus cognitione procedit, cujus eſt imago; ſed non eſt imago Spiritus Sancti; ergo &c.

Reſpondeo neg. maj. Nam Verbum ſolùm eſt imago illius, à quo oritur, ut expreſſa ſimilitudo ejus in principio *quo*, ſeu forma intelligibili, quæ eſt ſola eſſentia, in qua Pater intendit primò aſſimilare Verbum, & quam primò intendit illi communicare: unde Verbum eſt imago ſolius Patris. At quia oritur à Patre per cognitionem comprehenſivam ſuæ eſſentiæ, ac ſui ipſius; ideò oritur ab ipſo, ut cognoſcente non ſolùm ſeipſum, ac ſuam eſſentiam, ſed omnia divina. Quare diſcernere oportet inter has duas propoſitiones: *Verbum procedit à ſolo Patre, ut expreſſio naturæ ipſius, ſeu figura ſubſtantiæ ejus*, ita ut ſola natura divina ſit forma, & principium *quo* Verbum exprimitur, & in quo Pater primò aſſimilat Verbum, & hoc verum eſt; & iſtam: *Verbum procedit ex cognitione ſolius Eſſentiæ*, ita ut ſola res intellecta cognitione paternâ ſit eſſentia: & hoc eſt falſum; quia Pater æternus producendo Verbum, non dicit ſolam eſſentiam in Verbo, ſed totam Trinitatem, quamvis non ſit totius Trinitatis imago, quia à tota Trinitate non oritur, ſed à ſolo Patre.

§. III.

Aſſertio ſecunda de cognitione poſſibilium.

XIII. Dico ſecundò. Verbum divinum per ſe procedit etiam ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium: ita ut, ſi ex harum cognitione non procederet, non eſſet Verbum infinitum, quod modò eſt. Ita D. Thomas locis laudatis docens, quòd *tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis crea-*

creatura. Præſertim verò eâdem *qu.* 34. *art.* 3. ubi quærens, an in nomine Verbi importetur reſpectus ad creaturam, reſolvit affirmativè. Primò auctoritate Auguſtini *lib.* 83. *quæſt. qu.* 63. dicentis: *In nomine Verbi ſignificatur non ſolùm reſpectus ad Patrem, ſed etiam ad illa, quæ per Verbum facta ſunt operativâ potentiâ*. Secundò hâc ratione: *Deus enim cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum eſt repræſentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis ſunt diverſa verba ſecundùm diverſa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu & ſe, & omnia intelligit, unicum Verbum ejus eſt expreſſivum, non ſolùm Patris, ſed etiam creaturarum. Et ſicut Dei ſcientia, Dei quidem eſt cognoſcitiva tantùm, creaturarum autem cognoſcitiva, & factiva: ita Verbum Dei, ejus, quod in Deo Patre eſt, eſt expreſſivum tantùm; creaturarum verò eſt expreſſivum, & operativum: & propter hoc dicitur in Pſalm.* 32. Ipſe dixit, & facta ſunt, *quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit*. Hæc D. Thomas.

Ex quibus diſcurro ſic. Verbum divinum procedit ut expreſſivum, non ſolùm eorum, quæ in Deo ſunt, ſed etiam creaturarum, ideſt non expreſſivum tantùm, ſed & factivum; ergo cognitio, per quam procedit, attingit non ſolùm ea, quæ in Deo ſunt, ſed etiam creaturas, quæ à Deo ſunt; ergo non eſt cognoſcitiva tantùm, ſed & factiva: nihil enim eſt in Verbo expreſſum, quod cognitione, quâ procedit, non fuerit cognitum.

XIV. Accedit ratio ſupra allata. Verbum divinum, utpotè infinitum, per ſe, & neceſſariò procedit ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, & omnipotentiæ: ita ut omnia, quæ in divina eſſentia, & ex vi illius cognoſcibilia ſunt, cognitione productivâ Verbi cognoſcantur; cùm ſicut eſt una in Deo cognitio omnium, ita ſit unum Verbum omnium: ſed ex vi comprehenſionis divinæ eſſentiæ debent neceſſariò cognoſci poſſibilia; ergo &c. Min. prob. Nequit comprehendi divina eſſentia, quin comprehendatur divina omnipotentia in ea incluſa. Nequit autem comprehendi divina omnipotentia, quin cognoſcantur omnes effectus in ipſa præcontenti, & ab ipſa cauſabiles: ſed creaturæ poſſibiles ſunt effectus præcontenti in divina omnipotentia, & ab ea cauſabiles; ergo ex vi comprehenſionis illius debent cognoſci. Videantur dicta *tract. de Scientia Dei qu.* 3. *dub.* 3. §. 1. & 2.

XV. Dices primò. Magis neceſſarium non procedit à minùs neceſſario: ſed Verbum divinum eſt magis neceſſarium, quàm ſint creaturæ poſſibiles; ergo non procedit ex cognitione earum.

Reſpondeo primò conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam: nam ſyllogiſmus eſt in quatuor terminis; cùm in concluſione ponatnr ly *ex cognitione poſſibilium*, quod non fuit poſitum in præmiſſis. Quarè ut benè argueretur, debebat concludi ſic: ergo Verbum divinum *non procedit ex poſſibilibus*: & ſic concluſio eſſet de fide, cùm Verbum divinum procedat à ſolo Patre; ſed non eſt contra nos, qui nunquam diximus, Verbum divinum procedere ex poſſibilibus, ſed ex cognitione eorum.

XVI. Reſpondeo ſecundò claritatis gratiâ, diſtingu. maj. ut à principio productivo, co. maj. ut ab objecto cognito, ſubdiſtinguo: ſi cognitio minùs neceſſarii ſit æqualis neceſſitatis cum cognitione magis neceſſarii, nego maj. Si ſit inæqualis neceſſitatis, conc. maj. Porrò, cùm cognitio divina poſſibilium ſit æqualis neceſſitatis, ac productio Verbi, aliàs non eſſet comprehenſiva; ideò neceſſariò, ut ſit productiva Verbi divini, & infinitæ repræſentationis, debet concludere quoque poſſibilia, neceſſitate, non ortâ ex poſſibilibus, ſed ex ipſa cognitione, quia divinâ, & comprehenſivâ.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Neque urgeas contrà primam reſponſionem. Verbum dicit reſpectum ad id, à quo procedit: ſi ergo importat reſpectum ad creaturas, ſequitur, quòd procedat à creaturis.

Nam ad hoc reſpondit D. Thom. cit. qu. 34. art. 3. ad 3. *Quòd creatura non cognoſcuntur à Deo per ſcientiam à creaturis acceptam, ſed per eſſentiam ſuam: unde non oportet, quòd à creaturis procedat Verbum, licèt Verbum ſit expreſſivum creaturarum.*

XVIII. Dices ſecundò. Ut comprehendatur ens penitùs abſolutum, non eſt neceſſe cognoſcere aliud ab ipſo diſtinctum: ſed omnipotentia eſt ens penitùs abſolutum; ergo ut comprehendatur, non eſt neceſſe cognoſcere poſſibilia ab ipſa diſtincta.

Reſpondeo, diſt. maj. ſi ſit abſolutum tam à dependentia, quàm à connexione, conc. maj. ſi ſit abſolutum quidem à dependentia, non verò à connexione neg. maj. & ſimiliter ad min. Omnipotentia enim eſto ſit ens abſolutum à dependentia, & ab omni reſpectu ad creaturas; non tamen eſt ens abſolutum, à continentia earum, & conſequenter à connexione cum earum poſſibilitate. Si enim omnipotentia eſt debet neceſſariò continere in ſe, & inferre omnes creaturas poſſibiles.

XIX. Contra. Adhuc, ſi nullæ eſſent creaturæ poſſibiles, eſſet omnipotentia, quæ modò eſt, & Verbum procederet, ſicut modò. Quis enim diceret, factâ impoſſibili vili creaturâ, omnipotentiam, & Verbum non fore ejuſdem perfectionis, ſicut modò ſunt?

Nego tamen antecedens, & ejus probationem. Neque hinc ullum ſequeretur abſurdum. Nam ſi vilis creatura fieret impoſſibilis, hoc eſſet, quia in omnipotentia defeciſſet intrinſeca virtus contentiva, & productiva illius, & Verbo vis intrinſeca repræſentativa illius: omnipotentia autem, & Verbum, cui aliquid intrinſecum defeciſſet, non eſſet omnipotentia, & Verbum, quæ modò ſunt.

XX. Neque inſtes. Ex hoc ſequi, omnipotentiam dependere à poſſibilibus, cùm non poſſit eſſe ſine illis.

Nego enim ſequelam. Nam unum relativum quatenùs tale nequit eſſe abſque ſuo correlativo: & tamen quatenùs tale non dependet ab illo, cùm ſit ſimul naturâ cum illo. Sequitur ergo ſolùm, omnipotentiam eſſe connexam cum poſſibilitate creaturarum, ſicut prius cum poſteriori, & cauſam cum poſſibilitate ſui effectus; quod ex parte omnipotentiæ nullam dependentiam dicit, ſed ſolùm ex parte creaturæ, quæ neceſſariò ab omnipotentia dependere debet. Sed de hoc jam locuti fuimus *in Tract. de ſcientia Dei* loco citato.

XXI. Dices Tertiò. Verbum divinum per ſe ſolùm procedit ex cognitione illius, quo formaliter conſtituitur Filius: ſed non conſtituitur Filius per poſſibilia, ſed per eſſentiam divinam; ergo &c.

Si dicas, Verbum divinum per ſe ſolùm quidem procedere ex cognitione eſſentiæ, quâ formaliter Filius eſt, ſed comprehenſivâ. Ex quo autem cognitio, quâ Verbum procedit, ſit comprehenſiva eſſentiæ divinæ, ſequitur, quòd debeat eſſe cognitio omnium, quæ in illa, & ex vi illius cognoſcibilia ſunt, & proinde etiam poſſibilium.

XXII. Inſtabis. Spiritus Sanctus, etſi procedat ex amore comprehenſivo divinæ eſſentiæ, adhuc non procedit ex amore poſſibilium; ergo etſi Verbum procedat ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, adhuc non procedet ex cognitione poſſibilium.

Reſpondetur, circa poſſibilia duplicem eſſe ſententiam, ut vidimus *tract. de divina Voluntate*. Unam, quæ ſtatuit creaturas poſſibiles eſſe amabiles, quam ſupra amplexi ſumus; & in hac ſententia negandum eſt antecedens. Alteram negantem, eas eſſe à Deo amabiles; & juxta hanc co. ant. neganda eſt conſequentia. Cùm enim creaturæ poſſibiles non ſint amabiles, non mi-

rum, ſi ex amore earum Spiritus Sanctus non procedat. At cùm creaturæ poſſibiles ſint cognoſcibiles, debet Verbum, ex quo procedat per cognitionem comprehenſivam, ex cognitione etiam illarum procedere.

§. IV.

Aſſertio tertia de Creaturis futuris.

XXIII. Dico tertiò. Verbum divinum per ſe non procedit ex cognitione futurorum. Probatur. Ex illius cognitione per ſe procedit Verbum, quod ſi auferretur, Verbum non eſſet ejuſdem perfectionis, quâ modò eſt: at ſi in Deo non fuiſſet cognitio futurorum quæ modò eſt, adhuc Verbum ejuſdem foret perfectionis, quâ modò eſt; ergo &c. Maj. patet. Illud enim dicitur principium per ſe in quarto modo, quod ita exigitur, ut, ſi non eſſet tale principium, nec etiam eſſet id, cujus principium eſt. Min. verò conſtat ex D. Anſelmo in monol. c. 30. nunc 32. dicente: *Sive igitur Deus cogitetur, nulla aliâ exiſtente creaturâ, ſive aliis exiſtentibus, neceſſarium eſt, Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.*

XXIV. Secundò probatur. Cognitio, ex qua Verbum per ſe, & neceſſariò procedit, eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, cujus objectum, vel Deus ſit, vel aliquid abſolutè connexum cum Deo: ſed cognitio futurorum eſt abſolutè libera, & futura non ſunt per ſe connexa cum Deo; potuit enim abſolutè Deus eſſe, etſi Antichriſtus, non eſſet futurus, & in tantùm hic eſt futurus, quia Deus liberè voluit, eum futurum eſſe; ergo &c.

Tertiò probatur. Id quod eſt prius, per ſe non procedit ab eo, quod eſt poſterius: ſed proceſſio Verbi prior eſt omni decreto libero circa futura, & conſequenter omni cognitione futurorum; ergo &c. Min. patet; quia id, à quo non valet conſequentia ad aliud, eſt prius illo ſubſiſtendi conſequentia: ſed non valet: eſt proceſſio Verbi; ergo eſt cognitio futurorum; ergo prior eſt &c.

XXV. Licèt autem Verbum abſolutè non procedat ex cognitione futurorum; ex ſuppoſitione tamen, quòd futura, quæ modò ſunt, fuerint ab æterno volita à Deo, & cognita, debet ea Verbum de facto repræſentare. Quia tamen hæc ſuppoſitio eſt omnino contingens, & ſupponens Verbum jam productum; ideò per ſe loquendo, nec Verbum procedit ex cognitione illorum, quia proceſſio Verbi, quæ ex omni parte eſt neceſſaria, non poteſt per ſe procedere ab eo, quod eſt abſolutè contingens, imò & poſterius ipſo; Nec Verbum debet per ſe abſolutè manifeſtare ea, ſine quibus abſolutè ſua manifeſtatio integra permaneret

XXVI. Ex dictis colligitur, omnia, quæ in hac parte de proceſſione Verbi dicta ſunt, applicari poſſe proceſſioni Spiritus Sancti. Sicut enim Verbum procedere diximus ex cognitione omnium, quæ formaliter in Deo ſunt, quia procedit ex cognitione comprehenſiva: ita Spiritus Sanctus, cùm procedat ex amore comprehenſivo, procedit ex amore omnium, quæ formaliter in Deo ſunt. An verò, ſicut Verbum procedit ex cognitione poſſibilium; ita Spiritus Sanctus procedat ex amore illorum: reſolutio, ut ſupra diximus, pendet ex quæſtione, an poſſibilia ſint amabilia. Si enim ponantur amabilia, ut nos ponimus, Spiritus Sanctus ex amore eorum procedet; ſi verò non ponantur, non procedet. Ex amore autem futurorum Spiritus Sanctus per ſe non procedit, ſicut nec Verbum (ut diximus), ex cognitione illorum per ſe procedit.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Perſona Spiritus Sancti.

TErtia Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis vocatur *Spiritus*, quia ſpiratur. Dicitur *Amor*, quia per amorem procedit. Dicitur etiam *Donum*. Tùm quia donum eſt proprium amoris, nam amando aliquem volumus ei bonum. Tùm quia amor eſt principium omnium donorum; dona enim aliquibus conferimus, quia eos diligimus. Licèt autem hæc nomina, *Spiritus*, *Amor*, *Donum* grammaticaliter non ſint nomina relativa, ut ſunt iſta *Pater*, *Filius*: ſecundùm tamen ſenſum Eccleſiæ pro relativo accipiuntur, in quantùm accommodantur ad ſignificandam Perſonam ab aliis ſpiratam, amorem, ſeu impulſum procedentem, & donum, ſeu datum quatenùs dicit relationem ad dantem. De hoc agit Sanctus Thomas 1. *par. qu.* 36. *art.* 1. *qu.* 37. *art.* 1. *qu.* 38. *art.* 1. ad quem Studioſum remitto. De Spiritus Sancti proceſſione, ejuſque principio agemus.

DUBIUM I.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio.

§. I.

Error Græcorum.

I. SPiritum Sanctum procedere à ſolo Patre celebris ac palmaris error fuit Græcorum, & quaſi character, quo à Latinis diſcernuntur.

Non conveniunt Hiſtorici, & Eruditi in aſſignando ejus primo auctore. Macedonio quidam illum aſſingunt, moti quâdam Epiſtolâ Juſtiniani Siciliæ Epiſcopi, ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, quæ legitur in Quinta Synodo Generali, ubi hæc ſunt verba: *Macedonius ſpirat à Patre ſolo Spiritum Sanctum*. Sed (ait Fraſſen *qu.* 1. *de Spiritu Sancto*) Quidam viri doctiſſimi pro Verbo *ſpirat* legendum putant *ſeparat*: idque valdè congruit errori Macedonii, qui cùm Spiritus Sancti divinitatem negaret, negabat pariter ejus cum Patre conſubſtantialitatem; adeòque illum à Patre divellebat, & ſeparabat. Cui & ego aſſentior. Nam, præterquam quòd, evoluenti mihi acta Quintæ Synodi, præfatam Juſtiniani, Epiſtolam reperire non contigit; nullus, qui de Macedonio, ejuſque erroribus ſcripſerit, unquam memoravit, eum ſenſiſſe, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere.

II. Alii propterea hujus erroris primum Auctorem faciunt Neſtorium, alterum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quem palmaris error de duabus in Chriſto Perſonis, cujus Auctor extitit, notiſſimum facit. Ita inter cæteros Cabaſutius in ſua *Notitia Conciliorum*. Ad hoc aſſerendum moventur, quia Theodoretus Neſtorianæ factionis homo, factus Cyri Epiſcopus circa annum 430. in confutatione duodecim Capitulorum, quæ Cyrillus Alexandrinus ediderat adversùs Neſtorium, impugnans nonum Capitulum, ſeu anathematiſmum, ubi Cyrillus dixerat: *Spiritum Sanctum proprium eſſe Filii:* reponit Theodoretus: *Proprium Spiritum Filii, ſi quidem ut ejuſdem natura à Patre procedentem dixit, ſimul & nos confitemur. Si verò tanquam ex Filio, vel per Filium ſuam habere exiſtentiam, & eſſentiam dicit, id eſſe blaſphemum, & impium dicimus.* Ita Theoderetus. Ex quibus ſic diſcurrunt. Theodoretus Neſtorianus erat, cum hæc ſcripſit: ſed docuit, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, & Cyrillum velut oppoſitum ſentientem damnat; ergo hoc ideò, quia Neſtorius ejus Magiſter ita eum docuerat. Sed malam eſſe hanc illationem nemo non videt. Nam Theodoretus, etſi tunc Neſtorianus in palmari ejus errore de duabus in Chriſto perſonis,

po-

tuit de ſuo errori errorem addere, negando proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, quamvis Neſtorius ejus Magiſter id non negarit. Cui omnes hiſtorici fidem facere videntur, qui recenſentes Neſtorii errores, de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre, nec verbum faciunt.

III. Probabilior ergo, & verior opinio eſt, primum, qui hunc errorem de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre, & non à Filio concepit, & peperit, fuiſſe Theodoretum ipſum, in Concilio Epheſino cum Neſtorio damnatum. Qui tamen paulò poſt reſipiſcens (ut ex litteris ejus ad Anatolium Patricium, ad Nomum Conſulem, ad Euſebium Ancyranum, & alios) ejuratâ priori ſententiâ, ſummo omnium plauſu in Concilio Chalcedonenſi Catholicus proclamatus fuit anno 451. & hęreſis de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre, ſopita remanſit.

IV. Quo verò tempore fuerit primò excitata non plenè conſtat. Volunt quidem, eam dormiiſſe uſque ad annum 675. quo tempore, neſciunt à quibus, fuit revocata in lucem, iterumque compreſſa in Concilio Anglicano anno 679. Sed abſque ſolido fundamento: illud enim Concilium fuit convocatum ad hæreſes Monothelitarum, & Eutichetis extirpandas, quibus Anglia tunc infeſtabatur, ſed non ad extirpandam eam, quæ negat Sancti Spiritus proceſſionem etiam à Filio. Verum quidem eſt, in confeſſione fidei aſſeri *Spiritum Sanctum procedentem ex Patre, & Filio*: ſed hoc non ideò, quia hæc veritas tunc ab aliquo negaretur. Nam etiam in eo editur confeſſio Trinitatis, & conſubſtantialitatis Filii, quæ tunc non impugnabatur. Mens ergo illius Concilii non fuit præter Eutichetis, & Monothelitarum alias hæreſes tunc graſſantes configere: ſed ſolùm veritates à quinque Conciliis Univerſalibus, & aliis orthodoxis Patribus ſtatutas ſuſcipere, & venerari, ut ex titulo præfati Concilii apparet.

V. Alii propterea ſuſpicantur, errorem hunc evigilaſſe anno 767. & colligunt ex Concilio Gentiliacenſi ſub Pippino Rege eodem anno celebrato; ubi (teſte Adone Viennenſi in Chronico) præter quæſtionem de Imaginibus fingendis, pingendiſve in Eccleſiis, agitata fuit quoque altera, utrum Spiritus Sanctus, ſicut procedit à Patre, ita etiam procedat à Filio: & hoc ideò, quia ſicut Latini exprobrabant Græcis, quòd, fautore Conſtantino Copronymo, Imagines deſpicerent: ita Græci improperabant Latinis, quòd ad Symbolum vocem *Filioque* adjeciſſent. Verùm, his errore Græcorum non adhuc extirpato, oportuit rem iterum tractari anno 809. ſub Carolo Magno in Synodo Aquiſgrani; ubi (eodem Adone referente) excitatâ Hieroſolymis à quodam Joanne Monacho controverſiâ de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, ſtatutum eſt, Legatos mittere Romam ad Leonem III. ad quem Carolus ipſe Epiſtolam, quâ ſua fides continebatur, direxit, ut *Tom. 4. Concil. Harduin. Col. 970. &c.*

VI. Hæc probabiliter dicuntur. Quamvis autem aliqui ſuſpicentur in pręfatis duobus Conciliis agitatam potiùs fuiſſe controverſiam de additione ad ſymbolum illius particulæ *Filioque* (quam Galli addiderant, Romani verò non) quàm de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio; ut ex collatione Romæ habitâ inter Legatos Caroli, & Papam videtur apparere. Probabilius tamen exiſtimo, in eiſdem præfatis Conciliis actum quoque fuiſſe de veritate proceſſionis Spiritus Sancti etiam à Filio, cujus oppoſitum jam pridem excitaverat (ſi Adoni credimus) quidam Joannes Monachus, & Carolus Magnus in ſua epiſtola ad Leonem III. non de additione particulæ *Filioque* tantùm, ſed magis de veritate proceſſionis Spiritus Sancti etiam à Filio diſertè agit. Et Conſtantinus Copronymus, ex quo ab Eccleſia Latina ob Imaginum contemtum damnatus

tus

Digitized by Google

tus fuit, nedùm de additione particulæ, ſed de ipſa proceſſione Spiritus Sancti à Filio litem excitaſſe credendus eſt.

VII. Quiſnam verò fuerit Joannes ille Monachus, qui (ſcribente Adone) Hieroſolymis errorem de Spiritus Sancti à ſolo Patre proceſſione excitavit, & Carolo Magno occaſionem dedit Concilium Aquiſgranenſe convocandi, & Romanam Eccleſiam conſulendi; Varii ſunt Eruditi in eo ſtatuendo. Pithæus, & Voſſius ſuſpicantur, fuiſſe Joannem Damaſcenum Sanctiſſimum illum, & eruditiſſimum Monachum, cujus opera pietatis, ac doctrinæ plena ſub oculis habemus: ab hac tamen notâ eum liberant multi, & noviſſimè noſter Pater le Quien in ſuis diſſertationibus Damaſcenicis *diſſert. 1. num. 16.* ubi oſtendit, Joannem Damaſcenum præfatorum tumultuum qui Hieroſolymis excitati fuerunt auctorem eſſe non potuiſſe, hâc præſertim ratione: Quia hæc omnia, quorum occaſione celebratum fuit Concilium Aquiſgranenſe, contigerunt annis 808. 809. & 810. ſub Leone III. poſtremis Caroli Magni temporibus: Joannes verò Damaſcenus obierat ante ſeptimam Synodum, quæ anno Chriſti 787. celebrata eſt, ſedente Hadriano Leonis III. Prędeceſſore. Quid autem ſenſerit Damaſcenus de proceſſione Spiritus Sancti, dicemus infra.

VIII. Porrò, etſi apud Græcos error iſte quovis tempore aliquem habuerit Patronum; ſolùm tamen apertè prodiit in publicum anno 863. auctore Photio. Is enim in odium Latinorum, eò quòd à Conſtantinopolitana Sede (quam invaſerat) per Nicolaum Papam dejectus eſſet, Ignatio legitimo Epiſcopo reſtituto, claſſicum pertinaci furore canere cæpit, datâ Epiſtolâ ad Orientis Patriarchas; quâ Latinorum dogma de Spiritus Sancti proceſſione etiam à Filio, & alia diſciplinæ capita acriter perſtringebat. Adeòque prævaluit in animis Græcorum furentis hominis perſuaſio, ut omnes ad ſe traxerit, tantâque pertinacia firmaverit; ut ex tunc omnes in neganda Spiritus Sancti proceſſione à Filio conſpiraverint: hocque velut publicam teſſeram habuerint, quâ à Latinis ſcinderentur, ac ſe diro Schiſmate ſepararent.

IX. Poſt Photii mortem pluriès concordia tentata, pluriès Latinos inter & Græcos de hac quæſtione conventum eſt, pluriès inita pax, & concordia: ſed totiès à Græcis violata, adeòque inconſtantes fuerunt; ut teſte Hoſio lib. de Sacerdot. Conjugio, & lib. de Commun. ſub utraque ſpecie; *Deciès, & quater ad Eccleſia gremium redierint, & totiès ſe abdicaverint.* Hoc maximè viſum eſt contigiſſe (omiſſis aliis) in Concilio Lugdunenſi anno 1274. ſub Gregorio X. ubi Græci, ejurato errore, in concordiam cum Latinis rediere, Michaele Paleologo ipſis imperante, ejuſque nomine Georgius Acropolita, & Magnus Logotheta Romanam fidem profeſſus eſt: & fides de Spiritus Sancti proceſſione à Patre, Filioque Conſtitutione Synodicâ his verbis ad perpetuam rei memoriam aſſerta eſt: *Fideli ac devotâ Profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus ſed unâ ſpiratione procedit.* Verùm non diù poſt, ad ſua reverſi tot turbas in Oriente excitarunt, ut Imperator ipſe ſuæ exauctorationis periculum timens, viſus ſit tumultuantibus patrocinio eſſe: quamvis reverà ad obitum uſque pro unione eum ſtetiſſe, adeò certum fuerit Græcis; ut mortui cadaver tanquam novatoris, & falſorum dogmatum propugnatoris, nullâ eccleſiaſticâ ſepulturâ nec Græci, nec Filius ejus Andronicus Imperii hęrès, cohoneſtare dignati ſint. Quare ſuſcepto Imperio, Fidei Romanæ, & Unionis, cui olim cum patre ſubſcripſerat, ſe apertum hoſtem profeſſus, Pſeudoſynodum Schiſmaticorum Prælatorum, & Monachorum convocavit, pulſo è Se-

de

de Conſtantinopolitana Joanne Vecco, & Georgio Cyprio intruſo: In qua Synodo Lugdunenſe Concilium confixum eſt, & Eccleſiarum conjunctio, & fides ibi ſtatuta, improbata, & penitùs reſciſſa eſt. De quo videri poteſt Leo Allatius *Lib. 2. de perpetua conſenſione cap. 15.*

X. Annus tandem 1439. viſus fuit huic obſtinato diſſidio optatum finem attuliſſe; cùm Joanne Paleologo Imperante multis diſputationibus habitis, tùm Ferrariæ, tùm Florentiæ (quò tranſlatum Concilium, Florentinum nuncupatum fuit) Græci tandem victas manus dedere, & in Latinorum ſententiam conceſſerunt. Die enim 6. Julii anni præfati, poſt ſolemne Sacrum ab Eugenio IV. Romano Pontifice celebratum, lecta definitio eſt, ipſo Imperatore, & Eccleſiæ utriuſque Epiſcopis, & Abbatibus præſentibus, approbantibus, & ſubſcribentibus; quâ hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credenda, & ſuſcipienda declaratur: *Quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unicâ ſpiratione procedit.* Secundò *explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc neceſſitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* His utriuſque Eccleſiæ conſenſu ſolemniter firmatis, perpetuam forè impoſterum cum Græcis pacem ſperabatur. Verùm in Orientem reduces, inſtigante maximè Marco Epheſio, qui ſolus ſubſcribere recuſaverat Florentinæ definitioni, res in pejus ruere cæperunt: donec tandem jurati fœderis obliti ad vomitum turpiſſimè reverſi, errores priſtinos reſumſere, in quibus continuarunt, & in præſens adhuc perſevèrant.

Oportuit hìc aliquantiſper immorari, ut noverit Studioſus, quanti hanc quæſtionem fecerit Eccleſia, & quantâ diligentiâ tractanda ſit, ut appareat, quàm fundatè Eccleſia Latina pro ea ſemper decertaverit, & quàm irrationabiliter Græca Eccleſia ei contradixerit, & adhuc contradicat.

§. II.

Spiritus Sancti à Patre, & Filio proceſſio ex Scripturis.

XI. Dico. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit. Hanc Catholicam veritatem docuit nos Chriſtus ipſe 1. Joann. 15. v. 26. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et cap. 16. v. 7. *ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero mittam eum ad vos.* Quibus verbis Chriſtus Filius Dei promittit, ſe miſſurum Spiritum Sanctum; ſed Perſona divina mitti non poteſt, niſi ab ea, à qua procedit: Cùm miſſiones divinarum Perſonarum, non ſecundùm imperium, aut conſilium, ſed ſecundùm emanationem, & originem accipiendæ ſint, ut ſuperiùs oſtendimus in præſenti Tractatu *qu. 4. dub. 3.* §. 5. Unde Pater, qui à nulla Perſona procedit, à nulla mittitur; ergo &c.

Hinc Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Ab illo itaque* (inquit) *mittitur, à quo emanat.* Et poſt multa ſubjungit: *ſed Pater, cùm ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet, de quo ſit, aut ex quo procedat.* Et rationem adſignat; quia *mitti* ab aliqua ex divinis Perſonis *eſt cognoſci, quòd ab illa procedat.*

XII. Novi, Græcos reſpondere, Scripturæ verba, quibus aſſeritur, Spiritum Sanctum à Filio mitti, intelligenda eſſe, non quidem de ipſa Spiritus Sancti Perſona; ſed de donis, quæ per quandam appropriationem tribuuntur Spiritui Sancto.

Sed hæc reſponſio violenta eſt. Primò. Nam Chriſtus dicit, ſe miſſurum Spiritum à Patre, & qui à Patre procedit; ſed Spiritus qui à Patre

venit,

venit, & procedit eſt Perſona, non ſola dona; ergo &c. aliàs Perſona Spiritus nec à Patre procederet. Secundò Spiritus, quem promittit Chriſtus, ab eo mittendus eſt, & venturus; *mittam eum ad vos: veniet ad vos:* ſed mittere, venire dicuntur de Perſona, nec niſi valdè impropriè dici poteſt de effectu: hic enim potiùs dari, & communicari dicitur; ergo &c.

XIII. Tertiò. Spiritum, quem ſe miſſurum pollicebatur, vocat Spiritum ſuum, *Spiritum veritatis*, ideſt Filii: quem Paulus, Gal. 4. v. 6. *miſit* (inquit) *Spiritum Filii ſui in corda veſtra*: quem Apoſtolis inſufflando dedit, Joann. 20. v. 22. *accipite Spiritum Sanctum*: ſed his omnibus ſignificari voluit, Perſonam Spiritus Sancti à ſe ipſo procedere; ergo &c. Min. prob. Si enim dùm Filius dicitur Verbum Patris ſignificatur, Verbum eſſe à Patre; cur dùm Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Veritatis, Spiritus Filii, non dicetur à Filio procedere? Rursùs: eundem Spiritum inſufflando dedit, quem poſtea in die Pentecoſtes miſit: ſed Spiritum Sanctum, non tantùm dona in die Pentecoſtes miſit; ergo &c. Præterea: Joann. 15. v. 26. ait: *Quem ego mittam vobis à Patre*. Et 14. v. 26. *quem mittet Pater in nomine meo:* Eum ergo ſignificat ſe mittere à Patre, quem mittit Pater: ſed Pater mittit, quia à ſe procedit; ergo & Chriſtus dicens, ſe Spiritum mittere, ſignificat, eum ſe mittere, quia à ſe procedit. Tandem, ſe miſſurum dicit Spiritum Sanctum, eo modo, quo antea non fuerat datus Joann. 7. v. 39. *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus:* ſed quantùm ad dona jam fuerat datus Prophetis, aliiſque viris Sanctis; ergo alio ſpecialiori modo ſignificabat, ſe poſt ſuam Aſcenſionem Spiritum daturum.

XIV. Omnia hæc ſumta ſunt ex S. Auguſtino lib. 4. de Trin. cap. 20. *Sicut* (inquit) *Spiritui Sancto donum Dei eſſe eſt à Patre procedere; ita mitti eſt cognoſci, quia ab illo procedat. Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus Sanctus, & à Filio non procedat: neque enim fruſtra idem Spiritus, & Patris, & Filii Spiritus dicitur. Nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflans in faciem diſcipulorum, ait:* Accipite Spiritum Sanctum. *Neque enim flatus ille corporeus... ſubſtantia Spiritus Sancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum Sanctum. Quis enim dementiſſimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum, quem ſufflans dedit; & alium, quem poſt Adſcenſionem ſuam miſit?... Quòd ergo ait Dominus:* Quem ego mittam vobis à Patre, *oſtendit Spiritum, & Patris, & Filii. Quia etiam cùm dixiſſet:* Quem mittet Pater, *addidit,* in nomine meo; *non tamen dixit:* Quem mittet Pater *à me: quemadmodum dixit:* Quem ego mittam vobis à Patre, *videlicet oſtendens, quòd totius divinitatis, vel ſi meliùs dicitur, Deitatis, principium Pater eſt. Qui ergo à Patre procedit, & Filio, ad eum refertur, à quo natus eſt Filius. Et quod dicit Evangeliſta:* Spiritus nondum erat datus &c. *quomodo intelligitur, niſi quia certa illa Spiritus Sancti datio, vel miſſio poſt clarificationem Chriſti futura erat, qualis numquam antea fuerat? Neque antea nulla erat, ſed talis non fuerat &c.* Ita Græcorum obſtruit ora Auguſtinus.

XV. Secundò probatur ex aliis Chriſti verbis *Joann. 16. v. 13. &c.* ubi de Spiritu Sancto ait primò. *Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet, loquetur...* Secundò. *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet....* Quâ autem ratione de ſuo accipiet, exponit ſic: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet.* Quaſi diceret: quia omnia, quæ habet Pater (exceptâ paternitate) mea ſunt, ideſt mihi communia; Ideò ſicut Pater Spiritum ſpirat, ita & ego: & ſicut accipit Spiritus de Patre, ideſt de ſubſtantia Patris; ita accipit à me, de meo, ideſt

de mea ſubſtantia : & ſicut audit à Patre ; ita audit à me. Cùm autem (ſic ajebat Joannes Theologus Provincialis Lombardiæ noſtri Ordinis in Concilio Florentino) id quod accipit à Filio Spiritus Sanctus, non ſit quid creatum, ſed ipſum æternaliter eſſe ; & audire à Filio ſit ipſum oriri, & emanare : ſi Spiritus Sanctus audit, & accipit à Patre, & Filio, ſignum eſt, quòd ab utroque procedit.

XVI. Neque eſt quòd dicant Græci, appoſitè Chriſtum non dixiſſe : *de me accipiet*, ſed *de meo*, hoc eſt *de meo Patre*.

Nam Chriſtus ipſe exponens ſeipſum ſubjunxit : *de meo accipiet ;* quia *quæcumque habet Pater mea ſunt* ; ergo ſi Spiritus Sanctus accipit de Patre ſubſtantiam, & eſſe, cùm quæcumque Pater habet (excepta paternitate) Filii ſint ; ſi Spiritus Sanctus de Patre accipit, & à Patre procedit, accipit quoque de Filio, & à Filio procedit. Hoc luculenter expreſſit Eugenius IV. in Litteris Unionis : *Quoniam* (inquit) *omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem ; hoc ipſum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt.* Quòd multò ante expreſſerat S. Auguſtinus *lib. 2.* (*al. 3.*) *contra Maximin. cap. 14.* ubi Maximino quærente. *Si de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus Sanctus, cur unus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce* (inquit) *reſpondeo, ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus Sanctus : ſed ille genitus, iſte procedens : ideò ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus, iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit. Sed ideò cùm de illo Filius loqueretur ait :* de Patre procedit : *quoniam Pater proceſſionis ejus eſt auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus Sanctus. Nam niſi procederet, & de ipſo, non diceret Diſcipulis,* accipite Spiritum Sanctum, *cumque inſufflando daret, ut à ſe quoque procedere ſignificans, apertè oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occultè... Amborum eſt ergo Spiritus, procedendo de ambobus.*

§. III.

Probatur ex Patribus Græcis.

XVII. SCripturæ accedunt teſtimonia Patrum : & primò quidem Græcorum veterum. Afferam primo D. Athanaſium, qui *Epiſt. 1. ad Serapionem num. 20. & 21.* Macedonianis oſtendit, quòd ſi Filius Dei, ut ipſi aſſerebant, res creata non eſt, neque res creata erit Spiritus Sanctus, qui ſicut Filius à Patre, ita & ipſe à Filio eſt. Poſtquam enim oſtendit, quòd Spiritus ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre eſſe conceditur, effulget, & ab eodem mittitur, & datur ; & hoc probavit eis Scripturæ textibus, quibus evincitur, quòd ſicut Filius à Patre, ita Spiritus à Filio mittitur : ſicut Filius Patrem, ita Spiritus honorat Filium : ſicut Filius ex Patre accipit, ita *Spiritus* ex Filio quoque accipit : & ſicut Filius in nomine Patris venit, ita Spiritus in nomine Filii à Patre mittitur ; concludit : *Cùm igitur eundem ordinem, eamdemque naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, quâ, quæſo, ratione is, qui Spiritum Sanctum rem creatam eſſe contendit, non idem neceſſariò de Filio ſentiet? Nam ſi Filii Spiritus res eſt creata, conſequens eſt, ut & Verbum Patris rem creatam eſſe fateamur.*

XVIII. Neque dicas cum Marco Epheſio in Concil. Florent. *ſeſs. 21.* D. Athanaſium hoc loco non explicare originem unius Perſonæ ab alia, ſed unitatem naturæ, & conſenſum voluntatis ; ac ſi diceret : ſi Spiritus Sanctus conjunctus eſt Filio, ſicut Filius Patri, naturâ ſcilicet, & voluntate, quâ concorditer omnia operantur ; quomodo res creata dicitur Spiritus Sanctus, & non dicetur Filius? Nam

Digitized by Google

Nam contra eſt. Athanaſius non ſolùm dicit, quòd eandem naturam habeat Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem, ſed inſuper *eundem ordinem*: atqui ordo inter divinas Perſonas, alius non eſt, niſi ordo originis; ergo intendit, quòd Spiritus habeat eundem ordinem originis erga Filium, qualem habet Filius erga Patrem; & quòd, ſicut Filius in eadem natura oritur à Patre, ita & Spiritus in eadem natura originem trahit à Filio. Alioquin, quid intererat hoc probare, ex eo quòd mittitur Spiritus à Filio, ſicut Filius à Patre, ſicut Filius accipit ex Patre, ità Spiritus accipit ex Filio; ſi ſolùm identitatem in natura, & non originem exponere Athanaſius intendiſſet? Rursùs: dicit Marcus. Quòd concordi voluntate Pater & Filius mittunt, & dant Spiritum Sanctum. Benè: ſed ego inſto. Vel loquitur Marcus de miſſione ad intra, vel de miſſione ſolùm ad extra. Si de miſſione ad intra; ergo Spiritus Sanctus emittitur, ſpiratur, & procedit ad intra in eadem natura concordi voluntate Patris, & Filii: & ſic habeo intentum. Vel loquitur de miſſione ad extra; ergo non benè concludit Athanaſius, Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem naturæ cum Filio, & Spiritum rem creatam eſſe non poſſe, ſi Filius res creata non ſit. Nam omnia, quæ ad extra procedunt, concordi voluntate Patris, & Filii procedunt; & tamen hæc creata ſunt, quin Filius res creata ſit.

XIX. Proferri ſolet quoque Athanaſii teſtimonium ex Symbolo ejus nomen præferente, in quo legimus: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

Reponunt tamen ferè omnes Recentiores Critici, etiam Latini, hoc Symbolum non eſſe Athanaſii, quorum momenta expendit, & probat Natalis Alexandre noſter *Secul.* 4. *Hiſt. cap.* 6. *art.* 8. Quia tamen Græci etiam Schiſmatici negare non audent Symbolum illum Athanaſii fœtum eſſe legitimum (quamvis ſummâ impudentiâ effutiant, tunc ebrium fuiſſe, cum Symbolum illud compoſuit) & inſuper quia Sanctus Thomas 2. 2. qu. 1. ad 3. illud Athanaſii eſſe ſupponit dicens, *quòd Athanaſius non compoſuit manifeſtationem fidei per modum Symboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ; ut ex ipſo modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem, ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi regula fidei habeatur.* Propterea pro mei Candidati inſtructione utriuſque partis, & affirmantis, & negantis fundamenta ſubjiciam.

XX. Athanaſio igitur Symbolum Traditio adjudicat. Omiſſo enim Divo Gregorio Nazianzeno, qui *Orat.* 21. quæ eſt in laudem S. Athanaſii ſcribit, eum ſcriptam fidei confeſſionem Joviniano Imperatori obtuliſſe; quia, an hæc ſcripta fidei confeſſio fuerit Symbolum, de quo agimus, meritò dubitari poteſt. Omiſſo etiam S. Auguſt. qui *lib.* 5. *de Trinitate cap.* 8. aliqua in Symbolo Athanaſiano contenta recitare videtur, quia Athanaſii ea verba eſſe non dicit; unde probabiliter judicari poteſt, ea eſſe Auguſtini propria. Omiſſo etiam Concilio Toletano IV. ann. 633. in cujus cap. 1. multa in Symbolo S. Athanaſii contenta recitantur: his, inquam, omiſſis.

XXI. Certius adfertur teſtimonium. Primò. Ex canone Auguſtodunenſi *ſeculo* 7. *anno* 670. ſub S. Leodegario, quo ſancitur: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Præſulis indefectibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Secundò ex Reginone, qui octavo ſæculo floruit *lib.* 1. *de Eccleſiaſt. diſciplina*, habetur: *Sermonem S. Athanaſii Epiſcopi de Fide S. Trinitatis, cujus initium eſt*: Quicumque vult ſalvus eſſe, *memoriter teneat*. Tertiò ex Aytone

Epiſcopo Baſileenſi *ſeculo 9. ann. 821.* in Capitularibus decernente, ut fides S. Athanaſii à ſacerdotibus diſcatur, & ex corde die Dominico ad Primam recitetur: qui mos in Eccleſiam univerſalem tranſiit, hodieque viget. Quartò. Eodem ſeculo Anonymus qui ſub Carolo Magno vixit, & Theodulphus *lib. teſtimonior. De Spiritu Sancto ad Carolum Magnum* à Sirmondo laudati idem teſtantur. Agobardus quoque cap. 3. eodem ſeculo ſic habet. *Beatus Athanaſius ait: fidem Catholicam niſi quis integram, inviolatamque ſervaverit abſque dubio in æternum peribit.* Anſcharius eodem ſeculo, ex Petro Lambecio in ejus vita, jam moriturus, canendam fratribus præcepit fidem Catholicam à B. Athanaſio compoſitam. Ratramnus Corbejenſis lib. 2. contra Græc. oppoſita: *Beatus* (inquit) *Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus .... in libello de fide, quem edidit, & omnibus Catholicis propoſuit tenendum, inter cætera ſic ait: Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus; Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, non genitus; ſed procedens.* Idem eodem ſeculo Æneas Pariſienſis *Lib. adverſus Græcos.* Hincmarus Remenſis, Ratherius Leodicenſis Epiſcopus, & Abbo Floriacenſis in Apolog. ad Francorum Reges Hugonem, & Robertum: *Alii* (inquit) *dicunt, ut arbitror, ſecundum Athanaſium: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, non creatus, ſed procedens.* Quibus conſtat, nono præcipuè ſeculo perſuaſum omnibus fuiſſe, Symbolum *Quicumque &c.* Athanaſii fœtum eſſe legitimum. Hoc idem ſeculo undecimo inter cæteros Otho Friſingenſis aſſeruit dicens: *Athanaſius manens in Eccleſia Trevirorum ſub Maximo ejus Eccleſiæ Epiſcopo:* Quicumque vult &c. *à quibuſdam dicitur ediſſe.* Addo pro hujus aſſerti teſtimonio, ab Uſſerio codicem ævo D. Gregorii Magni conſcriptum adferri; alium Colbertinum 900. annorum, & ultra; alium Sangermanenſem æqualis ætatis, cui titulus *Fides S. Athanaſii Epiſcopi Alexandriæ;* & alium qui Regis Æthelſtani anno 930. in Anglia regnantis aliquando fuit: ubi unà cum Symbolo Apoſtolorum *fides S. Athanaſii* (de qua agitur) exarata legitur. Hæc, præter alia, ſunt, quæ, ad judicandum, Symbolum *Quicumque* eſſe reverà Athanaſii præteritis ſeculis animos movebant.

XXII. Quæ verò Recentiores inducunt ad judicandum oppoſitum, ſunt. Nec Athanaſium, nec ullum Scriptorem ei coævum ejus Symboli meminiſſe. Imo S. Athanaſius *epiſt. ad Antiochenſes*, aſſerit, ſe alienum fuiſſe à condenda nova fidei formulà, cùm Nicæna ſufficeret. Secundò. Quia laudati Symboli ſtylus Græci hominis non eſt, ſed Latini. Tertiò. Quia in eo deſideratur vox *Conſubſtantialis*, pro qua adeò pugnavit Athanaſius. Quartò. Quia ab antiquiſſimis Athanaſii codicibus abeſt. Quintò. Quia non convenit, quo anno, & quo in loco illud Athanaſius conſcripſerit; cùm alii dicant Treveris illud exaraſſe, alii Romæ, alii alibi. Hæc ſunt præcipua Recentiorum Criticorum momenta, quibus adducuntur ut Symbolum præfatum D. Athanaſio eripiant. Interrogati poſtea, cujus Auctoris, & cujus ævi ſit fœtus, neſciunt pro certo affirmare. Quidam Euſebio Vercellenſi illum tribuunt, quidam Anaſtaſio Sinaitæ, quidam Anonymo Theologo Gallo Pippini, vel Caroli Magni temporibus, occaſione controverſiæ tunc ibi agitatæ (ut ſupra) de proceſſione Spiritus Sancti. In quam ſententiam concedunt Pithæus de *proceſſ. Spiritus Sancti*, & Voſſius *diſſert. de tribus Symbolis.* Alii Vigilium Tapſenſem in Africa Epiſcopum, qui ſub finem quinti ſeculi floruit, cui familiare fuit, ſæviente Wandalorum perſecutione in Africa, opuſcula ſub antiquorum Patrum nomine conſcribere, nomine Athanaſii Symbolum quoque ediſſe ſuſpicantur. Ita Queſnellius, cui Natalis

Alexandre ſeſe adjungit. Alii tandem Vincentium Lirinenſem auctorem fuiſſe putant. Sic factum eſt, ut hoc Symbolum, dùm Athanaſio parente illud ſpoliare contendunt, omni parente ſaltem certo ſpoliatum, veluti fœtus expoſitus ad Eccleſiæ fores, ab ea ſuſceptus ſit.

Hæc omnia hinc, inde propoſita prudens Lector æquâ lance ponderet, judicetque, an quæ recentiores pro eripiendo Athanaſio parenti Symbolo adferunt, prævalere debeant Traditioni, quæ præteritis ſeculis Athanaſio illud adjudicavit. Hac enim in causa auditor potiùs eſſe volo, quàm Judex. Ad rem præſentem revertor.

XXIII. Secundò. Affero teſtimonium Baſilii *lib. 3. contra Eunomium*, quod in Concilio Florentino contra Græcos egregiè Joannes noſter opponebat: *Quid enim* (inquit Baſilius) *neceſſe eſt, ſi dignitate, & ordine tertius eſt Spiritus, tertium ipſum eſſe naturâ? Nam dignitate ſecundum eſſe à Filio, ut qui ab illo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ex illa cauſa pendeat, pietatis ſermo tradit.* Reſpondebat Marcus Epheſius, codicem, quem allegabat Joannes falſatum eſſe. Sed infractè Joannes oſtendit illi oppoſitum ex codice antiquiſſimo; & potius Græcos ipſos codices ſuos interpolaſſe eradendo ex Baſilio verba, quæ proceſſionem Spiritus à Filio indicant, & alia intruſiſſe contendebat. Hunc eundem S. Baſilii textum profert contra Græcos Manuel Calecas natione Græcus Ordinis noſtri *lib. 1.* oſtendens, codices ante Schiſma conſcriptos ita exhibere.

XXIV. Tertiò. Affero S.Epiphanium *in Ancorato* tùm *num.* 8. tùm 67. ubi ait: *Jam verò cùm Chriſtus ex Patre credatur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſive ab ambobus: ut Chriſtus his verbis aſſerit*: Qui à Patre procedit; *&* hic de meo accipiet. Idem aſſerit *num.* 71. *&* 72. Hæreſi autem 62. quæ eſt Sabellianorum: *Non alienus* (inquit) *eſt à Patre, & Filio; ſed ex eadem ſubſtantia, ex eadem divinitate, ex Patre, & Filio ſubſiſtens ſemper Spiritus Sanctus.*

XXV. Quartò. Affero S. Cyrillum adeò apertè hanc veritatem teſtantem, ut Theodoretus ipſum oppugnans, contrarii dogmatis effectus ſit Caput, quod ſuperiùs obſervavimus. Nedùm enim *anathematiſmo* 9. ubi dixit, Spiritum eſſe proprium Filii, ſicut eſt Patris: ſed in reſponſione ad Orientalium objecta contrà Anathematiſmum 9. Spiritum Sanctum à Filio procedere expreſsè affirmans: *omnia* (inquit) *exiſtens quæcumque eſt Pater, excepto eo ſolo quod Pater eſt, & proprium habens, qui ex ipſo eſt, & ſubſtantialiter ineſt ei, Spiritum Sanctum, divina miracula faciebat.* Rursùs lib. 34. *Theſauri*, cui titulus: *ex ſubſtantia Patris & Filii eſſe Spiritum Sanctum*, hęc habet: *Cùm ergo Spiritus Sanctus in nobis exiſtens, conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre, & Filio &c.* Et infra: *Cum igitur legem fert Chriſtus, ſpiritus ipſe, utpote qui in ipſo, & ex ipſo naturaliter exiſtit, legem fert.* Idem docet lib. 10. comment. in Joann. lib. de recta fide. Et in epiſt. ad Neſtorium: *Spiritus* (inquit) *Profunditur autem ab ipſo, non minus profectò, quam ex Deo Patre.*

XXVI. Quintò. Affero S. Maximum Martyrem in tract. *de candelabro Zachariæ Prophetæ*, quem contra ſuos Græcos Joannes Veccus adducit. Ait ergo S. Maximus: *Nam Spiritus Sanctus, quemadmodum naturâ Dei eſt, ac Patris ſecundùm ſubſtantiam; ſic eſt Filii ſecundùm ſubſtantiam; tanquam qui ex Patre ſubſtantialiter per Filium genitum inexplicabili modo procedat.* Cum autem una divina Perſona non poſſit dici alterius, neque ut pars, ſeu membrum alterius, neque ut poſſeſſa ab illa, vel ſubdita illi, ut maximè in his corporalibus contingit, ſed ſolùm, quia ab illa eſt, ut à principio ſuæ originis, quâ ratione Filius dicitur eſſe Patris; ſequitur, quòd, ſi Spiritus Sanctus dicitur eſſe Patris, & Filii, quòd procedat à Patre,

tre, & Filio, ut à principio ſuæ originis. Nec enim Spiritus Sanctus poteſt dici Filii, quia præcisè ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum Filio. Nam, ſi vera eſſet hæc ratio, non minus Filius poſſet dici Spiritus Sancti, quàm Spiritus Sanctus Filii, quod eſt inauditum. Ita diſcurrunt Demetrius Cydonius in *lib. de Proceſſ. Spiritus Sancti*, & Manuel Calecas noſter *lib. 2. contra Græcos*.

XXVII. Iſtis addo, S. Maximum ſatis exprimere proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, dùm ait, quòd *ex Patre ſubſtantialiter per Filium genitum inexplicabili modo procedat*. Nam ut docet D. Tho. 1. par. qu. 36. art. 3. in corp. *Quia Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, quòd Pater per Filium ſpiret Spiritum Sanctum; vel quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium, quod idem eſt*. Unde Hilarius *lib. 12. de Trinit.* in fine relatus à D. Tho. ibi *in argum. ſed contra* ſic ait: *conſerva hanc, oro, fidei meæ Religionem, ut ſemper obtineam Patrem, ſcilicèt te & Filium tuum unà tecum adorem, & Spiritum Sanctum tuum, qui eſt ex te per unigenitum tuum, promerear*.

Pro hujus pleniori intelligentia obſervo duo. Primum. Quòd cùm dicimus Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, præpoſitio *per* ſignificat cauſam, ſeu principium rei productæ, non autem producentis, ſeu actionis ejus: ut ſenſus ſit, Spiritum Sanctum procedere à Patre mediante Filio: non autem, quod Filius ſit Patri cauſa, vel ratio, cur ſpiret Spiritum Sanctum. Secundum. Quòd Spiritus Sanctus non procedat per Filium tanquam per inſtrumentum, aut miniſtrum, aut cauſam adjuvantem, ſed tanquam per ſuppoſitum, quod origine medium eſt inter Patrem, & Spiritum Sanctum; quodque à Patre procedendo, accipit, quòd etiam ab eo procedat Spiritus Sanctus, quia eandem virtutem accipit, quam habet Pater.

Abſtineo à proferendo Latinorum Patrum teſtimonio: poſſem enim hujus Catholicæ Veritatis teſtes omnes producere, ut Ambroſ. *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. Aug. tract. 99. in Joann. & in libris de Trin.* ex quibus aliqua decerpſi ſuperiùs. Hilarium *lib. 2. de Trinit.* Gregor. *lib. 2. dialog. cap. ult.* Leonem I. *epiſt. 63. lib. 1.* Fulgentium *lib. de fide ad Petrum cap. 1.* & alios. Verùm cum Latinos Patres proceſſionem Spiritus Sancti etiam à Filio credidiſſe adeò exploratum ſit, ut nec Græci ipſi negare auſi unquam fuerint; propterea ſupervacaneum foret in hoc immorari.

§. IV.

Probatur ex Conciliis.

XXVIII. HUjuſmodi veritas fuit in pluribus Latinis Conciliis definita. Sub Anaſtaſio Papa anno 400. celebratum eſt Concilium Toletanum primum, in cujus fidei confeſſ. dicitur: *credimus, Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe nec Filius, ſed à Patre, Filioque procedens* (hæc tamen fidei confeſſio alteri Synodi Toletanæ mediæ inter primam, & ſecundam ab aliquibus tribuitur) Secundò. Concilium Toletanum III. ſub Pelagio II. anno 589. canon. 3. *Quicumque* (inquit) *Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit à Patre, & Filio procedere . . . . anathema ſit*. Idem definitum fuit in Concilio Toletano IV. *anno* 633. *Cap.* 1. In 8. *anno* 653. *cap.* 1. & in 11. *anno* 675. ubi in confeſſione fidei dicitur: *Spiritum quoque Sanctum . . . . unum atque æqualem cum Deo Patre, & Filio credimus eſſe Deum . . . . ſed ab utriſque procedentem, amborum eſſe Spiritum*. Quæ omnia Concilia ante ſextam Synodum Generalem ſeu Conſtantinopolitanam tertiam, videlicet ante annum 680. celebrata fuere. Anno 767. celebratum fuit Concilium Gentiliacenſe. Circa ann. 809. Aquiſgranenſe. Quibus proceſſio Spiritus Sancti à Filio ſtatuta eſt, ut diximus. Et hæc ante Schiſma Photii contigerunt.

Poſt

Poſt Schiſma verò, nimirùm poſt annum 853. celebratum fuit Concilium Barenſe *anno* 1097 ex Græcis, & Latinis coactum, cui S. Anſelmus interfuit, & in eo primas partes habuit. Anno 1215. habitum fuit Concilium Generale Lateranenſe IV. ſub Innoc. III. præſentibus Græcis, ut conſtat *c.* 4. Anno 1274. Lugdunenſe Generale ſub Gregorio X. & tandem anno 1438. congregatum fuit Florentinum itidem Generale, in quo ſicut, & in præcedente, præſentibus, & conſentientibus Græcis, proceſſio Spiritus Sancti etiam à Filio definita eſt. Ut ſupra §. 1. oſtendimus.

§. V.

Probatur rationibus Theologicis.

XXIX. HUic Catholico dogmati confirmando theologicæ rationes Florentinis Patribus non defuere, magna in parte ex D. Thoma depromtæ. Prima autem talis erat. Spiritus Sanctus, procedit à Patre; ergo etiam à Filio. Conſequentiam probat D. Thomas in 4. Contrag. cap. 25. *Propter unitatem eſſentiæ, quod in Scripturis de una Perſona dicitur, & de alia oportet intelligi, niſi repugnet proprietati perſonali ipſius:* ſed in Scripturis de Patre dicitur, quod producat, & ſpiret Spiritum Sanctum, & ſpirare non repugnat proprietati perſonali Filii; ergo ſi Pater ſpirat, ſpirat quoque Filius.

Hac ratione evertitur principale fundamentum Græcorum. Dicunt enim, non eſſe de Deo ſentiendum, niſi quod Scriptura tradit; cùmque in Scriptura Chriſtus loquens de proceſſione Spiritus Sancti dicat, eum procedere à Patre, Joann 15. v. 26. *Qui à Patre procedit*, non dicat autem, procedere à ſe ipſo; non eſt ſentiendum, Spiritum Sanctum procedere à Filio.

XXX. Hoc enim præocupavit, & deſtruxit D. Thomas laudatus dicens: *Id quod in Scripturis de una perſona dicitur, & de alia oportet intelligi, niſi repugnet proprietati perſonali ipſius.* Imò loco citato, & 1. *part. qu.* 36. *art.* 2. *ad* 1. addit: *etiamſi dictio excluſiva adderetur. Licèt enim dicatur Matth.* 11. *v.* 27. Nemo novit Filium, niſi Pater: *non tamen à cognitione Filii, vel ipſe Filius, vel Spiritus Sanctus excluditur. Unde etiamſi diceretur in Evangelio, quod* Spiritus Sanctus non procedit, niſi à Patre, *non per hoc removeretur, quin procederet à Filio, cùm hoc proprietati Filii non repugnet.*

Nec eſt mirum (proſequitur D. Thom. loco citato ex 4. Contrag.) *ſi Dominus, Spiritum Sanctum à Patre procedere dixit, de ſe mentione non factâ; quia omnia ad Patrem referre ſolet, à quo habet quidquid habet: ſicut cùm dicit.* Joann. 7. v. 16. mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris: *& multa hujuſmodi in verbis Domini inveniuntur ad commendandam in Patre auctoritatem principii. Nec tamen in auctoritate præmiſſa omnino obticuit, ſe eſſe Spiritus Sancti principium, cum dixit eum Spiritum veritatis, ſe autem priùs dixerat veritatem.* Hæc D. Thomas, quæ repetit laudato loco *ex* 1. *par. qu.* 36. *art.* 2. *ad* 1.

XXXI. Totum hoc expreſſerat Sanctus Auguſtinus *tract.* 99. *in Joannem* his verbis: *Si ergo & de Patre, & de Filio procedit Spiritus Sanctus; cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, niſi quemadmodum ad eum ſolet referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Unde eſt illud, quod ait,* mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui me miſit. *Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; quantò, magis illic intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus Sanctus, ubi ſic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit? A quo autem habet Filius, ut ſit Deus (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut de Filio procedit, ab ipſo ha-*

bet Patre, & paucis interjectis: *Neque enim* (inquit) *poſſumus dicere, quòd non ſit vita Spiritus Sanctus, cùm vita Pater, vita ſit Filius. Ac per hoc, ſicut Pater cùm habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; ſic ei dedit, vitam procedere de illo, ſicut procedit & de ipſo....* Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.

XXXII. Secunda ratio ex eodem S. Thoma 1. par. qu. 36. art. 2. talis eſt. Spiritus Sanctus realiter diſtinguitur à Filio, ut Perſona ab illo diſtinctâ; ergo realiter procedit ab illo: cùm inter divinas Perſonas tota ratio diſtinctionis realis ſit relativa oppoſitio: tota autem ratio, & fundamentum relativæ oppoſitionis inter illas eſt proceſſio, & origo unius ab alia. Hanc rationem fusè expendit S. Doct. *in* 4. *Contragent. cap.* 24. Verùm quia ejus efficacia impugnatur à Scoto, volente, quòd Spiritus Sanctus adhuc diſtingueretur realiter à Filio, etiamſi ab illo realiter non procederet: ideò ad ſequens Dubium examinanda remittitur.

XXXIII. Alias rationes, ſive dixeris congruentias, loco ſupra relato *ex* 1. *par. quæſtione* 36. *articulo* 2. affert S. Thomas, quarum prima eſt. Filius procedit, ut Verbum per modum intellectus, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis, ut amor: ſed amor procedit à Verbo, non enim amamus, niſi ſecundùm quòd conceptione mentis rem apprehendimus; ergo amor divinus procedit à Patre, ut intelligente per Verbum; ergo à Patre ſimul, & Verbo. Hanc eandem rationem producit 4. *contrag. cap.* 24. citato.

XXXIV. Secunda eſt. Quando ab uno procedunt plura non ſolâ materiali diſtinctione, ſed formali, diſtincta, debent ab illo procedere cum ordine inter ſe: ſed ab una Perſona Patris procedunt duæ Perſonæ ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus, quæ non ſolâ materiali diſtinctione, ſed formali, invicem diſtinguuntur; ergo oportet inter eas dari aliquem ordinem: Atqui nullus alius ordo inter illas poteſt aſſignari, niſi ordo originis, quo unus ex alio eſt, neque poteſt dici, quòd Filius ſit à Spiritu Sancto; ergo dici debet, quòd Spiritus Sanctus ſit à Filio. Majorem explicat D. Thomas, ſic. *Nuſquam hoc invenimus, quòd ab uno procedant plura abſque ordine, niſi in illis ſolùm, quæ materialiter differunt. Sicut unus faber producit multos cultellos materialiter ab invicem diſtinctos, nullum ordinem habentes ad invicem. Sed in rebus in quibus* non eſt ſola materialis diſtinctio, ſemper invenitur in multitudine productorum aliquis ordo. *Viventia enim* (ait 4. *contrag. cap.* 24. citato) *ſunt ſupra non viventia, & animalia ſupra plantas, & homo ſuper alia animalia, cùm in ſingulis horum diverſi gradus inveniantur ſecundùm diverſas ſpecies. Unde & Plato ſpecies rerum, dixit eſſe numeros, qui ſpecie variantur per additionem, vel ſubtractionem unitatis.*

Hunc ordinem inter divinas Perſonas adeſſe vel Græci confitentur, ut ait D. Thomas 1. par. qu. 36. art. 2. *Unde* (inquit) *etiam ipſi Græci proceſſionem Spiritu Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum Sanctum eſſe Spiritum Filii, & eſſe à Patre per Filium.* Et *quidam eorum dicuntur concedere, quòd ſit à Filio, vel profluat ab eo, non tamen quòd procedat: quod videtur vel ex ignorantia, vel ex protervia eſſe. Quia ſi quis rectè conſideret, inveniet, proceſſionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcumque pertinet, communiſſimum eſſe. Utimur enim eo ad deſignandum qualemcumque originem; ſicut quòd linea procedit à puncto, radius à Sole, rivus à fonte. Et ſimiliter in quibuſcumque aliis.*

XXXV. Tertia ratio ſumitur ex 4. *contrag. cap.* 24. citato ſic. Quidquid non eſt contra rationem alicujus,

non

non eſt impoſſibile ei convenire, niſi fortè per accidens: ſed eſſe principium Spiritus Sancti non eſt contra rationem Filii; ergo non eſt impoſſibile, ut Filio conveniat eſſe principium Spiritus Sancti: ſed quod non eſt impoſſibile poteſt eſſe, quod autem poteſt eſſe, in Deo de facto eſt, quia in divinis non differunt eſſe, & poſſe; ergo de facto Filius eſt principium Spiritus Sancti. Min. principalis probatur à D. Thoma. *Eſſe principium Spiritus Sancti non eſt contra rationem Filii, neque in quantùm eſt Deus; quia Pater, qui eſt Deus, eſt principium Spiritus Sancti. Neque in quantùm eſt Filius; eò quòd alia eſt proceſſio Spiritus Sancti, alia Filii: non eſt autem repugnans, id, quod eſt à principio ſecundùm unam proceſſionem, eſſe principium proceſſionis alterius*; ergo &c.

§. VI.

Græcorum rationibus reſpondetur.

XXXVI. Quod Græci objiciunt ex Scriptura dilutum eſt §. præcedente num. 31. ex D. Thoma, & S. Auguſtino, & oſtenſum, ex eo quòd Spiritus Sanctus dicatur procedere à Patre, ſequi quòd procedat etiam à Filio, quia quæcumque habet Pater, habet & Filius, unicâ exceptâ Paternitate. Pro quibus iterum adduco teſtem S. Auguſtinum qui lib. 15. de Trinitate cap. 17. *Non fruſtra* (inquit) *in hac Trinitate non dicitur .... de quo genitum eſt Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus Sanctus, niſi Deus Pater. Ideò autem addidi*, principaliter, *quia & de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam exiſtenti, & nondum habenti; ſed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus Sanctus ſpiritus eſſet amborum.*

XXXVII. Primò ergo opponunt Theodoretum, qui in confutatione anathematiſmi noni, quem Cyrillus, intorſerat in Neſtorium, carpit hoc Cyrilli dictum: *Proprium eſſe Filii Spiritum*, & apertè negat *Spiritum Sanctum ex Filio, aut per Filium extantiam habere.*

Reſpondeo, Theodoreti hac in re auctoritatem nihili eſſe faciendam. Nimiùm enim partibus Neſtorii addictus, & contra Cyrillum plus æquo accenſus, non eſt mirum, quòd in Cyrillo damnaverit, quod Neſtoriano dogmati opponi judicavit. Quapropter ab aliorum doctrina Græcorum recedens, primus proceſſionem Spiritus Sancti à Filio negavit, ut §. 1. oſtendimus. Quo factum eſt, ut utraque Eccleſia Catholica, Latina, & Græca in 5. & 6. Synodo Generali Theodoreti ſcripta adversùs Cyrillum damnaverit.

XXXVIII. At dices. In Concilio Epheſino publicè lectum fuit Symbolum Neſtorii, in quo expreſsè de Spiritu Sancto dicebatur: *ſed nec Filium illum putamus, nec per Filium ſubſtantiam ſortitum*. Recitata quoque fuit Theodoreti confutatio noni Anathematiſmi Cyrilliani, quâ velut impiam damnabat propoſitionem aſſerentem Spiritum Sanctum *ex Filio*, aut *per Filium* exiſtentiam habere. At illius Concilii Patres non leguntur contradixiſſe, imò nec Cyrillus ipſe, cujus doctrina damnabatur; ergo ea videntur approbaſſe.

Reſpondeo primò, quòd ſi hæc inſtantia vires habet, evincit etiam plus, quàm Græci velint. Nam ipſi ſive ante Concilium Florentinum, ſive in ipſo Concilio, & nunc etiam contendunt, Spiritum Sanctum à Patre *per Filium* procedere. Cùm ergo hoc, ſive à Symbolo Neſtoriano, ſive à Theodoreto negetur, & blaſphemum judicetur, non minus ac dicere, eum procedere ex Filio, nec Concilii Patres contradixerint; ſequitur, etiam Græcos aſſerentes, Spiritum per Filium procedere, fuiſſe damnatos.

XXXIX. Reſpondeo ſecundò, negando min. Nam eo ipſo, quòd Epheſini Patres admiſerunt tanquam Catholicam Epiſtolam à Cyrillo, & Alexandrina Synodo ſcriptam, in qua cap. 10. apertè aſſeritur, quòd Spiritus Sanctus: *quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veritas eſt, & proinde quoque ab illo, atque & à Deo Patre procedit*; cenſendi ſunt Symbolo Neſtoriano contradixiſſe. Falſum quoque eſt, quòd Cyrillus confutationi Theodoreti non contradixerit. Oppoſitum enim conſtat ex reſponſione ad Orientalium objectiones contra anathematiſmum nonum. In ea enim apertè Cyrillus aſſerit, Filium omnia cum Patre habere communia, præter paternitatem: *Etſi* (inquit) *Unigenitum Dei Verbum homo factum eſt, manſit tamen Deus, omnia exiſtens quæcumque eſt Pater, excepto ſolo, quòd Pater eſt.* Et rursùs: *proprium habens, qui ex ipſo eſt, & ſubſtantialiter ineſt ei, Spiritum Sanctum, divina miracula faciebat.*

XL. Reſpondeo tertiò, Synodi Epheſinæ Patres palmaris Neſtoriani erroris damnationi unicè intentos damnaſſe quidem Symbolum à Cariſio illis præſentatum, quoad ea, quæ Neſtorianum errorem exhibebant, ut conſtat actione 6. Concilii. Verùm ne novas controverſias in Eccleſia excitarent, alia, quæ non ſatis cautè Neſtorius pronunciaverat, prudenter diſſimularunt; eò vel maximè, quòd in ſanum ſenſum poſſent trahi, ſcilicet Spiritum Sanctum exiſtentiam per Filium non habere, tanquam Filio extraneum, factum, & creatum, eo modo quo omnes creaturæ per Filium factæ dicuntur. Eâdem quoque ratione in controverſia exorta inter Cyrilli anathematiſmum nonum, & Theodoretum nihil definire voluerunt. Quod tamen Epheſini Patres non fecerunt, in quinta, & ſexta Synodo impletum fuit, in quibus Theodoreti ſcripta adverſus Cyrillum damnata fuerunt.

XLI. Secundò objiciunt S. Jo. Damaſcenum, qui octavo ſeculo imperante Leone Iſaurico floruit. Is enim apertè aſſerit, Eccleſiam Græcam non dicere, quòd Spiritus Sanctus ſit ex Filio. *Lib. 1. de fide orthod. cap.* 8. ubi de Spiritu Sancto: *At verò* (inquit) *eum ex Filio eſſe non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus*. Et cap. 12. Spiritus Sanctus, ait, *ex Patre per Filium procedens*. Et poſt multa ſubjungit: *Quin Filii quoque Spiritus dicitur, non velut ex ipſo, ſed per ipſum ex Patre procedens. Solus enim Pater auctor eſt*. Et apertiùs homil. *de Sabbato Sancto* hæc habet: *Spiritum Sanctum colimus, tanquam Dei, & Patris Spiritum, ex ipſo nempè procedentem, qui tamen etiam Filii dicitur, quod per ipſum manifeſtatus, rebuſque conditis impertitus; non autem ex ipſo habens ut exiſtat*. Quibus videtur aſſerere, Spiritum Sanctum manifeſtari quidem exteriùs per Filium, at nihil habere à Filio, ut ſit, ſeu ut ad intra procedat.

XLII. Circa Damaſceni mentem in hac quæſtione, non una fuit Doctorum opinio. Quidam illum reiiciunt inter Græcos, qui negarunt, Spiritum Sanctum procedere à Filio, quibus adhærere viſus eſt D. Thomas 1. *par. qu.* 36. *art.* 2, *ad* 3. ubi objectâ ſibi auctoritate Damaſceni, ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd Spiritum Sanctum non procedere à Filio primò fuit à Neſtorianis introductum, ut patet in quodam Symbolo Neſtoriano damnato in Epheſina Synodo* (de quo nuper) *& hunc errorem ſequutus fuit Theodoritus Neſtorianus, & plures poſt ipſum. Inter quos fuit etiam Damaſcenus. Unde ejus ſententiæ non eſt ſtandum*. Verùm quia ſtatim ſubjungit D. Thomas: *Quamvis à quibuſdam dicatur, quòd Damaſcenus, ſicut non confitetur, Spiritum Sanctum eſſe à Filio: ita etiam non negat ex vi illorum verborum*.

XLIII. Ideò huic benigniori interpretationi cum Recentioribus ferè omnibus me ſubſcribens, reſpondeo, Damaſcenum, dùm ait, Spiritum Sanctum non eſſe ex Filio, ſed per Filium,

Filium, non eſſe auctorem, & principium Spiritus Sancti; non velle, quòd Spiritus Sanctus nullum ordinem dicat ad Filium, imò eum expreſsè admittit dùm dicit, eum eſſe *per Filium*, & *Spiritum Filii*: ſed indicare ſolum voluit, Filium non eſſe primum auctorem, principium, & fontem originis Spiritus Sancti, eo modo, quo Pater, qui virtute à ſe, non ab alio acceptâ, producit Spiritum Sanctum; cùm Filius, etſi principium ſit originis Spiritus Sancti, non tamen ſit fontale, & primum, ſicut Pater, ſed quaſi medium, nempè vi ſpirativa habita, non à ſe, ſed acceptâ à Patre. Hanc autem veritatem Damaſcenus, aliique Græci Orthodoxi, exiſtimarunt, meliùs explicari dicendo, Spiritum Sanctum non eſſe ex Filio, ſed ex Patre per Filium, ne, dicentes eum eſſe ex Patre, & ex Filio, viderentur cum Arianis Spiritus Sancti productionem in Filium præſertim refundere potiùs, quàm in Patrem: Vel ne ſpeciali quâdam virtute à Patre non acceptâ, & actione à Paterna diſtinctâ putaretur Spiritum Sanctum à Filio produci; & ſic ne crederetur, aut Patrem ad eam non concurrere productionem, vel diverſa virtute concurrere; ſicque Patrem & Filium eſſe duo principia, duas virtutes habentia, & proinde duas naturas. Quam ſuſpicionem evitabant dicentes, procedere à Patre per Filium; ſic enim explicabant, & originem Spiritus à Filio per ly *per*, & originem Filii à Patre, ſeu Spiritum non oriri à Filio niſi virtute acceptâ à Patre. Quòd hæc propoſitio: *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*, ſenſum Catholicum faciat, oſtendimus ſupra §. 3. num. 28. ex D. Thoma 1. *par. qu.* 36. *art.* 3. Quare Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* 18. dicit. Spiritum Sanctum *Patri per Filium copulari*, *bonitatem Sanctitatem .... à Patre per Filium in Spiritum tranſire*. Cyrillus *lib. Theſauri cap.* 34. Spiritum Sanctum dicit Spiritum Dei appellari, quia conjungitur Filio, qui brachium eſt Patris, adeòque veluti mens per brachium digitum movet. Et hoc ut intelligatur, naturam divinam, quæ intelligitur à Patre communicata ſecundùm originis ordinem Filio priùs, quàm Spiritui Sancto, ſuam illam ſervare in Filio fæcunditatem, quæ incepit in Patre. Unde illud Nyſſeni effatum, una Deitatis ſubſtantia, unus voluntatis optimæ motus *à Patre proficiſcitur, perque Filium progreditur, & in Spiritu completur*. Hæc ſi rectè penſentur haud egrè poterunt conciliari Græcorum Doctorum. & Latinorum de Spiritus Sancti proceſſione ſententiæ, atque in unam fidem conſentire invenientur.

XLIV. Tertiò objiciunt rationes. Si Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procederet, jam eſſent duo Spiritus Sancti principia, tot enim eſſent principia, quot ſunt Perſonæ, à quibus ſuum eſſe acciperet: atqui non poſſunt eſſe duo principia Spiritus Sancti, aliàs duplici actione produceretur, ſicque à ſeipſo diviſus eſſet; ergo &c.

Reſpondetur cum D. Thom. laudatâ *qu.* 36. *art.* 4. negando maj. ad ejus probat. Nego, ad multiplicationem principiorum ſufficere multiplicitatem Perſonarum, ſed ulteriùs requiritur multiplicitas formarum, & actionum. Quia (inquit S. Doct.) *Licèt hoc nomen principium, ſignificet proprietatem, tamen ſignificat eam per modum ſubſtantivi, ſicut hoc nomen Pater, & Filius etiam in rebus creatis. Unde numerum accipit à forma ſignificata, ſicut & alia ſubſtantiva. Sicut igitur Pater, & Filius ſunt unus Deus propter unitatem formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus: ita ſunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis* (nempe virtutis ſpirativæ) *ſignificatæ in hoc nomine principium*.

XLV. At inquies primò. Spiritus Sanctus non poteſt procedere à Patre, & Filio, ut ſunt unum; ergo ut ſunt plures. Ant. probatur. Non poteſt procedere ab eis, ut ſunt unum in natura; quia ſic etiam procederet à ſe-

Digitized by Google

ipſo , qui eſt unum in natura cum ipſis . Neque ut ſunt unum in aliqua proprietate perſonali ; quia una proprietas non poteſt eſſe duorum ſuppoſitorum .

. Inſtabis ſecundò . Cùm dicitur Pater , & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti , non poteſt ibi deſignari unitas perſonalis ; quia ſic Pater , & Filius eſſent una Perſona . Neque etiam unitas proprietatis , quia , ſi propter unam proprietatem Pater , & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti ; pari ratione propter duas proprietates , Pater erit duo principia , nempe Filii ratione Paternitatis , & Spiritus Sancti ratione ſpirationis activæ : ſed hoc eſt falſum ; ergo &c.

Inſtabis tertiò . Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus , quia ſunt unum principium creaturarum dicuntur eſſe unus Creator : ſed Pater , & Filius non ſunt unus Spirator , ſed duo Spiratores , unde Hilarius lib. 2. de Trinit. *Spiritus Sanctus* (inquit) *à Patre , & Filio auctoribus confitendus eſt* ; ergo &c.

XLVI. Ad has inſtantias , quas contra ſe proponit D. Thom. 1. *par. qu.* 36. *art.* 4. reſpondeo. Ad primam cum eodem ad primum neg. ant. ad probationem dicit S. Doctor : quòd *ſi attendatur virtus ſpirativa , Spiritus Sanctus procedit à Patre , & Filio , in quantùm ſunt unum in virtute ſpirativa , quæ quodammodo ſignificat naturam cum proprietate .... Neque eſt inconveniens , unam proprietatem eſſe in duobus ſuppoſitis , quorum eſt una natura . Si verò conſiderentur ſuppoſita ſpirationis , ſic Spiritus Sanctus procedit à Patre , & Filio , ut ſunt plures . Procedit enim ab eis , ut amor unitivus duorum .* Hæc S. Doct. Quibus patet , Spiritum Sanctum procedere à Patre , & Filio , ut ſunt unum in natura , non præciſè , ſed cum tali proprietate. Ex quo non ſequitur, Spiritum Sanctum procedere à ſe ipſo ; quia eſto ſit unum in natura cum ipſis, non tamen eſt unum in natura cum tali proprietate , nempe vi ſpirativa .

Addo , hanc inſtantiam nimis probare ; probaret enim , Patrem æternum non producere Filium ratione ſuæ ſubſtantiæ , nec Filium procedere de ſubſtantia Patris , aliàs procederet à ſeipſo .

XLVII. Ad alteram reſpondeo cum eodem S. Thoma ad ſecundum : *quòd cùm dicitur Pater , & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti , deſignatur una proprietas , quæ eſt forma ſignificata per nomen . Non tamen ſequitur , quòd propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia ; quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum* : ideſt , ut Pater diceretur plura principia , deberet multiplicari non ſolùm proprietas , ſed etiam Perſona ; ideòque unus homo habens plures artes non dicitur plures artifices , ſed unus artifex . Quod eò magis verificatur in Patre æterno , in quo vis ſpirativa , & generativa idem realiter ſunt , & ſolâ ratione diverſæ . Quâ ratione nec Pater , ut eſt principium Filii , nec Filius ut eſt principium Spiritus Sancti , dici debent duo principia , ſed unum ; quia vis generativa , quæ eſt in Patre , vis ſpirativa , quæ eſt in Patre , & Filio non diſtinguuntur realiter , quamvis realiter diſtinguantur ſuppoſita , ut docet Anſelmus *lib. de Proceſſ. Spiritus Sanct. cap.* 10. & ratio eſt : quia ad multiplicationem nominis ſubſtantivi non ſufficit multiplicatio ſola formæ , nec ſola multiplicatio ſuppoſiti ; ſed requiritur multiplicatio utriuſque , formæ ſcilicet , & ſuppoſiti , & hæc non ſolâ ratione , ſed realis .

Quod ſi quæras . Quando dico Pater , & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti , pro quo ſuppono ? pro Patre , an pro Filio , an pro utroque ?

Reſpondeo cum D. Thom. relato *ad.* 4. ſuppponere pro utroque , ſed indeterminatè , & confuſè . *Cum enim dicimus , Pater , & Filius ſunt unum principium , hoc , quod dico principium non habet determinatam ſuppoſitionem , imò confuſam pro duabus Perſonis ſimul.*

Un-

Digitized by Google

Unde nec determinatè eſt principium quod eſt Pater, nec quod non eſt Pater, ſed Filius. Hoc enim eſſet incidere in fallaciam *figuræ dictionis à confuſa ſuppoſitione ad determinatam*.

XLVIII. Ad tertiam reſpondeo cum eodem S. Thom. negando min. Sunt enim potiùs duo ſpirantes, quàm duo ſpiratores. *Quia enim* (inquit) *ſpirans adjectivum eſt, ſpirator verò ſubſtantivum, poſſumus dicere, quòd Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores propter unam ſpirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum ſecundùm ſuppoſita, ſubſtantiva verò à ſe ipſis ſecundùm formam ſignificatam.* Quare Hilarius dùm dicit, *quòd Spiritus Sanctus eſt à Patre & Filio auctoribus*, ponit *ſubſtantivum pro adjectivo*. Ita D. Thom.

Oportuit in hoc pauliſper immorari, ut Photio, Græciſque ora obſtruamus, qui nobis ſemper objiciunt: quòd Spiritui Sancto duplicem cauſam adſignemus, quòd Dei Monarchiam deſtruamus, quòd in Marcionis, & Manetis hæreſim impingamus. Uno verbo quòd dividamus deitatem. Si enim ſua cæcitas, & obſtinatio Græcis oculos, aureſque non clauderet viderent, audirentque à Latinis ſemper pro Dei indiviſa unitate pugnatum fuiſſe: & quamvis non à ſolo Patre, ſed à Filio procedere Spiritum Sanctum ſemper dixerint; ſemper tamen confeſſi ſunt, eos non eſſe plura, ſed unum principium unicâ virtute & ſpiratione ſpirans, unicâ relatione illum reſpiciens, æquè immediatè ab utroque procedens.

XLIX. Hanc doctrinam tradidit quarto ſeculo S. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 14. his verbis: *Fatendum eſt, Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia: ſed ſicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus Creator, & unus Dominus, ſic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium.* Hanc tradidit S. Anſelmus *lib. de proceſs. Spiritus Sanct. cap.* 9. dicens: *ſicut non credimus, Spiritum Sanctum eſſe de hoc, unde duo ſunt Pater, & Filius, ſed de hoc, in quo unum ſunt: ita non dicimus duo ejus principia, ſed unum principium.*

Neque hinc inferant Græci, unam fore Perſonam Patris, & Filii, ſi ſpiratio utrique communis ſit, cùm Perſonæ proprietatibus diſtinguantur: Non inquam; nam ſpiratio non eſt proprietas hypoſtatica, ſeu Perſonam conſtituens. Etenim Perſona Patris paternitate, Perſona Filii filiatione tantùm conſtituuntur, ſed eſt notio conſequens Perſonam jam conſtitutam.

L. Hanc veritatem fuiſſe ſemper ab Eccleſia Latina traditam, ſolemniter proteſtatus fuit in Concilio Generali Lugdunenſi Gregorius X. *anno* 1274. nam ſuâ conſt. cap. 1. de ſumma Trinit. *Fideli* (inquit) *ac devotâ profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit: hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia, mater omnium fidelium, & magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera ſententia.* Deinde damnat, & reprobat omnes, qui præſumſerint *temerario auſu aſſerere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno, procedat.*

Porrò cùm in Concilio Florentino adhuc Græci calumniarentur Latinos, quòd duo principia, vel duas cauſas ponerent in Sancta Trinitate; Latini *ſeſſ. ult.* ſuam profeſſionem ſcriptis mandarunt, inter cætera *profitentes Sanctum Spiritum ex Patre, Filioque tanquam ab unico principio procedere.* At tandem, Græcis in Latinorum ſententiam euntibus, concorditer definitum fuit: *Quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam,*

tiam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unicâ ſpiratione procedit.

LI. Quartò objiciunt. Si Spiritus Sanctus procedit ex Patre, & Filio per aliquid commune utrique; ergo per plura diſtinguitur Spirtus Sanctus à Patre, quàm Filius; ergo proximior erit paternæ ſubſtantiæ Filius, quàm Spiritus Sanctus.

Urgetur hoc. Si Spiritus Sanctus procedit à Filio, non procedit immediatè à Patre, quia procedit à Filio virtute communicata ei à Patre; ergo procedet tantùm mediatè, ſicut Nepos ab Avo; ergo proximior erit Patri Filius, quàm Spiritus Sanctus.

LII. Reſpondeo, negando utramque conſequentiam. Solâ enim proceſſione, ſeu ſpiratione paſſivâ diſtinguitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ſicut ſolâ generatione paſſivâ Filius diſtinguitur à Patre. Nec paternæ ſubſtantiæ unus eſt altero proximior, cum uterque à Patre immediatè procedat, ab eoque divinitatem totam accipiat, ſed unus naſcendo, alter procedendo. Quanquam non ita immediatè ſe habeat ad Patrem Spiritus Sanctus, ſi Perſonarum ordo ſpectetur.

LIII. Hinc ad id, quod urgetur dico, inſtantiam magis premere Græcos, qui negantes Spiritum Sanctum procedere ex Filio, concedunt tamen procedere à Patre per Filium. Quod enim procedit ab aliquo per alium, non procedit ab eo immediatè, ſed mediatè; ergo ſi Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium, non procedit ab eo immediatè, ſed mediante Filio.

Reſpondeo ergo cum D. Thom. 1. part. qu. 36. art. 3 ad 1. *quod in qualibet actione eſt duo conſiderare, ſcilicet ſuppoſitum agens, & virtutem, quâ agit, ſicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre, & Filio conſideretur virtus, quâ ſpirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquid medium: quia hæc virtus eſt una, & eadem. Si autem conſiderentur ipſæ Perſonæ ſpirantes, ſic, cùm Spiritus Sanctus communiter procedat à Patre, & Filio, invenitur Spiritus Sanctus immediatè à Patre procedere, in quantùm eſt ab eo, & mediatè, in quantum eſt à Filio... ſicut etiam Abel proceſſit immediatè ab Adam, in quantùm Adam fuit pater ejus, & mediatè, in quantùm Heva fuit mater ejus, quæ proceſſit ab Adam. Licèt hoc exemplum materialis proceſſionis ineptum videatur ad ſignificandam immaterialem proceſſionem divinarum Perſonarum.* Hæc D. Thom.

Multò minùs ſequitur, Spiritum Sanctum comparari ad Patrem, ſicut Nepotem ad Avum, quia Spiritus Sanctus æquè immediatè à Patre eſt, ac Filius; licèt iſte naſcendo, & à Patre ſolo, ille procedendo, & à Patre, & Filio eâdem virtute, & actione. In Nepote autem reſpectu Avi non ita contingit. Nam, ut Nepos quiſpiam ſit, gigni eum oportet à Patre, & diverſâ quidem generatione ab ea, quâ is, qui eum gignit, genitus eſt.

LIV. Objiciunt demique. Spiritus Sanctus perfectè procedit à Patre; ergo ſuperfluum eſt, ut procedat à Filio.

Hoc argumentum, quod eſt palmare Græcorum, in eoſdem retorquet Manuel Calecas *lib. 3. contra Græcos*, ſic. Si perfectè à Patre mittitur Spiritus Sanctus, ſuperfluum erit, & à Filio mitti: ſin autem imperfectè; non ergo perfectus eſt Pater. Et ſi perfectè omnia à Patre creata ſunt, quid neceſſe fuit dicere, omnia per ipſum (Filium) facta ſunt?

Præterea interrogandi ſunt, an perfecta ſit mundi ex Patre creatio? Si perfecta, cur Filius, & Spiritus Sanctus cauſa ejus ſunt?

LV. Reſpondetur ergo, objectionem procedere ex falſo ſuppoſito, nimirùm, quòd Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio, ac ſi ſolus Pater non ſufficeret, ſed egeret Filio. Sicut ergo eſto vis creativa Patris ſit perfecta, & ſufficiens ad creationem: at-

tamen non creat, nec creare poteſt Pater, quin ſimul Filius, & Spiritus creent; quia cùm indiviſa ſit, & una in tribus virtus creativa, & creatio, uno creante omnes creant: ſic cùm indiviſa, eademque ſit vis ſpirativa in Patre, & Filio, dum ſpirat Pater, ſpiret & Filius, neceſſe eſt. Ita reſpondet D. Tho. *qu.* 36. ſæpè laudatâ *art.* 2. *ad* 6. dicens: *Per hoc, quòd Spiritus Sanctus perfectè procedit à Patre, non ſolùm non ſuperfluum eſt dicere, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio, ſed omnino neceſſarium, quia una virtus eſt Patris, & Filii. Et quidquid eſt à Patre, neceſſe eſt eſſe à Filio, niſi proprietati filiationis repugnet. Non enim Filius eſt à ſeipſo, licèt ſit à Patre.*

DUBIUM II.

An particula *Filioque* jure addita fuerit Symbolo?

§. I.

Aſſertio ſtabilitur.

I. HÆc eſt altera cum Græcis Schiſmaticis Controverſiæ pars. Implacabiles enim Latinis inſultant, quòd ad firmandum ſuum de proceſſione Spiritus Sancti à Filio (ut ajunt) errorem, auſi fuerint Fidei Symbolo illum inſerere, ei particulam *Filioque* addentes, ac dicentes *qui ex Patre Filioque procedit*: Contra (inquiunt) mentem Synodi generalis III. nempæ Epheſinæ *act.* 6. *par.* 1. cùm enim Chariſius Philadelphiæ Presbyter Neſtorianam quandam Fidei expoſitionem ad Epheſinos Patres detuliſſet, eâ perlectâ, & diris devotâ, decrevere: *Alteram fidem nemini licere proferre, vel conſcribere, aut componere, præter eam, quæ definita eſt à SS. Patribus Nicææ congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem auſi fuerint, aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex Gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex quacumque hæreſi: hos quidem, ſi ſunt Epiſcopi, aut Clerici, alienos eſſe, Epiſcopos ab Epiſcopatu, Clericos à Clericatu decrevit. Si verò Laici fuerint, anathemati ſubjici.* Eadem repetit Synodus Chalcedonenſis inferiùs referenda in definitione fidei.

Ex quibus ſic arguunt Græci. Ea additio jure facta non fuit Symbolo, quam Epheſina Synodus ſub depoſitionis, & anathematis pœna fieri vetuit; ſed Epheſina Synodus vetuit ſub anathematis, & depoſitionis pœna additionem particulæ *Filioque*: ſi quidem hujus particulæ additio, eſt prolatio alterius fidei à Nicæna, eſt compoſitio formulæ præter Nicænam, quod Epheſina Synodus vetuit; ergo &c. Nihilominus

II. Dico. Potuit Eccleſia ad meliùs, & expreſſiùs profitendam fidem proceſſionis Spiritus Sancti à Filio, addere Symbolo vocem *Filioque*, & jure, prudenterque eam addidit. Prior pars probatur. Qui poteſt Symbolum condere, poteſt multò magis Symbolo condito veram, ac neceſſariam explicationem, ſeu velis, additionem, inſerere; quia, qui poteſt id, quod majus eſt, poteſt id, quod eſt minus in eodem genere: atqui Eccleſia poteſt ex tradita à Chriſto doctrina Symbolum condere; ergo &c. Min. prob. Eccleſia eſto non habuerit à Chriſto facultatem novam fidem condendi; accepit tamen facultatem gubernandi Fideles, eiſque regulam proponendi, quâ in una fide continerentur, monente Paulo ad Philipp. 3. v. 16. *ut idem ſapiamus; & in eadem permaneamus regula*: ſed hoc maximè præſtatur condendo Symbolum fidei, ſeu communem fidei teſſeram ex doctrina Chriſti conflatam, ex cujus Profeſſione, ſicut olim milites, ita Fideles ab infidelibus ſecernantur; ergo &c.

Hac facultate Apoſtoli priuſquàm dividerentur in gentes Symbolum ſuum edidere, quibus precipua fidei noſtræ fundamenta duodecim articulis con-

concluſerunt, quod ſub eorum nomine à quocumque Fideli adhuc recitatur. Et hoc, non ut Apoſtoli præciſè, ſeu ut teſtes doctrinæ, quâ Chriſtus eos imbuerat, præſtiterunt, ſed ut Eccleſiæ Paſtores, ſeu ut omnium Eccleſiarum ſolicitudinem gerentes. Quod maximè comprobatur ex opinione quorundam, maximè ex Proteſtantibus, qui Symboli, vulgò Apoſtolorum dicti, immediatos Auctores non faciunt Apoſtolos; ſed illud ex eorum doctrina ab eorum ſucceſſoribus Paſtoribus fuiſſe compactum, ac univerſæ Fidelium collectioni propoſitum contendunt. Cùm ergo nunc temporis Eccleſia poſſit, quod ſive Apoſtoli, ut Eccleſiæ Paſtores, vel eorum in ejuſdem regimine ſucceſſores potuerunt; fit, ut ſicut tunc, ita & nunc Symboli condendi habeat poteſtatem.

Confirmo hoc. Eccleſia modò eadem eſt, & eâdem poteſtate viget, quæ erat, & quâ poteſtate fruebatur temporibus Nicæni I. & Conſtantinopolitani I. atqui tempore Niceni I. potuit inſerere Symbolo vocem *Conſubſtantialem*, quæ in Symbolo Apoſtolorum non erat. Tempore Conſtantinopolitani I. potuit inſerere verba exprimentia Spiritus Sancti divinitatem: *Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*, quæ in Symbolo Nicæno non legebantur: Cur ergo non potuit Eccleſia eidem Symbolo vocem *Filioque* inſerere?

III. Hinc formo ſecundam rationem. Eccleſia quovis tempore poteſt ea omnia inſerere Symbolo, quæ neceſſaria ſunt, ut Fideles ab infidelibus, Catholici ab Hæreticis, qui intra Eccleſiam ſunt, ab iis, qui ſunt extra illam, ſecernantur. Symbolum enim fidei eſt ſignum, teſſera, quam à venientibus ad ipſam Eccleſia poteſt, & debet exigere, ut ſub ejus vexillis eos militare dignoſcat; ergo ſicut ut diſcerneret Chriſtianos, à Paganis, & Judæis, Symbolum Apoſtoli ab initio condiderunt, vel ſi placet, Paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerunt; ut ſecernerent Catholicos ab Arianis, Niceni Patres vocem conſubſtantialis Symbolo addiderunt; & ut eoſdem ſecernerent à Macedonianis, voces exprimentes Spiritus Sancti divinitatem addidere Patres Conſtantinopolitani, & harum veritatum profeſſionem exigere potuerunt: Ita, ut veram de proceſſione Spiritus Sancti etiam à Filio fidem exprimerent, & ut eam credentes à non credentibus ſecernerent, potuerunt Latini vocem *Filioque* Symbolo inſerere, & hujus dogmatis profeſſionem à Græcis ad unitatem Catholicam redeuntibus, poſtulare.

§. II.

Græcis opponentibus reſpondetur.

IV. Reſpondendum primò eſt iis, quæ ſuperiùs oppoſita ſunt ex Synodo Epheſina. Reſpond. ergo primò. Si Epheſini Patres anathema dicentes illis, qui alteram fidem, præter eam, quæ Nicææ definita eſt, conſcriberent, anathema dixerunt Latinis Nicænæ fidei addentibus vocem *Filioque*; anathema quoque dixiſſe credendi erunt Patribus Conſtantinopolitanis, qui Symbolo Nicæno plura addiderant, nempe Spiritum Sanctum à Patre procedere, cum Patre, & Filio adorandum &c. Quòd ſi hoc non dicent Græci; nec dicant, Latinos anathemate feriri, per hoc, quòd Nicenæ, & Conſtantinopolitanæ fidei addiderint etiam expreſſionem proceſſionis Spiritus Sancti à Filio.

V. Reſpondeo itaque ſecundò. Patres Epheſinos anathemate prohibuiſſe conſcribere, vel componere *alteram fidem*, nempè diverſam, & contrariam fidei à Nicænis Patribus definitæ, qualis erat fides contenta in Symbolo Neſtoriano per Chariſium Synodo Epheſinæ exhibito *act. 6.* quæ Chriſtum unum eſſe in Perſona cum Filio Dei negabat: non verò prohibuiſſe, inſerere Symbolo

non

Digitized by Google

non *alteram fidem*, ſed fidei definitæ explicationem, quo pacto Nicænos Patres erga fidem Symboli Apoſtolici, & inſuper Conſtantinopolitanos erga fidem Symboli Nicæni ſe geſſiſſe probè noverant. Porrò additionem vocis *Filioque* factam fidei Symbolo non eſſe alteram fidem, ſed puram fidei, & Symboli explanationem, Andreas Rhodius in Concilio Florentino *ſeſſ. 6.* Græcis apertè demonſtravit. Cùm enim vox illa *Filioque* contineatur in hac altera voce, *ex Patre*: quia ſi Spiritus Sanctus à Patre eſt, non ut Pater opponitur Filio, arguitur, quòd ſi à Patre eſt, ſit etiam à Filio; cùm ipſe Filius dicat Joann. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt;* & hoc, ut explicaret, quomodo Spiritus de ſuo acciperet. Chriſti igitur teſtimonio, verbo quidem additio facta eſt, re ipsâ autem pura explicatio; eò quòd pars addita latenter, ſeu implicitè contineretur in priori.

VI. Totum hoc docuit D. Thom. *qu. 10. de potentia art.* 4. ubi reſpondens huic argumento, quod erat 13. *Dicendum* (inquit) *quòd doctrina fidei ſufficienter tradita fuit in Symbolo Nicæno. Unde Sancti Patres in ſequentibus Synodis non intenderunt aliquid addere, ſed propter inſurgentes hæreſes id, quod implicitè continebatur, explicare ſtuduerunt. Unde in determinatione Chalcedonenſis Synodi dicitur:* Præſens nunc ſancta, & magna, atque univerſalis Synodus prædicationem hanc ab initio inconcuſſam docens, diffinivit, principaliter trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum, qui ſcilicet in Nicæa convenerunt, fidem manere intentabilem. Et propter illos quidem, qui adversùm Spiritum Sanctum pugnant, poſteriori tempore à Patribus apud Conſtantinopolim centum quinquaginta congregatis de ſubſtautia Spiritus traditam doctrinam corroborat, quam illi omnibus notam fecerunt, non quaſi quidem aliquid eſſet minus in præcedentibus inferentes: ſed de Spiritu Sancto intellectum eorum adversùs eos, qui Dominum ejus reſpuere tentaverunt, Scripturarum teſtimoniis declarantes. *Et per hunc modum dicendum eſt, quòd proceſſio Spiritus Sancti à Filio implicitè in Symbolo Conſtantinopolitano continetur, inquantùm continetur ibi, quòd procedit à Patre. Quia quod de Patre intelligitur, oportet & de Filio intelligi, cùm in nullo differant, niſi quia hic eſt Filius, & ille Pater. Sed propter inſurgentes errores eorum, qui Spiritum à Filio eſſe negabant, conveniens fuit, ut in Symbolo poneretur: Non quaſi aliquid additum, ſed explicitè interpretatum, quod implicitè continebatur. Sicut ſi inſurgeret hæreſis, quæ negaret, Spiritum Sanctum eſſe factorem Cœli, & Terræ, oporteret, hoc explicitè poni, cùm in prædicto Symbolo hoc non dicatur, niſi de Patre.* Hactenus S. Thomas.

VII. Reſpondeo tertiò. Dato etiam, Synodum Epheſinam interdixiſſe fieri quamcumque additionem, etiam explanativam, hanc tamen interdixiſſe, ut faciendam à privatis hominibus, qualis erat illa, quæ ipſi exhibita fuerat à Chariſio, nimirùm facta à Neſtorianis; non tamen interdixiſſe, ne fieri poſſet ab alia Synodo æqualis poteſtatis cum ipſa: nec enim hoc interdicere poterat. *Sicut autem* (proſequitur D. Thom. allegato loco) *poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet: ita etiam Romanus Pontifex hoc ſuâ auctoritate poteſt, cujus auctoritate ſolâ Synodus congregari poteſt, à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi. Nec eſt neceſſarium quòd ad ejus expoſitionem faciendam univerſale Concilium congregetur, cùm quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in ſeptima Synodo legitur, quòd Conſtantinus Auguſtus dixit, quòd propter imminentia bella univerſaliter Epiſcopos congregare non potuit &c.* Pergit deinde S. Doctor, oſten-

oſtendens exemplo ſeptimæ Synodi, & Chalcedonenſis, etiam Concilia generalia ſecuta fuiſſe in fidei determinationibus ſententiam Romani Pontificis: ac Spiritum procedere à Filio, oſtendit, ex determinatione principalium Conciliorum haberi, & Patrum, quos ipſa Concilia ſequi ſe, proteſtata ſunt, ut à nullo eorum inveniatur eſſe negatum. Videri poteſt S. Doctor etiam 2. 2. *qu.* 1. *art.* 10. ubi determinat ad Summum Pontificem pertinere Symbolum ordinare. Quod docet etiam hâc 1. *par. qu.* 36. *art.* 2. *ad* 2.

VIII. Sed replicabis primò. Cyrillus epiſt. ad Joann. Antioch. quæ incipit *lætentur Cœli*, aſſerit Nicæno Symbolo, nec ſibi, nec ulli omnino alteri licere, vel *unam voculam ibi poſitam immutare, aut unam ſyllabam præterire*.

Rurſus: Patres Chalcedonenſes rogati, ut exponerent fidem, reſponderunt: *In ſcriptis expoſitionem non facimus. Regula eſt, qua prædicat: ſufficere, quæ ſunt expoſita. Regula vult, aliam expoſitionem non fieri.* Et ſeptima Synodus poſt fidei definitionem hæc habet: *Nos leges Patrum cuſtodimus: nos eos qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.*

Confirmatur. Patres Epheſini, non obſtante, quòd à Neſtorio Mater Chriſti *Deipara*, ſeu *Theotocos* negaretur, vocem hanc *Theotocos*, ſeu *Deipara* expreſſerunt quidem in Definitionibus fidei; ſed Symbolo nullatenus addiderunt.

IX. Reſpondeo, Cyrillum aſſerere, ne unam voculam licere immutare, aut addere Synodo Nicæno, quæ aliam fidem à fide Nicæna exprimeret; non verò, quæ fidei Nicænæ eſſet explanativa, ſi hæreſis inſurgens hoc petiiſſet, quod & Nicæni, & Conſtantinopolitani Patres præſtiterunt, ut dicebamus. Vox enim, quæ ſolùm explicat contentum in altera voce, expoſitio ſymboli eſt, non immutatio, & additio. Ut enim ajebat Andreas Rhodius *ſeſs. 6. Concilii Florentini* omnis additio fit extrinſecùs. Expoſitio verò non fit extrinſecùs, ſed ex eis, quæ in textu jacent. Si enim omnis explicatio eſſet additio, multæ Sacræ Scripturæ factæ fuiſſent additiones. Cùm ergo vox *Filioque* contineatur in altera voce nimirum *ex Patre*, & ſit explicatio illius; appoſitio talis vocis non eſt additio, ſed pura explanatio, quæ neceſſaria judicata fuit ob diſcriminandos Catholicos à Græcis hæreticis: ſicut vox *conſubſtantialis* neceſſaria judicata fuit à PP. Nicænis, & aliæ voces neceſſariæ ad explicationem fidei Nicænæ judicatæ ſunt à Patribus Conſtantinopolitanis.

Ad id, quod additur de Patribus Chalcedonenſibus, dico, eos Symboli explanationem facere recuſaſſe, quia res ſufficienter judicabatur explanata; unde dicebant: *Regula eſt, quæ prædicat ſufficere, quæ ſunt expoſita. Regula vult, aliam expoſitionem non fieri.* Atque eadem fuit mens Synodi ſeptimæ: non verò, quòd ſi opportunum judicaſſet, non potuiſſet vocem explicativam ſymbolo adjicere. Enim verò ſi prælaudatæ Synodi Definitiones fidei ediderunt, quin ex hoc ſe alteram fidem, vel fidem antiquam immutare, aut illi addere exiſtimarent, ſed tantùm fidem antiquam magis explanare; cur eâdem ratione non poterant unam vocem ſymbolo inſerere, quæ non alteram fidem ſtatueret, vel eam immutaret, aut fidei antiquæ adderet, ſed ſolùm fidem antiquam explanaret?

X. Ad confirmat. Dico cum Andrea Rhodio, Patres Epheſinos vocem *Deipara* ſeu *Theotocos* non addidiſſe Symbolo, illam tamen in Definitionibus fidei expreſſiſſe. Ideò autem non judicarunt neceſſe eam Symbolo addere, quia ex Symbolo jam ſatis apparebat, Virginem eſſe Deiparam. In eo namque profitemur Filium ex Patre natum, & conſubſtantialem Patri; ex quo evidens eſt, Deum eſſe æquè ac Patrem: & rurſus hunc eundem incarnatum, & ex Virgine hominem factum; ex quo ſatis compertum eſt, B. Virginem

Digitized by Google

ginem Deum & hominem genuiſſe. Iterùm tamen dico. Eadem vis eſt definitionum fidei, ac Symboli; igitur vox *Deipara* æquè poterat ab Epheſinis Patribus addi Symbolo, ſicut addita Definitioni eſt. Si ergo vel ipſi, vel Conciliorum ſequentium Patres addidiſſent, ideonè anathemati fuiſſent obnoxii? Ita ajebat Julianus Cardinalis.

XI. Replicabis ſecundò. Leo III. *anno* 809. Fidei doctrinam immaculatam columnis erectis quibuſdam quaſi clypeis conſcriptam ad Eccleſiæ valvas in conſpectu omnium collocavit, ne ullo modo Novatoribus pateret aditus fidei Symbolum depravandi, & aſſerendi, Filium eſſe ſecundam cauſam Spiritus Sancti. Ita ſcribit ipſe *Epiſt. ad Aquileenſem Patriarcham*. Et quamvis à Legatis Caroli Magni rogatus, vocem *Filioque* Symbolo addere conſtanter recuſavit.

Reſpond. Leonem III. non probaſſe vocem *Filioque* addi Symbolo, quia tunc nulla cauſa id poſtulabat, & nulla urgebat neceſſitas; nondùm exorto Schiſmate Photiano, Græci non adhuc tantâ pertinaciâ errorem oppoſitum vulgabant, ut oporteret, ad diſcernendos à Catholicis hæreticos, hujus veritatis profeſſionem expreſsè in Symbolo emitti. Non negabat tamen Leo, imò apertè profitebatur proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, ut conſtat ex Actis Collationis Legatorum Gallicanæ Eccleſiæ, & Caroli Magni Imperatoris ex Synodo Aquiſgranenſi, quæ extant tom. 4. Concil. Harduin. Column. 969. ann. 809.

XII. Replicabis tertiò. In Synodo Conſtantinopolitana ſub Joanne VIII. celebratâ Legati Apoſtolici Symbolo Fidei in quo tantùm dicebatur Filius à Patre procedere, & ne aliquid Symbolo fidei adderetur vetitum eſt, ſubſcripſerunt.

Reſpondeo, Synodum illam, cui Photius præfuit, in qua litteræ Romani Pontificis depravatæ fuerunt, in qua octava Synodus Æcumenica damnata fuit, & in qua tandem Legati Sedis Apoſtolicæ mandata violarunt, & Eccleſiæ cauſam prodiderunt, legitimam non fuiſſe.

Addit Manuel Calecas *lib. 4. contra Græcos*, falſum eſſe, in ea Synodo ullam factam fuiſſe de Spiritus Sancti à Filio proceſſione mentionem, & multò magis vetitam fuiſſe Symbolo fidei additionem, quod comprobare conatur. Tum quia in commentario tradito à Romano Pontifice Legatis ſuis de rebus, quæ tractandæ erant in Synodo, quidquam de additione, aut de Symbolo ſcriptum non erat, quod certè primo loco ponendum fuiſſet. Tum quia cùm Photius tunc à Romano Pontifice confirmatus fuiſſet Patriarcha, credibile non eſt, eum de additione voluiſſe verbum movere, unde timere poterat, ſe iterum exauctorandum, & omnia amiſſurum.

§. III.

In qua Synodo vox Filioque *addita fuerit.*

XIII. Dico. Probabilius creditur, vocem *Filioque* primò inſertam fuiſſe Symbolo in Eccleſiis Hiſpaniarum deſinente ſeculo ſexto. Apud Gallos, & Germanos, octavo. Apud Romanos, nono. Et tandem in Eccleſia Catholica univerſa ſeculo tertiodecimo. Quatuor habet partes hoc aſſertum.

XIV. Prima pars probatur. Nam in Concilio Toletano III. ſub Recaredo Rege anno 589. Symbolum Conſtantinopolitanum à Rege & PP. primò recitatum fuit, additâ voce Filioque: *& in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem*. In Toletano IV. ſub Siſenando Rege anno 633. Recitatur Symbolum, ut in Miſſis ſolemnibus decantandum erat, cum voce *Filioque*. Et in ſubſequentibus Toletanis Conciliis, ſive in Symbolo, ſive in Definitione fidei, proceſſio Spiritus Sancti à Filio

Digitized by Google

aſſeritur; ut videre eſt in Toletano XI. ſub Rege Vamba ſeu Vambano, anno 675. in XII. Rege Ervigio, an. 681. in XIII. Rege eodem, an. 683. In XV. Egicane Regnante, anno 688. & XVII. ſub eodem Rege, anno 694.

XV. Secunda pars conſtat ex actis Concilii Aquiſgranenſis anno 809. ſub Carolo Magno, in quo addita fuit Symbolo vox *Filioque;* & ex eo miſſi Legati Bernarius Wormatienſium, Jeſſe Ambianenſium Epiſcopi, & Adalardus Corbejenſis Abbas ad Leonem III. tùm ut ab eo probaretur additio à Synodo facta; tùm ut ſuaderent Symbolum cum eâdem additione inter Miſſarum ſolemnia, Romæ quoque cantandum eſſe. Quamvis autem Leo III. additionem factam non improbaverit, adduci tamen non potuit, ut cum ea Romæ cantandum præciperet, ut ex Collatione ſuperiori §. allegatâ compertum eſt. Porrò cùm in Aquiſgranenſi Synodo, additio illa nullo contradicente facta ſit, credere par eſt, eam, aliquibus ante Synodum annis apud Gallos, & Germanos, recitari conſueviſſe.

XVI. Tertia verò pars ex eo ſuadetur, quòd eſto Leo III. ut mox dicebamus initio noni ſeculi noluerit eam additionem Romæ admittere; & propterea, ut oſtenderet, quantum ab ea foret alienus, tabulis argenteis inſculpi juſſit Symbolum abſque illa additione; procedente tamen eodem ſeculo, & Leone vitâ functo, eandem additionem Romæ quoque uſum obtinuiſſe ſaltem ſub Nicolao I. ſuadent ea, quæ Romanis improperat Photius ad omnes Orientis Epiſcopos hiſce verbis ſcribens: *Præter illa, quæ commemoravimus abſurda, ſacrum etiam, & ſanctum Symbolum, cui Synodica omnia Oecumenica ſuffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis ſermonibus, non ſine incredibili audaciâ falſare aggreſſi ſunt. O mali Dæmonis medicamenta! Spiritum Sanctum non ex Patre ſolùm, ſed etiam ex Filio procedere, vaniſſimè prædicantes.*

Quæ confirmat Ratramnus Corbejenſis Monachus. Is enim Nicolai I. temporibus anno videlicet 858. *Libro 2.* quem adverſus Græcos pro Eccleſia Romana conſcripſit, Photium reprehendit, & confutat, unâque omnes Epiſcopos ei adherentes, quòd aggreſſi fuerint Occidentales, qui particulam *Filioque* Symbolo inſeruerant.

XVII. Quarta demum pars probatur. Ea enim additio ſolemniter ab Eccleſia Univerſali, ab ipſis quoque Græcis, probata, & acceptata fuit in Concilio Lugdunenſi II. ſub Gregorio X. anno 1274. ibique à Græcis ſimul, & Latinis ter decantatum: *Qui ex Patre, Filioque procedit:* permiſsâ tamen Græcis libertate Symbolum abſque illa additione in ſuis Eccleſiis canendi. Et demum in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. anno 1438. utriuſque Eccleſiæ conſenſu, ac ſuffragio, tum dogma de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio confirmatum eſt; tum additio hujus vocis *Filioque* in Symbolo probata. Quamvis Græci ad ſua reverſi, pactum, ac fidem datam reſciderint, ut dictum eſt.

XVIII. Hinc probare non poſſum primò, Auctorem hujus additionis fuiſſe Damaſum Papam in Synodo Romana; vel ſaltem fuiſſe factam temporibus ſextæ Synodi Generalis circa annum 680. ut ſentiunt Manuel Calecas, & Genebrardus. Secundò. Nec probare poſſum, factam fuiſſe juſſu ſeptimæ Generalis Synodi anno 787. ut opinantur Julianus Cardinalis *ſeſſ. 5. Conc. Florent.* Et Andreas Coloſſenſis *ſeſſ. 7.*

Ad primum enim dico, Calecam debuiſſe afferre teſtem ſui dicti, quod non facit. Neque enim in decretis Romanæ Synodi ſub hoc Pontifice habitæ hujus veſtigium reperitur ullum. Nec Leo III. Legatis Galliæ petentibus hanc additionem adeò acriter obſtitiſſet, neque Legati hoc opponere Leoni neglexiſſent, ſi Damaſi auctoritate facta fuiſſet additio: & multò minus ſi

ſacta

Digitized by Google

facta fuiſſet in ſexta Synodo Generali illis temporibus viciniori. Cui non ſuffragatur S. Maximus: is enim in ſua Epiſtola ad Marinum, confitetur quidem dogma Latinorum de proceſſione Spiritus Sancti à Filio; ſed de additione ad Symbolum nec verbum facit.

Ad ſecundum dico. Acta ſeptimæ Synodi, in quibus nil apparet de ejuſmodi additione, aperte evincere nullius fidei eſſe Codicem, & antiquum Hiſtoricum, cui ſuam opinionem innixam volebat Julianus Cardinalis: præterquam quòd hoc non potuiſſet effugere Græcos, & Latini contrà Photium tale decretum produxiſſent. Cùm ergo de illo decreto altum ſilentium ſit, etiam apud Anaſtaſium Bibliothecarium, qui annis ſeptuaginta poſt græcum dictæ Synodi textum tranſtulit in latinum, nihil in ea de hac re actum fuiſſe credendum eſt.

DUBIUM III.

An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc à Filio realiter diſtingueretur?

§. I.

Noſtra Aſſertio.

I. UNa ex præcipuis rationibus, quibus S. Tho. tùm hâc 1. *par. qu.* 36. *art.* 2. tum 4. *contra gentes cap.* 24. tùm *qu.* 10. *de pot. art.* 4. utitur ad probandum Spiritus Sancti proceſſionem à Filio, eſt; quia alioquin à Filio realiter Spiritus Sanctus non diſtingueretur, ſicque deſtrueretur Trinitas Perſonarum. Quam rationem ante S. Thomam expenderat S. Anſelmus *lib. de proceſſ. Spiritus Sancti* contra Græcos, &, ut dicemus, eâ Theologi Latini uſi ſunt adverſus eoſdem in Concilio Florentino. Scotus tamen putat, hanc rationem non eſſe adeò adæquatam & unicam, ut, ſi illa deficeret, non ſubſiſteret adhuc diſtinctio realis Spiritus Sancti à Filio. Ideo contra ipſum agendum eſt.

II. Nec tamen quis putet, quęſtionem hanc, utpote de hypotheſi impoſſibili, eſſe ſuperfluam; imò dico, eſſe valdè utilem ad inveſtigandam naturam proceſſionis Spiritus Sancti, & ad ventilandum vim rationis, quâ Patres, & Concilia utuntur ad probandam proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. Si enim unica, & adæquata ratio diſtinctionis Spiritus Sancti à Filio, eſt proceſſio ab illo; proceſſione ſublatâ non ſubſiſteret ampliùs diſtinctio, & ſic benè concluderent. Si verò proceſſione ſublatâ, adhuc ſupereſſet ratio diſtinguens Spiritum Sanctum à Filio; jam ratio proceſſionis non eſſet unica, & adæquata ratio diſtinctionis, & ſic efficaciter non concluderent.

III. Dico ergo. Unica, totalis, & adęquata ratio diſtinctionis perſonalis, & realis Spiritus Sancti à Filio, eſt realis proceſſio ab iſto; ita ut, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet Perſona realiter ab eo diſtincta.

Probo hoc aſſertum primò. Quia in Concilio Florentino ſeſſ. 18. Joannes Theologus cum Marco Epheſio diſputans, hoc principium apud Græcos, & Latinos certum ſtatuit, dicens: *Eſt verò ſecundùm Doctores tam Græcos, quàm Latinos ſola relatio, quæ multiplicat Perſonas in divinis productionibus, quæ vocantur originis, ad quam duo tantùm ſpectant, à quo alius, & qui ab alio... & nulla eſt alia ratio diſtinctionis in divinis, niſi propter hoc, quòd aliqua Perſona ſit ab alia: ſequitur neceſſariò, ſecundùm tam Græcos, quàm Latinos Doctores, ut talis Perſona dicatur accipere & eſſe, eo quòd ſit ab alio.* Si ergo ſola relatio originis, nempè à quo alius, & qui ab alio multiplicat Perſonas divinas; & nulla eſt alia ratio diſtinctionis, tam apud Latinos, quàm Græcos, niſi propter hoc, quòd aliqua perſona ſit ab alia; ergo ablatâ à Spiritu Sancto proceſſione, & relatione originis à Filio, nulla re-

mane-

manebit ratio, quâ à Filio diſtinguatur. Hæc ratio, licèt non ſit definitio, cùm tamen doctrina ſit à Concilio probata, & à Græcis ipſis admittatur, magnum pondus dat noſtræ ſententiæ.

IV. Hac ratione uſus quoque fuerat S. Anſelmus *lib. de proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos cap.* 3. ubi, poſtquàm oſtendit, quòd Pater de quo eſt Spiritus Sanctus, non poteſt ille eſſe, qui de ſe eſt; loquens poſtea de Filio: *Cùm autem* (inquit) *apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, tunc quoque palàm erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius.* Et cap. 4. *ſicut* (inquit) *aut Pater eſt de Filio, aut Filius de Patre; & ſimiliter aut eſt de Spirito Sanctò Pater, aut Spiritus Sanctus de Patre: ita eſt, aut Filius de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio.* Sicut ergo ut Filius non ſit Pater, aut Pater Filius, tota ratio eſt, quia unus ab alio eſt; ita ut ſi Filius à Patre non eſſet, aut Pater à Filio, Filius eſſet Pater, & Pater Filius: ita ut Filius non ſit Spiritus, & Spiritus non ſit Filius, tota ratio eſt, quia unus ab alio eſt; ita ut ſi, aut Filius de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio non eſſet, Filius eſſet Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus, Filius. *Nam propter hoc*, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, *nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius.*

V. Nunc ad rationem accedamus, quâ utitur D. Thom. laudatis locis, & eſt talis. In divinis ubi non eſt relativa oppoſitio, ibi non eſt realis perſonalis diſtinctio: ſed ubi non eſt realis proceſſio, ſeu origo unius ab alio in divinis, non eſt relativa oppoſitio; ergo ubi non eſt realis proceſſio, ſeu origo, ibi non eſt realis diſtinctio perſonalis in divinis; ergo ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, inter Filium & Spiritum nulla eſſet relativa oppoſitio; ergo nulla realis diſtinctio perſonalis. Maj. probatur ex trito apud Theologos axiomate aſſumto ab Anſelmo loco citato *cap.* 2. in divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Unde S. Auguſt. tract. 39. in Joann. Perſonæ divinæ (inquit) *hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt.* Et S. Fulgentius *lib. de Trinitate* ait: *Iſta itaque relativa nomina Trinitatem faciunt. Eſſentialia verò, nullo modo triplicantur.*

Minor verò probatur. Tùm ex Auguſtino citato, ubi oſtendens, quomodo relatio in divinis Perſonis faciat numerum dicit: *Quia non ad ſe eſt Pater, ſed ad Filium, nec Filius ad ſe eſt, ſed ad Patrem, nec Spiritus ad ſe, in eo, quod dicitur Spiritus Patris, & Filii:* atqui Filius, & Spiritus Sanctus, ideò ſunt ad Patrem, quia ab eo procedunt, & proceſſione ſublatâ, nec Filius eſſet Filius Patris, nec Spiritus eſſet Spiritus Patris; ergo proceſſione à Filio ſublatâ, Spiritus non eſſet ad Filium, nec Spiritus Filii. Tùm ex D. Fulgentio laudato, ita diſcurrente: *Unus eſt igitur Deus in natura, non in Perſona: quia alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Pater à nullo eſt genitus, Filius à Patre eſt genitus, Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedens eſt. Pater non ſibi, ſed Filio: Filius non ſibi eſt, ſed Patri: Spiritus alicujus eſt adſpirantis; ergo ad Patrem Filiumque refertur*; ergo ex relativa oppoſitione colligit Fulgentius diſtinctionem inter divinas Perſonas, relativam autem oppoſitionem ex proceſſione unius ab alia.

Probatur quoque ratione D. Thomæ. Omnis relativa oppoſitio fundatur, vel in quantitate, ut duplum, dimidium &c. aut in actione, & paſſione, ſeu origine unius ab alio: ſed relativa oppoſitio in divinis fundari non poteſt in quantitate, eſt enim ſine quantitate magnus; ergo fundari debet unicè in actione, quâ una Perſona producit, & alia ab ea procedit; ergo in Deo ubi non eſt realis proceſſio, non eſt fundamentum oppoſitionis relativæ, nec realis oppoſitio. Ita diſcur-

eurrit S. Thomas 1. *par. qu.* 28. *art.* 4. & 4. *contragentes cap.* 24.

VI. Reſpondet Scotus, negando min. Nam in divinis relativa oppoſitio fundatur, nedùm in origine unius ex alio; verùm etiam in incompoſſibilitate, quæ eſt inter res diſparatas: cùm ergo filiatio ſit incompoſſibilis, & diſparata à ſpiratione paſſiva; ideò ex ſua natura non poſſunt identificari in eadem Perſona, ita ut eadem Perſona ſit genita, & ſpirata.

VII. Sed contrà. Sublato ordine originis, inter filiationem, & ſpirationem paſſivam nulla remanet realis incompoſſibilitas; ergo nullus remanet locus reali diſtinctioni inter illas. Ant. probatur ex D. Thoma *hâc qu.* 56. *art.* 2. à pari. Sicut diſparatè ſe habent ſpiratio paſſiva, & filiatio, ſeu eſſe ſpiratum, & eſſe genitum, ita paternitas, & ſpiratio activa, ſeu eſſe genitorem, & ſpirantem: ſed paternitas, & ſpiratio activa, ex quo non dicunt ordinem originis unius ab alia, ſeu ex quo una non reſpicit alteram, ut ſibi correlativè oppoſitam, non ſunt realiter incompoſſibiles in eadem Perſona; quare eadem Perſona, & eſt Pater, & eſt ſpirans; ergo à pari eſſe Filium, & ſpiratum, ſublatâ ratione originis, & relativæ oppoſitionis unius ad alterum, non erunt realiter incompoſſibilia, & poterunt in eadem Perſona conjungi. *Si ergo* (inquit S. Thomas allegato loco) *in Filio, & in Spiritu Sancto non eſſet invenire niſi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illæ relationes non eſſent ad invicem oppoſitæ, ſicut neque duæ relationes, quibus Pater refertur ad illos. Unde ſicut Perſona Patris eſt una; ita ſequeretur, quòd Perſona Filii, & Spiritus Sancti eſſet una, habens duas relationes oppoſitas duabus relationibus Patris.*

VIII. Ratio autem horum eſt: quia omnis realis incompoſſibilitas duorum, vel oritur, quia unum habet diverſum eſſe ab alio, ut in creatis; & cùm ex limitatione oriatur, non poteſt habere locum inter prædicata divina, quorum eſt unum, ac idem eſſe. Vel oritur ex oppoſitione relativa; & hæc non fundat realem incompoſſibilitatem, niſi cum termino ſibi relativè oppoſito: duæ enim relationes, etſi diſparatæ, dummodo ſibi invicem non correferantur, non ſunt incompoſſibiles realiter, ut patet in paternitate, & ſpiratione activa, & in relatione filii, diſcipuli, æqualis, quæ in eadem Perſona reſpectu ejuſdem conjungi poſſunt. Cùm ergo, ſublata origine Spiritus Sancti à Filio, inter filiationem, & ſpirationem paſſivam nulla eſſet relativa oppoſitio, ſed eſſent duæ relationes diſparatæ, ſicut paternitas, & ſpiratio activa; non multiplicarent Perſonas realiter, & ad ſummum eſſent duæ Scoticæ formalitates ejuſdem Perſonæ, ſicut ſunt in eadem Perſona paternitas, & ſpiratio activa.

IX. Hanc doctrinam tradidit D. Tho. *qu.* 10. *de pot. art.* 4. his verbis: *Non poteſt eſſe in divinis Perſonis diſtinctio, niſi ſecundùm relationes. Ea enim, quæ abſolutè dicuntur in divinis, eſſentiam ſignificant, & communia ſunt, ut bonitas, ſapientia, & hujuſmodi. Relationes autem diverſæ non poſſunt facere diſtinctionem, niſi ratione ſuæ oppoſitionis. Diverſæ enim relationes* (nota) *poſſunt eſſe unius ad idem: patet enim, quòd idem ejuſdem poteſt eſſe filius, diſcipulus, æqualis, & quæcumque aliæ relationes, quæ oppoſitionem non includunt. Patet autem, quod Filius diſtinguitur à Patre per hoc, quòd aliqua relatione ad ipſum refertur; & ſimiliter Spiritus Sanctus à Patre diſtinguitur propter aliquam relationem. Iſtæ ergo relationes, quantumcumque videantur diſparatæ, nullo modo poterunt diſtinguere Spiritum Sanctum à Filio, niſi ſint oppoſitæ. Oppoſitio autem alia in divinis eſſe non poteſt, niſi ſecundùm originem, pro ut ſcilicet, unus eſt ab alio. Nullo ergo modo Filius, & Spiritus Sanctus poterunt eſſe diſtincti per hoc, quòd uterque diverſimodè referatur ad Patrem,*

niſi

Digitized by Google

niſi unus eorum referatur ad alterum, ut ab eo exiſtens. Conſtat autem, quòd Filius non eſt à Spiritu Sancto. De ratione enim Filii eſt, quòd non referatur, niſi ad Patrem, ut ab eo exiſtens. Relinquitur ergo de neceſſitate, quòd Spiritus Sanctus ſit à Filio. Hucuſque D. Thomas, quâ doctrinâ præoccupat omnes Scoti reſponſiones, ideòque benè notanda eſt.

X. Confirmatur. Magis diſparatè ſe habent abſolutum, & relativum, quàm duo relativa: ſed abſolutum, & relativum, quia inter illa non eſt realis origo, realiter identificantur in Deo, ut ſuperiùs oſtenſum eſt; ergo multò magis duæ relationes, ſi inter illas non detur realis oppoſitio: non dabitur autem realis oppoſitio, ſi inter eas non detur realis origo. Aliàs ſi ſola oppoſitio diſparata ſufficeret ad diſtinguendum realiter in divinis, fieret, quòd relativum deberet realiter diſtingui ab abſoluto, paternitas à ſpiratione activa; & quod Spiritus, etiamſi nec procederet à Patre, ſicut nec à Filio, adhuc realiter diſtingueretur à Patre, cùm eſſe Spiritum ſit quid diſparatum ab eſſe Patrem: & ſic daretur Trinitas Perſonarum abſque origine unius ab alia, quòd Scotiſtas admiſſuros fore, non credam.

XI. Dicet tamen iterum Scotus, poſſe eandem Perſonam eſſe Patrem, & ſpirantem, quia benè poteſt idem agens duos terminos producere: Non tamen poteſt eadem Perſona eſſe genita, & ſpirata; quia impoſſibile eſt, quòd idem terminus duplici actione adæquatâ producatur.

Sed contrà. Quidquid ſit in creatis, in divinis tamen ſicut eadem Perſona poteſt eſſe generans, & ſpirans, ita eadem Perſona poteſt eſſe genita, & ſpirata, ſi Perſona ſpirata non dicat originem à Perſona genita; quia in divinis ſola oppoſitio relativa eſt, quæ diſtinguit: hæc autem ſolùm datur inter ea, quorum unum eſt ab alio. Unde ſublatâ origine ſpirati à genito, tollitur fundamentum diſtinctionis realis geniti à ſpirato, & eadem Perſona poterit eſſe genita, & ſpirata: ſicut relativum Perſonæ poteſt eſſe productum, & abſolutum eſſentiæ poteſt eſſe improductum, abſque ulla reali diſtinctione inter productum Perſonæ, & improductum eſſentiæ; quia productum non oritur ab improducto eſſentiæ. Neque per hoc quòd actiones ſunt diverſæ. Nam proceſſiones in divinis non poſſunt eſſe diverſæ, niſi per hoc, quod unus procedentium eſt ab alio. Ita D. Thom. qu. 10. de pot. art. 5. ad 8. *ſpiratio* (inquit) *diſtinguit Spiritum Sanctum à ſpirante, ſicut generatio generatum à generante. Non tamen ex hoc ſequitur, quòd ſpiratus à generato diſtinguatur, cùm & ſpirans & generans ſint idem. Nec propter hoc quòd idem non poteſt duabus proceſſionibus diverſis procedere. Sed proceſſiones in divinis non poſſunt eſſe diverſa, niſi per hoc, quòd unus procedentium eſt ab alio.* Ita D. Thom. rem hanc in eo articulo ex profeſſo diſcutiens. Supponit ergo falſum Scotus, quòd in caſu Spiritus Sanctus foret terminus duplicis actionis totalis.

XII. Contrà ſecundò. Ideò genitum, & ſpiratum in eadem Perſona conjungi non poſſet, quia genitum, & ſpiratum diverſimodè referuntur ad Patrem, & ſpirantem: ſed ſi ſpiratum non procedat, & relativè non opponatur genito, relationes geniti, & ſpirati conjungi poſſunt in eadem Perſona: Nam, ut ait D. Thom. citato art. 5. *plures notiones inveniuntur in una Perſona divina per hoc, quòd oppoſitionem ad invicem non habent; ſicut in Patre ſcilicet innaſcibilitas, Paternitas, & ſpiratio activa.* Unde art. 4. præcedente docuerat, quòd *diverſa relationes poſſunt eſſe unius ad idem: patet enim quòd idem poteſt eſſe filius, diſcipulus, æqualis, & quæcumque aliæ relationes, quæ oppoſitionem non includant.* Concludendum ergo eſt cum eodem art. 5. Quòd *ibi primò invenitur diſtinctio, ubi primò occurit oppoſitio relativa; ſicut in hoc quòd eſt eſſe Patrem, & Fi-*

& Filium. Ubi ergo non eſt oppoſitio relativa in divinis non poteſt eſſe realis diſtinctio, qua eſt diſtinctio perſonalis. Si autem Spiritus Sanctus non procedit à Filio, non erit oppoſitio aliqua inter Filium, & Spiritum Sanctum: & ita non diſtinguetur perſonaliter Spiritus Sanctus à Filio.

XIII. Contra tertiò. Dato, quòd eadem Perſona non poſſit eſſe terminus duplicis actionis totalis ejuſdem ordinis, ac nullum inter ſe ordinem habentis; secùs tamen ſi ſint duæ actiones diverſi ordinis, & ſub diverſa ratione producentes: ſicut idem homo, qui totaliter eſt à Deo ſub ratione entis, eſt à Cœlo ſub ratione corporis, & ab homine ſub ratione hominis: & idem Chriſti Corpus eſt terminus duplicis actionis totalis generationis, & tranſubſtantiationis: ſed Pater generans, & ſpirans ſub diverſa ratione reſpiceret terminum ut genitum, & ut ſpiratum; ergo eundem realiter terminum habere poſſet.

Rursùs: Quòd in creatis non poſſint eſſe idem, verbum quod eſt terminus actionis intellectus, & amor qui eſt terminus actionis voluntatis, non ſolùm ex eo eſt, quod eadem actio non poſſit eſſe ſimul intellectus, & voluntatis; ſed etiam quia amor, qui eſt terminus voluntatis procedit ex cognitione, & verbo, quod eſt terminus intellectus: ſed in Deo idem realiter ſunt intellectus, & voluntas, cognitio, & volitio; ergo ſi tollatur à termino voluntatis proceſſio à termino intellectus, nimirùm Spiritus Sancti à Verbo, cùm cognitio, & amor ſint duæ actiones ordinem inter ſe habentes, non video, quomodo eadem Perſona non poſſit eſſe dicta, & amata, Verbum, & Spiritus.

XIV. Dices. Licèt in hypotheſi Spiritus Sanctus non diſtingueretur à Filio ut Filio, ſeu ut ſpiratus à principio ſpirante; diſtingueretur tamen ab illo, ut amor à Verbo, ſeu à principio movente: & S. Thomas hâc qu. 36. art. 2. probat diſtinctionem Spiritus Sancti à Filio etiam, quia *Filius procedit per modum intellectus ut Verbum, Spiritus Sanctus per modum Voluntatis ut amor: neceſſe eſt autem quòd amor à Verbo procedat.*

Huic objectioni Mag. Ferre dat manus victas, & concedit, quòd etſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio ut principio ſpirante; diſtingueretur adhuc à Filio, ut Verbum eſt, & ut principio movente; quia procederet ut amor, amor autem procedit à Verbo.

XV. Sed ſingularis eſt hæc doctrina, nec illi acquieſcere poſſum. Quia ſublatâ à Filio vi ſpirativa, tolleretur ab illo omnis realis oppoſitio relativa cum Spiritu Sancto: nam ſicut Filius, quâ talis, unicè refertur ad generantem, ita Verbum quâ Verbum unicè refertur ad dicentem. Eſto autem Verbum, ut tale eſſet principium movens Patrem ad productionem amoris, eſſet tantùm principium *quo* objectivum, eo modo, quo eſſentia divina movet ad ſui cognitionem, & ad productionem Verbi. Unde ſicut non per hoc eſſentia divina à Verbo diſtinguitur; ita nec Verbum, quamvis movens ad productionem amoris, diſtingueretur ab amore, niſi hoc Verbum eſſet principium *quod* productivum amoris: quia realis diſtinctio eſt inter principia *quod*, non inter principia *quo*. S. Thomas verò dùm dicit, amorem procedere à Verbo, ſupponit ea quæ priùs dixerat, nempe inter Verbum, & amorem dari relationem originis: *oppoſita autem relationes originis accipiuntur ſecundùm principium, & ſecundùm quòd eſt à principio.* Verbum autem, ut Verbum non nominat rationem principii, nec ex ſua natura refertur ad amorem, ſed ad dicentem. Unde Verbum, & amor in divinis eſſent una ac realis Perſona, ſi Verbo non jungeretur relatio ſpirationis activæ.

§. I I.

Scoti rationes ſolutæ.

XVI. PRimò objicit Fraſſen S. Auguſtinum lib. 5. de Trinitate cap. 14. qui proferens rationem, ob quam Spiritus Sanctus non ſit Filius, ait: *exit enim, non quomodo natus, ſed quomodo datus; & ideò non dicitur Filius, quia nec natus eſt, ſicut Unigenitus*. Secundò, S. Gregorium Nyſſenum laudatum à Beſſarione *in tract. pro unione* (ex lib. 1. in Evang. nondum latinè edito) ubi de Spiritu Sancto: *diſtinguitur* (inquit) *ſuâ proprietate, quæ eſt quod, nec Unigenitus ex Patre productus eſt, & quod per ipſum Filius ſit manifeſtus*. Tertiò, Anſelmum *tract. de proceſſ. Spiritus Sancti cap. 2.* ubi ait, quòd Filius: *ideò non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe à Patre, Spiritus Sanctus autem, non naſcendo, ſed procedendo*. Et cap. 3. *Alii ſunt ab invicem per hoc, quòd dictum eſt, ut puta, quia alter naſcitur, alter verò procedit; & ideò cùm naſcitur unus non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc eſt alius ab eo, quia non ſimiliter naſcitur, ſed procedit: & cùm unus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo, quia non ſimiliter procedit, ſed naſcitur*. Unde cap. 4. concludit: *Si per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus Sanctus, per hoc ſolùm eſſent diverſi, ſcilicet, quia alter naſcendo, alter exiſtit procedendo*. Unde ait Fraſſen *Tract. 3. de Trinit. Diſp. 3. art. 3. Quæſt. 2.* Urbanus Pontifex, qui in Concilio Barenſi S. Anſelmi doctrinam cum univerſo Patrum cœtu, & applauſu probavit, nonne ſimiliter Scoti doctrinam ex tunc definiiſſe videtur?

XVII. Reſpondeo, S. Auguſtinum nobis non eſſe contrarium. Nam dicendo, quòd Spiritus Sanctus exit, non quomodo natus, ſed quomodo datus, ſupponit, eum dari non à Patre ſolùm, ſed etiam à Filio. Unde *lib. 15. de Trinit. cap. 26. & 27.* docet, Spiritum Sanctum ideò non eſſe natum, quia à duobus procedit.

Ad Nyſſenum dico, Spiritum Sanctum diſtingui ſuâ proprietate, ut tamen acceptâ à Patre, & à Filio: non enim poſſet Filium manifeſtare, niſi eſſet ab illo. Quare præfati Patres loquuntur de Spiritu Sancto, qui modò eſt, & includit proceſſionem à Filio, non de Spiritu Sancto, qui in hypotheſi à Filio non procederet.

Ad Anſelmum in primis dico, hunc Patrem non adeò apertè ſuæ ſententiæ patrocinari, ut putat Fraſſen: Etenim Scotus ipſe in 1. diſt. 2. qu. 2. *Auctoritas* (inquit) *adducitur Anſelmi lib. ſuo de proceſſione Spiritus Sancti: ſed quia ipſum adducunt utrique pro ſe; & ſit altercatio magna de intentione ejus, quæ fuerit: ideò hìc nolo multùm circa intentionem ejus immorari*. Dubia eſt ergo, non aperta hac in cauſa S. Anſelmi mens; nec Urbanus Anſelmi doctrinam approbans, Scoti doctrinam (ipſo Scoto teſte) definiiſſe viſus eſt.

S. Thomas *qu. 10. de potentia art. 5. ad 2.* præallatæ auctoritati Anſelmi ſic reſpondet: *Dicendum, quòd id, quod dicit Anſelmus, quòd Filius & Spiritus Sanctus per hoc ſolùm ad invicem diſtinguuntur, quòd diverſo modo procedunt, eſt omnino verum. Sed, ſicut oſtenſum eſt, diverſo modo procedere non poſſent, niſi Spiritus Sanctus à Filio eſſet. Unde remoto, quòd Spiritus Sanctus ſit à Filio, omnino diſtinctio Spiritus Sancti removetur. Eſt autem intentio Anſelmi lib. de proceſſ. Spiritus Sancti priùs ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus Spiritum Sanctum à Filio eſſe, qui tamen Spiritum Sanctum à Filio dicunt diſtingui. Unde Verba prædicta Anſelmi inducta ſunt magis, ut diſputativa ſuppoſitio, quàm veritatis diffinitio*. Ac ſi ad hominem arguens Græcos Anſelmus diceret: Vos conceditis Spiritum Sanctum diſtingui à Filio, quia diverſo modo procedit: atqui ſi non procederet

Digitized by Google

ret à Filio, diverſo modo non procederet; ego ſi non procederet à Filio, neque à Filio diſtingueretur; ergo ut ſalvetis diſtinctionem Spiritus à Filio, neceſſe eſt, ut fateamini, eum ab iſto procedere.

XVIII. Reſponderi etiam poteſt ex eodem S. Doctore 1. *par. qu.* 36. *art.* 2. *ad* 7. ubi eidem Anſelmi auctoritati ſic reſpondet: *Spiritus Sanctus diſtinguitur perſonaliter à Filio in hoc, quòd origo unius diſtinguitur ab origine alterius: ſed ipſa differentia originis eſt per hoc, quòd Filius eſt ſolùm a Patre; Spiritus Sanctus verò à Patre & Filio. Non enim aliter proceſſiones diſtinguerentur.* Quare diverſitas modi procedendi Spiritus Sancti à Filio eſſentialiter in hoc fundatur, quòd iſte à ſolo Patre, ille à Patre & Filio originem trahit: non enim procederet ut Spirirus ut datus, ut donum, niſi ex duorum amore.

XIX. Objiciunt ſecundò. Si Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Parre, adhuc realiter à Patre diſtingueretur, & tamen à Patre non oriretur; ergo à pari ſi procederet à Patre, & non à Filio, adhuc à Filio realiter diſtingueretur.

Confirmatur. Spiratio paſſiva nunc, & de facto non identificatur paternitati; ergo nec tunc identificaretur Filiationi. Ant. patet. Nam paternitas, & ſpiratio paſſiva conſtituunt duas Perſonas realiter diſtinctas. Conſ. prob. non aliâ ratione paternitas, & ſpiratio paſſiva diſtinguuntur, niſi quia diſparatæ ſunt, & incompoſſibiles; paternitas enim non opponitur relativè ſpirationi paſſivæ, ſed tantùm filiationi: at in caſu filiatio & ſpiratio paſſiva eſſent relationes diſparatæ, & perſonales; ergo quamvis relativè relatione originis non opponerentur, realiter diſtinguerentur.

XX. Reſpondetur primò cum Ferrarienſi in 4. contrag. cap. 24. diſtin. ant. diſtingueretur ſolùm in Perſona, nego ant. in Perſona & natura, con. ant. Si enim Pater nullo modo ſpiraret, aut produceret Spiritum Sanctum, nullâ relatione originis referretur ad Spiritum Sanctum: & cùm nec etiam paternitate ad ipſum relativè dicatur, nullo modo poſſet ab ipſo relativè diſtingui, quæ eſt propria diſtinctio divinarum Perſonarum. Sequeretur autem, quòd a Spiritu Sancto eſſentialiter diſtingueretur, & ſic Spiritus Sanctus non eſſet Deus. Nam cùm Spiritus Sanctus non poſſit eſſe idem, quod Pater, alioquin generaret Filium, ſicut Pater, nec ab eo relativè diſtingueretur; ſequitur, quòd eſſent per abſoluta diſtincti.

XXI. Reſpondetur ſecundò communi reſponſione, diſt. min. à Patre non oriretur immediatè, co. min. mediatè, nego min. Si enim Spiritus Sanctus oriretur à ſolo Filio, ſaltem mediatè oriretur à Patre, quia non oriretur à Filio, niſi virtute ſpirativà acceptâ à Patre, & ſic ſaltem mediatè opponeretur cum Patre. At ſi oriretur à ſolo Patre, nec oriretur mediatè à Filio, nec cum illo opponeretur adhuc mediatè, & ſic nullum eſſet fundamentum perſonalis diſtinctionis.

XXII. Nec dicas, eſſentiam divinam dare Patri paternitatem, nec tamen opponi adhuc mediatè Filio; ergo ſimiliter eſto Pater det Filio virtutem ſpirativam, non opponetur mediatè &c.

Nam diſcrimen eſt: quia eſſentia divina dat paternitatem, non per realem proceſſionem, & oppoſitionem cum Patre, ſed ſolùm per virtualem emanationem: at Pater dat Filio ſpirationem activam per realem proceſſionem, & oppoſitionem cum illo, atque adeò cum mediata oppoſitione cuicumque à Filio procedenti. At eſſentia divina, ſicut immediatè non opponitur Patri, ſic nec mediatè opponitur procedenti à Patre; quia oppoſitio mediata cum uno, debet ſupponere oppoſitionem immediatam cum alio, ratione cujus mediatè opponatur illi.

XXIII. Ad Confirmat. nego conſequ. ad cujus probat. nego maj. non

enim modò paternitas, & ſpiratio paſſiva diſtinguuntur, quia diſparatæ ſunt, ſed quia Perſona, quæ Pater eſt, identificat ſibi ſpirationem activam, quâ opponitur ſpirationi paſſivæ. Si verò Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius nec ratione Filiationis, nec activæ ſpirationis opponeretur Spiritui Sancto, ac proinde non diſtingueretur realiter, ſed ad ſummum formaliter.

XXIV. Objiciunt tertiò. Filiatio de facto realiter diſtinguit Filium à Spiritu Sancto: ſed filiatio non opponitur relativè cum Spiritu Sancto, ſed cum Patre; ergo diſtinguit ſolâ oppoſitione diſparatâ.

Reſpondeo primò ex D. Thoma qu. 10. de potentia art. 5. ad 13. diſt. min. nec Spiritus Sanctus opponitur relativè Filio, nego min. & Spiritus Sanctus opponitur &c. co. min. *Licèt* (inquit S. D.) *filiatio non opponatur relativè proceſſioni, tamen procedens opponitur relativè Filio*, quia videlicet à Filio ſpiratus, & procedens: quòd ſi à Filio non procederet, nec Filiatio opponeretur proceſſioni, nec procedens opponeretur Filio, & ſic non diſtingueretur ab eo.

XXV. Reſpondeo ſecundò communi ſolutione, diſt. min. non opponitur relativè formaliter, & immediatè concedo min. ſic enim Filiatio opponitur cum ſolo Patre. Connexivè, nego min. Filiatio enim, eſto non ſit ratio referendi Filium ad Spiritum Sanctum; illi tamen relativè opponitur duplici titulo. Primò, quia radicat ſpirationem activam, quæ eſt ratio referendi Filium ad Spiritum Sanctum. Secundò, quia eſt ratio conſtituens Perſonam, quæ ad Spiritum Sanctum refertur: forma autem conſtituens Perſonam, quæ refertur debet realiter diſtingui à termino relationis.

XXVI. Sed replicabis. Filiatio ſe ſolâ eſt conſtitutiva Perſonæ Filii; ergo ſe ſolâ eſt diſtinctiva illius à Perſona Spiritus Sancti, quia idem eſt diſtinctivum, ac conſtitutivum.

Confirmatur. Spiratio activa advenit Perſonæ Filii jam conſtitutæ in eſſe Perſonæ per filiationem; ergo advenit illi jam diſtinctæ in eſſe Perſonæ ergo eam ſupponit Perſonam diſtinctam à Perſona Spiritus Sancti: & proinde ſi ſpiratio activa removeatur à Filio, remanebit Perſona à Spiritu Sancto diſtincta.

XXVII. Reſpondeo diſt. conſeq. diſtinctiva illius reali diſtinctione, nego conſequentiam, formali diſtinctione, & quaſi ſpecificâ, co. conſeq. non enim in Deo eſt diſtinctivum reale, niſi ubi datur realis origo unius ab altero, quæ in hypotheſi inter Filium, & Spiritum Sanctum non eſſet. Quare poſſet negari ſuppoſitum conſequentis, nempè quòd Spiritus Sanctus in ea hypotheſi eſſet alia Perſona à Filio, quod probari debuerat, non ſupponi.

XXVIII. Ad Confirm. diſt. conſequens, advenit illi jam diſtinctæ &c. à ſuo correlativo, nempè à Patre, co. conſequ. à quocumque alio ſibi non correlativo, ſed diſparato, nego conſequ. Axioma illud: *idem eſt conſtitutivum, ac diſtinctivum* in relativis cum reſtrictione accipiendum eſt, nimirùm, ut idem ſit conſtitutivum, ac diſtinctivum reale à ſuo correlativo, ſed non à quocumque alio diſparatè ſe habente. Cum ergo filiatio, quæ conſtituit Perſonam Filii ſit de genere relativo, & habeat pro ſuo correlativo Patrem, non verò habeat pro correlativo Spiritum Sanctum, diſtinguit quidem Filii Perſonam à Perſona Patris, non tamen Perſonam Filii à Perſona Spiritus Sancti, niſi radicet in Perſona Filii ſpirationem activam, quâ opponatur Spiritui Sancto. Sicut enim paternitas, quæ conſtituit Perſonam Patris, diſtinguit illam quidem à Perſona Filii, quæ eſt ejus correlativum, non tamen à Perſona ſpirante; ita filiatio, quæ conſtituit Perſonam Filii diſtinguit illam quidem à Perſona Patris, quæ eſt ejus correlativum, non eam diſtingueret à Perſona ſpiratâ, ſi ad iſtam non referretur relatione ori-

Digitized by Google

originis, ſed merè diſparatè ſe haberet.

Eſto autem relatio in creatis non diſtinguat perſonam, ſed perſonæ jam diſtinctæ adveniat, quia in creatis perſona eſt de genere abſoluto, & relatio accidens eſt: In divinis tamen, ubi Perſona eſt de genere relativo, & relatio ſubſtantialis eſt, benè poteſt imò neceſſariò requiritur ad diſtinguendam unam Perſonam ab alia.

XXIX. Objiciunt quartò. Filius ex vi ſuæ proceſſionis eſt genitus, & natus, Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis eſt ſpiratus, & datus: ſed eadem Perſona nequit eſſe ſpirata, & nata; ergo &c.

Urgetur hoc. Termini diſparatè ſe habentes, licèt ab eodem principio procedant, realiter invicem diſtinguntur, ut patet in duobus fratribus: ſed in hypotheſi Filius, & Spiritus Sanctus eſſent duo termini diſparati procedentes à Patre; ergo &c.

XXX. Reſpondeo, diſt. min. eadem Perſona formaliter, nequit &c. co. min. eadem Perſona realiter, ſubdiſtinguo: ſi Perſona ſpirata oriatur à Perſona genitâ, co. min. ſi non oriatur, nego min. In caſu ergo, quo Spiritus Sanctus non oriretur à Filio, Filius & Spiritus Sanctus eſſet eadem realiter Perſona, quæ ſub una formalitate eſſet genita, & ſub alia ſpirata. Et in hoc caſu ſpiratio paſſiva non eſſet proprietas conſtitutiva Perſonæ, aut perſonalis; ſed eſſet proprietas Perſonæ jam conſtitutæ, ſicut reſpectu Patris ſpiratio activa.

XXXI. Ad id quod urgetur, dico, maj. eſſe veram in creatis, ubi diſtinctio oritur ex limitatione; quia ſcilicet unum diſparatum non habet eſſe, & perfectionem alterius: ſecus in divinis, ubi tota ratio diſtinctionis eſt oppoſitio relativa, cujus fundamentum eſt ſola ratio originis unius ab alia. Ut enim docet D. Tho. qu. 10. de potentia art. 5. *ſi quis proprietatem divinæ naturæ conſideret, impoſſibile eſt, in Deo eſſe pluralitatem Perſonarum, niſi per hoc quòd una ab alia oriatur, nullo autem modo per hoc quòd duę oriantur ab una.* Et hoc ſequenti ratiocinio demonſtrat. Quæ enim diſtinguuntur, vel diſtinguuntur ex æquo, ſicut duo individua naturæ materialis, ex æquo participantia naturam ſpeciei, diſtinguuntur per diviſionem materiæ: & hoc certè modo non diſtingueretur Perſona nata à Perſona ſpirata. Vel diſtinguuntur ſecundùm formam, ſicut res immateriales; & ſic eſt impoſſibile, quòd quæ ſic diſtinguuntur ſe habeant ex æquo: quia cùm ſpecies varientur, ſicut numeri per additionem, vel ſubtractionem unitatis; ita per additionem, vel diminutionem perfectionis, inter ea, quæ diſtinguuntur ſpecie, vel ſecundùm formam, dari debet ordo majoris, vel minoris perfectionis. Et hoc modo nec poſſet diſtingui Perſona genita à ſpirata, aliàs una eſſet imperfectior aliâ: *Cum autem* (concludit S. Thomas) *in divinis non poſſit eſſe ordo perfectionis, ut Ariani poſuerunt, dicentes, Patrem Filio eſſe majorem, & utrumque Spiritu Sancto; relinquitur, quòd pluralitas in divinis Perſonis eſſe non poteſt nec intelligi, niſi ſecundùm ordinem originis ſolùm, ut ſcilicet Filius ſit à Patre & Spiritus Sanctus à Filio. Si enim Spiritus Sanctus non eſſet à Filio, ex æquo reſpiceret Patrem quantùm ad originem: unde, vel non eſſent duæ Perſonæ, vel eſſet ordo inter eos perfectionis ſecundùm Arianos, vel eſſet inter eos materialis diviſio, quod eſt impoſſibile.* Videatur quoque S. Doctor 4. *contrag. cap.* 24.

XXXII. Sed dices. Eadem Perſona non poteſt duplici actione adæquatâ produci: ſed generatio & ſpiratio ſunt duæ actiones adæquatæ; ergo &c.

Ad hoc jam dictum eſt ſupra, quòd licèt idem terminus nequeat terminare duas actiones adæquatas ejuſdem rationis, & ſub eadem ratione producentes, non tamen duas actiones diverſæ rationis, & ſub ratione diverſa producentes, qualis eſt generatio, & ſpiratio; ut conſideranti patet.

Addo (inquit S. Thomas in 4. contrag.

trag. citato) *oportebit dici, quòd ſecundùm differentiam voluntatis, & intellectus diſtinguantur in Deo Patre duæ proceſſiones, & duo procedentes: ſed voluntas, & intellectus in Deo Patre non diſtinguuntur ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundum rationem .... ſequetur igitur, quòd duæ proceſſiones, & duo procedentes differant ſolùm ratione. Ea verò quæ ſolùm ratione differunt, de ſe invicem prædicantur; verum eſt enim dicere, quòd divina voluntas eſt intellectus ejus, & è converſo: verum ergo erit dicere,* quòd (ſi non procederet à Filio) *Spiritus Sanctus eſt Filius, & è converſo; quod eſt Sabellianæ impietatis. Non igitur ſufficit, ad diſtinctionem Spiritus Sancti, & Filii dicere, quòd Filius procederet per modum intellectus, & Spiritus Sanctus per modum voluntatis, niſi cùm hoc dicatur etiam, quod Spiritus Sanctus ſit à Filio.* Imò proſequitur S. Thomas: *Ex hoc ipſo quòd dicitur, quòd Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, & Filius per modum intellectus, ſequitur quòd Spiritus Sanctus ſit à Filio; nam amor procedit à Verbo, eo quòd nihil amare poſſumus, niſi verbo cordis illud concipiamus.* Et propterea ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ſequeretur utrumque cotradictorium, nempe quòd procederet per voluntatem, & non procederet; procederet proceſſione diverſâ à proceſſione Filii & non procederet; quia ut docet D. Tho. q. 10. de pot. a. 5. ad. 8. *Proceſſiones in divinis non poſſunt eſſe diverſæ, niſi per hoc, quod unus procedentium eſt ab alio.*

Reſponderi poteſt ſecundò, quòd eſto idem terminus creatus nequeat duplici actione adæquatâ produci; benè tamen idem terminus increatus. Et inſto argumentum: Nam ſicut in creatis duæ actiones adæquatæ petunt terminos realiter diſtinctos, ita etiam petunt eſſe duæ actiones realiter diſtinctæ: ſed in Deo generatio, & ſpiratio ſolùm virtualiter diſtinguerentur; ergo haberent terminum non realiter, ſed virtualiter, aut ſaltem formaliter ſolùm diſtinctum.

Tandem non poſſum non mirari, quòd Scotus in hac re adeò ſcrupuloſus ſit, ut impoſſibile judicet, eandem Perſonam divinam eſſe capacem terminandi duas actiones adæquatas; cùm tamen in Philoſophia impoſſibile non judicet, eundem effectum creatum divinitùs à duplici cauſa adæquatâ produci.

XXXIII. Ex hactenùs dictis infertur, quòd ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſent amplius tres Perſonæ in Deo, ſed duæ tantùm, Pater generans, & ſpirans, Filius genitus, & ſimul ſpiratus. Et ſicut nunc una, eademque Perſona eſt ſimul Pater & ſpirator, ſic, ut relatio paternitatis Perſonam conſtituat, relatio verò ſpirationis activæ nullam Perſonam conſtituat, ſed adveniat Perſonæ jam conſtitutæ: ita tunc una, eademque Perſona eſſet Filius & ſpiratus; ſic tamen, ut relatio filiationis conſtitueret Perſonam Filii, relatio verò ſpirationis paſſivæ nullam Perſonam conſtitueret; ſed Perſonæ Filii ſuperveniret, eſſetque proprietas non perſonalis, ſed Perſonæ.

XXXIV. Quòd ſi dixeris, Græcos ſalvare in Deo Trinitatem Perſonarum, etſi negent Spiritum Sanctum procedere à Filio.

Reſpondet S. Thomas qu. 10. de verit. art. 5. ad 14. *quòd licèt Græci non confiteantur, Spiritum à Filio procedere, confitentur tamen, Filium eſſe aliquomodo principium originis Spiritus Sancti, ex hoc, quòd dicunt Spiritum Sanctum à Patre eſſe per Filium, & Spiritum Sanctum eſſe Filii,* ut ſuperiùs vidimus. Hoc autem in Hypotheſi Scoti non admittitur.

His huic Tractatui optatum finem imponimus. Utinam hæc ad majorem Auguſtiſſimæ Triadis gloriam ceſſerint, & animarum noſtrarum profectum; ut, qui ejus myſterium ſub velamine Fidei pro modulo hîc ſcrutati ſumus, poſſimus revelatâ facie illud in Cœlis contemplari, ejuſque viſione in æternum beari.

Tomi Quarti I. Partis finis.

IN-

INDEX

Eorum, quæ in hoc Quarto Tomo I. Partis viſa ſunt notatu digna.

A

Acaciani. pag. 185.
Adrumetini. Monachi Prædeſtinatiani. 33. Eorum palmare argumentum. 35. 36. Semipelagianiſmo occaſionem dedere. 49.
Adultorum prædeſtinatio ad gloriam gratuita. 73. 74. &c. Eodem modo quo parvulorum. 87. 88.
Aetius. 185.
Agnoeta Hæretici. 175. 176.
Alciatus Jo. in Trinitatem blaſphemus. pag. 143. 159.
Alexander Patriarcha Alexandr. Ario reſiſtit. 159. 184.
Andreas Rhodius contra Græcos. 313.
S. Anſelmus ſtatuit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. 318. A' quo ſi non procederet non diſtingueretur *ibi.* nec contrarium ſentit. 322.
Arauſicana II Synodus de Prædeſtinatione & Reprobatione. 126. 121.
Arius quis fuerit? Arianæ hæreſis ortus, progreſſus. 158. 159. 184. 185.
Ariana hæreſis capita. 185. Ariani *Homouſion* impugnant. 189. 191. &c.
Aſtrologia judiciaria vana, damnata. 15. Cur aliquando vera aſtrologi prędicant? *ibid.*
S. Athanaſius vocem *Homouſion* defendit. 186. 187. Arianorum ſcopus. 190. Proceſſionem Spiritus Sancti à Filio aſſerit. 298. Symbolum an verè Athanaſii ſit. 299. 300.
Athenagoras Trinitatem agnovit. 179.
S. Auguſtinus. Neminem niſi Prædeſtinatum ſalvari cenſet. 38. 39. Nomine *Præſcientiæ* definiens Prædiſtinationem non intellexit ſcientiam mediam. 41. 42. Confutat Semipelagianos. 49. &c. 52. 53. &c. 55. 56. Malè adducitur pro ipſis. 65. 66. à Prædeſtinatione ad gloriam excludit etiam opera prævisa. 78. Etiam ut futura auxilia gratiæ. 79. 80. 81. 82. &c. A' Semipelagianis reprehenſus. *ibi.* Gratuitam ponebat nedùm ad gratiam, ſed & ad gloriam. 82. 83. &c. Præſcire ſæpè idem eſt ac prędeſtinare. 96. 97. Falsò ab adverſariis adductus. 99. &c. Cum Semipelagianis nedum de gratia, ſed & de gloria certavit. 102. Ejus mens circa aliquorum reprobationem. 128. Statuit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. 303. 305.

B

Blandrata Georgius, quis? Trinitatis hoſtis. 143.
Bogomiles negavit Trinitatem. 142.
Bonorum afflictio, & malorum proſperatio Providentiæ non obeſt. 9. 10.

C

Calecas Manuel contra græcos. 310.
Calvinus blaſphemus in materia reprobationis. 121. 123 Negat Chriſtum ſciviſſe diem Judicii. 176. Servetum facit comburi. 142.
Catharini ſententia ſingularis de Predeſtinatione rejicitur. 37. 38. 39.
Cauſæ liberæ reguntur providentiâ. pag. 8. 9. 10. 14. 15.
Chalcedonenſes PP. cur fidem exponere recuſarunt? 314.
Chariſius exponit Synodo Epheſinæ Sym-

Symbolum Neſtorianum. 306. 311. &c.
S. Chryſoſtomus docet, *Theos* non ſemper cum articulo poni. 162.
Chriſtus Providentiam Dei celebrat. 56. Ut homo non ignorat diem Judicii. 174. 175. An eſſet hæreticus qui hoc negaret. 175. 176. Quomodo dixit ſuum non eſſe dare Regnum Cœlorum, nec à ſe poſſe facere quidquam? 176. 177.
Clemens Alexandrinus Trinitatem agnovit. 181.
Cicero Providentiam negavit de actibus liberis. 14.
Circuminſeſſio inter divinas Perſonas. pag. 273. 274. 275.
Cœleſtia corpora in actus liberos directè non agunt. 15. 16.
Cœleſtii Perſona, & errores. 44. 45. 46. 47. 48.
Conſtantinus I. Imperator Nicęno Conc. intereſt. 184. Arianis indulgens. 189.
Conſtantius Imp. Arianorum patronus. 189. Iniquus in Liberium. 191. 192.
Cornelius Centurio non ſine gratia orabat. 55. Nec ſine fide. 64.
Credere in poteſtate noſtra eſt non ſine gratia. 56.
S. Cyrillus Alexandr. à Theodoreto impugnatur. 293. 305. 306. Defendit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. ibid. Non negat Symbolo aliquid addi poſſe explicativum. 314.

D

DAmaſcenus Joann. non fuit ille Joannes Monachus, qui proceſſionem Spiritus Sancti à Filio negabat. 295. Ejus mens de pręfata proceſſione. 306. 307.
David Franciſcus Trinitatis hoſtis. 143.
Denarii nomine quid veniat in Evangelio? 40.
Deus, cui nihil eſt fortuitum. 7. Eſſet Proviſor imperfectus ſi ſcientiâ mediâ provideret. 25. 26. Ei notus eſt numerus Prædeſtinatorum, & Reproborum. 136. Quòd ſit ſolus non tollit, quin ſit trinus. 152. 153. Quomodo ſolus? *ibid.* Non ſemper ſcribitur à Græcis cum articulo. pag. 162. & 163.
Diſtinctio relationum ab eſſentia non eſt realis, non modalis, non formalis. 246. 247. &c.
Durandus. Ejus opinio de principio proceſſionum rejicitur. 221. 222. De diſtinctione relationum ab eſſentia. pag. 247.

E

EFfectus prædeſtinationis. Vide *Prædeſtinatio*.
Electi. Vide *Prædeſtinatio*.
Electio ad Gloriam alia abſoluta, alia comparativa. 127.
Epheſina Synodus in cauſa proceſſionis Spiritus Sancti quid egerit? Symbolum Neſtorianum damnavit. 306. Quomodo vetuit alteram fidem condere? 311. 312. Non vetuit explicationem fidei. 313. Ab Eccleſia non aprivatis faciendam. 313. 314. Cur vocem *Deipara* Synodo non addidit? *ibid.*
Eucharistia realis Chriſti præſentia ex Hilario. 169. 170.
Eunomius. 185.
Euſebius Nicomedienſis Ario favet. pag. 185.
Exiſtentia non multiplicatur in Deo. 258. 259. Non datur in Deo exiſtentia relativa. 260. 261.

F

FAuſtus Rejenſis Semipelagianus. 50. *Fidei* nec initium, nec deſiderium ex nobis ſine gratia eſt. 53. 54. 55. 56. 57.
Filius Divinus. Vide *Verbum*. Quomodo dicat ſe eſſe unum cum Patre? 165. 166. 167. Non ſola voluntatum conſenſione. 168. 169. Joannis verba *& hi tres unum ſunt* defenduntur. 170. 171. Non eſt creatura. 172. 173. Nec minor Patre. 174. Scit diem judicii. *ibi.* & 175. Apud Patrem eſt, non Pater apud ipſum. 275. Ejus characteres. 279. &c.

Eſt

Eſt principium Spiritus S. quia mittit illum. 296. &c. Quia dicitur Spiritus Filii. 297. Quia de Filio accipit. 298. Dicitur etiam procedere *per Filium*. 302. Vide *Verbum*.
Vox Filioque jure inſerta fuit Synodo. 311. 312. Non eſt altera fides, ſed fidei explicatio. *ibid.* & 313. In qua Synodo primò fuerit addita. 315. 316.
Filiatio ſe ipsâ non diſtinguit à ſpiratione paſſiva. 324.
Florentina Synodus. Concordia cum Græcis de proceſſione Spiritus S. à Filio. 296. Vox *Filioque* probata. 316.
S. Fulgentius eodem modo ſtatuit gratuitam prędeſtinationem adultorum ac parvulorum. 87. Non favet contrariis. 103.

G

Galatinus contra Judæos pro Trinitate. 148. 149.
Generatio quid & quotuplex? 230. Applicatur Verbo Divino. 231. &c.
Gennadius Semipelagianus. 51.
Gentilis Valentinus quis? Trinitatem negat. 143. 159.
Gilbertus errat circa diſtinctionem relationum ab eſſentia divina. 245. Improbatur. 246. 247. Ejus motiva deſtruuntur. 248. 249. 250. &c.
Gloria redditur ex meritis. 70. 71. Gratis tamen prępáratur. 73. 74. &c. 95. Adhuc tamen in noſtra poteſtate eſt eam acquirere. 99. Et adhuc datur ut corona. 104. 105. 106.
Gotteſchalchus Prædeſtinatianus. 33.
Græci de nomine hypoſtaſis contenderunt. 263. &c. Quis eorum primus negaverit Spiritum Sanctum procedere à Filio. 293. &c. Quo tempore hoc excitarint ſopitum. 294. Sępiùs cum Latinis fidem inierunt, ſed ſæpiùs fregerunt. 295. 296. Antiqui proceſſionem Spiritus Sancti à Filio afferunt. 298. &c.
Gratia. Ad eam non prædeſtinamur ex viribus naturæ. 52. &c. Nec ex operibus moraliter bonis de congruo Deum moventibus. 58. 59. &c. Neque ex pacto. 60. 61. &c. Quomodo Deus eam non deneget *facienti quod in ſe eſt*. 61. 62. Quomodo homo præparet cor. *ibid.* Quomodo gratia detur digno. 63. Gratiæ conceſſio, & denegatio in Electis eſt effectus prædeſtinationis. 114. 115. 116. In Reprobis denegatio eſt effectus reprobationis. 135.
Gregorii à Sebenico ſententia ſingularis de Prædeſtinatione ad Gloriam. *pag.* 91.
S. Gregorius Nazianz. pro voce *Homouſion*. 187.

H

SAnctus Hieronymus Providentiam Dei circa minima non negat. 5. 7. Timebat tres admittere hypoſtaſes. *pag.* 264.
S. Hilarius docet modum quo Chriſtus eſt in nobis per Euchariſtiam. 169. 170. *Homouſion* defendit. 188. De Liberio quid ſenſerit? 194. 195. 196.
Homo quomodo ſit relictus in manu conſilii ſui. 9. Non oſtendit exiſtentiam Trinitatis. 107.
Homouſion vox rectè excogitata. 185. 186. Etſi in Scripturis non legatur. *ibid.* & 187. Non nova. *ibid.* Cur in Synodo Antiochena proſcripta. 188. Non favet Paulo Samoſateno. *ibid.* & 189. Arianis inviſa. 189. &c.
Hypoſtaſis Græcis idem ac Latinis Perſona, de hoc controvèrſum. 263. 264. Tres hypoſtaſes admittere recuſabant aliqui ex Latinis, & Græcis. *ibid.*

I

JAnſenius Prædeſtinatianam hæreſim fuiſſe negat. 33.
Imaginis nomen eſt Perſonale Filii. 283. 284.
Imperium eſt actus propriùs Providentiæ, & Prudentiæ. 27. Datur in Deo. 29. 30.
Intellectus eſt aſſimilativus, etiam in natura. 236. 237. 239. 240.

Joannes Monachus qui excitavit controverſiam de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, quis fuerit? 294.
Joannes Theologus in Concilio Florentino diſputans. 317.
S. *Irenæus* Trinitatem non negavit. pag. 179. 180.
Judæi negant Trinitatem. 140. Eorum evaſiones. 144. 145. Convincuntur. pag. 148. 149.
S. *Juſtinus* Trinitatem agnovit. 177. 178.

L

Lactantius de Filii Dei æternitate, & divinitate rectè ſenſit. 183.
Lateranenſe IV. damnat Abbatem Joachim. 225.
Latini pro proceſſione Spiritus Sancti à Filio conſtantes. 294.
Latro fidem in Chriſtum habuit. 64.
Leo III. de proceſſione Spiritus Sancti à Filio. 294. Cur noluit Symbolo addi vocem *Filioque*. 315.
Liber mortis non datur. 121.
Liberius Rom. Pont. primæ formulæ Sirmienſi ſubſcripſit non ſecundæ. 193. 194. Defenditur. 195. 196.
Lugdunenſe II. Concilium in eo inita cum Græcis concordia. 295. Vox *Filioque* in Symbolo acceptata. 316.

M

Macedonius Spiritus Sancti hoſtis. 196. 197. &c. An primus negaverit Spiritum S. procedere à Filio? 293.
Macedoniani circa Spiritum S. errabant, non circa Filium. 197. Refutantur. 200. 201. &c.
Mahometani negant Trinitatem. 140.
Mala naturæ, & pœnæ in electis ſunt effectus Prædeſtinationis. 116. Non mala culpæ. 117. 118.
Maſſilienſes Semipelagiani. 50.
Meletius Lycopolitanus ſchiſma facit. pag. 184. 185.
Merita ex Auguſtino non ſunt cauſa ſed effectus prędeſtinationis. 84. 85. 90. 91. &c.
Minimus in Regno Cœlorum quis? pag. 39. 40.
Miſſio Perſonarum quid ſit? 277. Solum mittitur ab ea à qua procedit. pag. 278. 296.
Molina ejuſque diſcipuli quid ſentiant de Prædeſtinatione ad primam gratiam. 58. 59. &c. Quid de Prædeſtinatione ad gloriam. 67. 68.

N

Neſtorius an primus negaverit Spiritum S. procedere à Filio. 293. 294. Ejus Symbolum reprobatum pag. 306.
Nicæni I. Conc. hiſtoria. 184. 185. Cauſæ illud convocandi. *ibid.*
Noetus Trinitatem negavit. 141.
Notiones Perſonarum quinque ſunt. pag. 276.

O

Ochinus Bernardinus. Quis? Trinitatem negat. 143.
Operariorum parabola exponitur. 39. 40. Deus non prius ſpectat opus ut ſtatuat mercedem. 98.
Opera moralia ſine gratia non movent Deum ad dandam gratiam. 58. 59. Neque ex pacto. 60. 61. prævifa non ſunt ratio prædeſtinandi ad gloriam. Vide *Prædeſtinatio Auguſtinus*.
Oppoſitio contradictoria quomodo ſit major omnibus. 252. 253.
Oratio utilis ex gratia eſt. 57. Sine ea homo infirmus nec poteſt deſiderare medicum Chriſtum. *ibid.* & 58.
Ordinare eſt intellectus. 19. 21. 22.
Origenes Pelagianiſmi præformator. 64. 65. Quid de Trinitate ſenſerit? 181.
Oſius Cordubenſis Nicæno Conc. præeſt. 185. Ejus lapſus ac retractatio. 191. 192.

P

Parvulorum Prædeſtinatio non ex prævifis meritis quæ egiſſent ſi &c. 68. 69. Cur aliqui ad baptiſmum rapiantur ſtatim morituri, alii non. *pag.* 88. 89. 113. 114.
Pater æternus non eſt ſapiens ſapientiâ genitâ. 286. Producit Filium ex cognitione omnium. 287. Etiam Filii & Spiritus Sancti. 288. 289. Etiam poſſibilium. 290. &c. Si non ſpiraret opponeretur mediate Spiritui Sancto. 323.
Patres qui ante Arium fuerunt non adeo acuratè de Trinitate loquuti ſunt. 177. Græci antiqui pro proceſſione Spiritus Sancti à Filio ſtant. *pag.* 298. &c.
Patripaſſiani Sabelliani dicti. 141.
S. Paulus pro prædeſtinatione ad gloriam gratuita. 73. 74. Exemplo Jacob & Eſau. 75. 76. &c. Excludit etiam opera prævifa. 78. 79. Textus ejus Rom. 8. expoſitus. 96. Ejus mens circa reprobationem unius præ alio. 130. 131.
Peccatores, & peccata quomodo Providentiæ ſubſint. 10. 11. 12. Univerſi bonum non lædunt. 13.
Peccatum originale ſufficiens fuit motivum reprobationis. 127. Actuale non eſt effectus reprobationis. 135.
Pelagius de Prædeſtinatione malè ſenſit. 32. Ejus Peſona, & errores. 44. 45. 46. 47. 48. Varii ſtatus. *ibid.*
Permiſſio peccati in electis effectus eſt Prędeſtinationis. 117. 118. Etiam ex præintenta pœnitentia. *ibi.*& 119.
Perſona divina eſt infinita, & tamen plurificatur cur non eſſentia? 155. 156. Quod ab alia procedat non tollit quin ſit à ſe. 215. Nec conſubſtantialis. 216. 217. Tres Perſonæ non ſunt tria entia abſolutè. 255. Perfectio quæ in una eſt in omnibus eſt. 256. 257. Perſonarum divinarum varia nomina. 261. Perſonæ nomen quando cæperit. 262. Hypoſtaſis Græcis. 263. Perſona in genere quid ſit? 264. 265. In Deo aliquid relativum includit. 266. 267. Neo repugnat S.Auguſtinus, *ibi.* & 268. Perſonarum Appropriatio quid ſit? 272. Æqualitas. 273. Circuminſeſſio. *ibid.* & 274. Quomodo una Perſona ſit in alia. *ibid.* & 275. Apud aliam. *ibid.* Notio Perſonæ. 276. Miſſio. 277. 278. Secundæ Perſonæ characteres. 279. &c. Eadem Perſona poſſet eſſe genita & ſpirata. *pag.* 325. 326.
Photius Græcos ad negandam proceſſionem Spiritus S. à Filio excitavit. *pag.* 295.
Prædeſtinare ſæpè idem eſt ac præſcire. 97. Gloria retribuenda eſt ut corona. 104. &c. Et ſtat cum ſincera voluntate ſalvandi omnes cùm vera ſpe, cum orationibus, bonis operibus &c. 107. 108. Neque inconvenientia ex ea ſequuntur. 109. 110. Diſtat ab errore Calvini & Prædeſtinatianorum. Stat cum humana libertate. *ibid.*
Prædeſtinationis nomen. 31. De exiſtentia ejus qui erraverint? 32. 33. Aſſeritur. 34. Defenditur. 35. 36. Palmaris objectio contra ipſam ſolvitur. 35. 36. Nedum finem ſed media prçordinat. *ibid.*
Prædeſtinatio non eſt formaliter actus voluntatis. 20. In quo differat à Providentia. 21. 23. Quot actus includat? 23. 24. Nemo niſi prædeſtinatus ſalvatur. 37. 38. 39.
Prædeſtinationis definitio eſſentia & objectum. 41. 42. Formale immediatum ſunt media. 43.
Prædeſtinatio ad gratiam prorſus gratuita contra Pelagianos & Semipelagianos. 52. &c. Non ex operibus de congruo Deum moventibus contra Molinam. 58. &c. Ad gloriam non ex prævifis meritis in parvulis. 68. 69. In adultis redditur ut corona. 70. 71. non tamen primò volita ex meritis prævifis. Ita Scripturæ. 73. 74. D. Paulus. 75. 76. &c. Exemplo parvulorum. 87. 88. Exemplo pejorum, qui prædeſtinati fue-

fuere ex Gentibus rejectis minus malis. 89. Hoc & ipſi adverſarii fateri debent. 90. 94. Merita ſunt effectus Prædeſtinationis. *ibid.* & 91. 92.
Prædeſtinationis effectus qui ſint? 111. 112. Subſtantia Prædeſtinati non imperatur à Prædeſtinatione. 112. &c. Benè tamen circumſtantiæ nativitatis. &c. 113. 114. Efficax vocatio juſtificatio &c. Effectus ſunt *ibid.* & 115. Gratia quoque interrupta *ibid.* & 116. Mala item naturæ pœnæ & permiſſio peccati. *ibi.* & 117. 118.
Prædeſtinatorum numerus certus eſt Deo. 136. Certitudine præſcientiæ & prædeſtinationis. *ibid.* Juvari tamen poteſt precibus Sanctorum, quomodo? 137. Quantus ſit an major numero reproborum. 138. Nullus poteſt in hac vita ſecundum curſum ordinarium eſſe certus. 138. 139.
Prædeſtinatiani hæretici, qui? an vere fuerint? 32. 33. Modo revera ſunt Calviniſtæ. 33. 34. Eos fuiſſe negant Janſenius & Noriſius. *ibid.*
Praxeas primus ex Chriſtianis negavit Trinitatem. 140. 141.
Prioritas originis non eſt *in quo* ſed *à quo*. 288.
Proceſſio quid ſit? Datur in Deo. 213. Non ut à cauſa. 213. Sed ut à puro principio. 213. 214. Dicit ſolùm ordinem originis. 215. Nec conſubſtantialitatem tollit. 216. 217. Duæ tantum ſunt. 218. 219. 220. Earum principium proximum *quo* non eſt natura divina. 222. 223. benè tamen radicale. 224. Non poteſt dici eſſentia generat. 225. Principium *quo* non ſunt relationes. 226. 227. Sed intellectus & voluntas. *ibid.* Ut modificantur relationibus. 228. 229. Verbi proceſſio eſt generatio. 231. &c. Cur? 234. 235. 236. Cur Spiritus S. proceſſio generatio non ſit? *pag.* 237. 238. &c.
S. *Proſper* Prædeſtinationem ad gloriam aſſerit gratuitam. 56. Immeritò à contrariis adducitur. 103.
Providentia eſt prudentiæ pars. 1. 2. Divina quid ſit? *ibid.* In Deo datur. *ibid.* Quomodo ſit etiam de fine. 3. 4. Ei omnia ſubjecta ſunt, ſingularia corruptibilia. 4. 5. 6. Etſi vilia, & minima. *ibid.* & 8. Etſi neceſſaria. 7. Et liberæ. 8. 9. Etiam Peccatores, & peccata, quomodo? 10. 11. 12. Omnibus immediatè providet. 13. 14. Etiam actibus humanis. 15. 16. Non eſt in actu voluntatis, & intellectus æqualiter. 17. 18. Sed in actu intellectus connotante voluntatem. 19. 20. Non in ſcientia media eventus. 25. 26. Sed in actu imperii. 27. 28. &c.
Proviſoris prudentis eſt aliquando majus malum permittere, quomodo? *pag.* 158.
Proviſor univerſalis non tenetur excludere defectus. 12. 13.
Prudentia in Deo eſt ſine conſultatione. 2. In actu intellectus conſiſtit. *pag.* 19.

Q

Quaſi non eſt particula ſemper diminuens. 162.

R

Relationes divinæ non ſunt principium *quo* proceſſionum. 226. 227. Modificant quidem principium *quo*. 228. Supponunt, & præcedunt proceſſiones. *ibi.* & 229. & 268. In Deo ſunt. 242. 243. &c. Numerus earum. 245. Earum ab eſſentia diſtinctio. *ibi.* & 246. Non realis. 247. Non modalis. *ibid.* Non formalis ſed virtualis. 248. Relationes ex ſua ratione formali ſubſtantia ſunt, etſi non per modum ſubſtantiæ. 251. Afferunt perfectionem de propria linea. 253. 254. Non addunt tamen eſſe peculiaris exiſtentiæ. 255. An ſint de conceptu eſſentiæ? 257. Eis non convenit propria exiſtentia. 258. 259.
Reprobatio aliquorum datur. 119. Quin Deus ſit cauſa perditionis hominum.

num. 121. Ut blaſphemavit Calvinus. 122. 123. 124. Reprobatio quid ſit? 121. 122. Alia poſitiva, alia negativa. 125. Illa ſupponit præviſionem perſonalium demeritorum. 126. Negativa alia abſoluta, alia comparativa. 127. Prior habuit pro motivo peccatum originale. 126. &c. Secundà ſolam Dei Voluntatem. 127. &c. Etiam in iis qui poſt baptiſmum damnantur ex peccato originali eſt. 132. 133. Ejus effectus. 134. 135. 136.

Reprobis nil deeſt ut ſalvari poſſint. 37. Numerus Deo certus. 136. Certitudine præſcientiæ. *ibi.* Et præfinitionis minus principaliter. 137. An major ſit numerus reproborum? 138. An quis poſſit eſſe certus in hac vita? pag. 138.

Ruffinus, Pelagianus fuit. 65.

S

SAbellius Trinitatis hoſtis. Quis? quomodo errorem ſuum explicarit? 141. 142. Perſtringitur. 151. Ejus momenta ſoluta. 152. &c.

Sapientia nomen non eſt proprium ſed appropriatum. 285. Pater non eſt ſapiens ſapientia genita. 286.

Scientia media non eſt Providentiæ divinæ actus. 25. Nec pręſcientia illa de qua Auguſt. diffiniens prædeſtinationem. 41. 42.

Semipelagiani Prædeſtinationis hoſtes. 32. Qui fuerint, & qui eorum errores. 49. 50. 51. Quos habuere Patronos, & quibus in locis, & quandiu. *ibi.* Confutati. 52. 53. 54. Eorum fundamenta. 55. &c. Prædeſtinationem ad gloriam tàm parvulorum quàm adultorum ex meritis præviſis aſſerebant. 67. Eam reprehendebant ut ab Auguſtino ponebatur. pag. 81. 82.

Servetus quis? Trinitatis hoſtis. Combuſtus inſtigante Calvino. 142. 159. Ejus momenta ſoluta. 155. 156. 157.

Silveſter I. Nicænum Conc. convocat. pag. 184.

Singularia corruptibilia divinæ ſubſunt Providentiæ. 4. 5. 6. Etſi minima. *ibid.*

Sirmienſes formulæ. 190. 191. Cuinam ſubſcripſerint Oſius, & Liberius. 192. 193. 194. 195. 196.

Socini Lęlius, & Fauſtus qui fuerint? in Trinitatem & Chriſtum impii. pag. 143. 144. 159. 160.

Spiritus Sanctus verè Deus. 197. 198. 199. &c. Unus eſt. 219. Cur ejus proceſſio generatio non ſit. 237. 238. Etſi procedat ſimilis in natura. 238. 239. Procedit etiam à Filio. 296. &c. Quis primus hoc negaverit. 203. &c. Probatur ex Scripturis. 206. 207 &c. Ex Patribus, Conciliis, & ratione. pag. 298. &c. 300. 301. &c.

Spiritus Sanctus non eſt à Patre & Filio ut duobus principiis. 307. 308. 309. Immediate ex utroque procedit. 310. Vox *Filioque* jure addita Symbolo. 311. &c. Si à Filio non procederet, ab eo non diſtingueretur. 317. &c. Nec ut amor à Verbo. 321. Scoti rationes non evincunt. 322. Si non procederet à Patre eſſet diverſus in eſſentia ab illo. 323. Si non procederet à Filio eſſent ſolum duæ perſonæ. 326.

Subſiſtentia tres ſubſiſtentiæ relativæ in Deo ſunt. 268. 269. Preter eas datur ſubſiſtentia communis. *ibi.* Quomodo? 270. non obſtat ſubſiſtentiis relativis. 271.

Subſtantia Prædeſtinati non imperatur quod ſuum primum eſſe à providentia prædeſtinativa. 112.

Symbolum Athanaſii an ſit? 299. 300.

Symbolum Neſtorianum. 305. Ab Epheſina Synodo damnatum. 306.

Symbolo fieri poteſt additio explicativa. 311. &c.

T

TErtullianus Praxeam impugnat. 140. 141. 146. 149. 150. In Filii divinitate non erravit. 182.

Theodoretus primus negavit proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. 294.

Nulla

Nulla ejus in hac re auctoritas. 305.
S. Thomæ definitio Prædeſtinationis. 43. Ejus ratio pro Prædeſtinatione ad gloriam gratuita. 90. 91. Defenditur. *ibid.* & 92. 93. Circa reprobationem. 128. 130. 131. Circa ly *Theos* cum articulo. 163.
Trinitatis hoſtes. 140. 141. 142. 143. 144. Probatur ex veteri Teſtamento. 144. &c. Ex illis verbis : *faciamus hominem* &c. *ibid.* & 145. 146. Ex Geneſi. 11. 19. *ibid.* & 147. Ex Pſalm. 2. & 34. Ex Iſaiæ 6. & Deuteron. 6. *ibid.* & 148. 149. Ex novo teſtamento. 150. 151. &c. Quomodo Deus dicatur ſolus? 152. 153. Tres Perſonæ non ſunt tres Dii. 154. 155. Non ſunt ut Dii Paganorum. *ibid.* Perſona etſi infinita procedit ab alia, accipit eſſe. 156. Quid de illo axiomate *quæ ſunt eadem uni tertio* &c. *ibid.* & 157. Veteres Chriſtiani Trinitatem agnoverunt, & Pagani eam illis exprobrarunt. 158. Eam agnoverunt Patres Græci trium priorum ſeculorum. 177. 178. &c. Patres Latini. 182. 183. &c. Ejus exiſtentia ratione naturali cognoſci nequit. 205. Suppoſita fide explicari poteſt. 206. 207. Eam homo non oſtendit. *ibid.* & 208. Eam non agnovere gentiles. *ibid.* & 209. &c. Vide *Proceſſio*. Vide *Perſona*. Vide *Filius*. Vide *Verbum*. Vide *Spiritus Sanctus*.

V

Verbi divinitas ex Scripturis. 161. Ex Joann. 1. *ibi.* &. 162. &c. Eſt Deus verus etſi ſine articulo ponatur. *ibi.* & 163. Omnia per ipſum facta. *ibi.* & 164. Quæ facit Pater. *ibi.* & 165. Unum eſt. 219. Ejus proceſſio generatio eſt. 231. 232. Abſque mutatione. 233. Eſt in ſimilitudinem naturæ. 234. Quare ſit generatio? *ibi.* & 235. Quia per intellectum. 236. 237. Verbi nomen. 279. Eſt perſonale. 280. 281. Per ſe procedit ex notitia eorum, quæ formaliter in Deo ſunt. 287. 288. Etiam poſſibilium. 289. 290. &c. Non tamen futurorum per ſe. 291.
Vincentius Semipelagianus an fuerit Lirinenſis. 50.
Vitalis Semipelagianus. 49.
Voluntas aſſimilativa non eſt. 237. 238. 240. 241.

Z

Zachæi ſtudium videndi Chriſtum merè naturale non fuit. 64.

LAUS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005653201
005653200